




Mizaldo
1592









K

Mizauld (Mizaldus)
Antoine. Arzt in Paris
geb. circa 1520 in
Montluçon
gest. 1578 in Paris.
schrieb u.a.
Cometographia
Parisiis 1544.

In diesem Band nach S. 267:
Harmonia Caelestium
corporum et humanorum.

S. Ferguson II. pag 96.


DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 1011, 1012, 1013
COLLECTION

CENTVRIÆ IX.

MEMORABILIVM, VTILIVM, AC IVCVNDORVM in Aphoriſmos Arcanorum omnis generis locupletes, perpulcre digeſtæ;

ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO, medico auctore.

ACCESSIT HIS APPENDIX NONnullorum Secretorum, Experimentorum, Antidotorumque contra varios morbos, tam ex libris manuſcriptis quam typis excuſis, collecta.

SEORSVM EXCVSA,

HARMONIA CÆLESTIVM CORPORUM & humanorum, dialogis vndecim Aſtronomice & Medice per ANTON. MIZALDVM elaborata & demonſtrata.


ITEM

Memorabilium aliquot naturæ Arcanorum Syluula, rerum variarum Sympathias & Antipathias, libellis II. complectens.



15 92.

FRANCOFVRDI
Ex officina typographica Ioannis Wecheli.





HENRICO ENGO-LISMÆO S. SEDIS APO-STOLICÆ PROTONOTA-RIO, CASAE-DEI COENOBIARCHAE, ſummæ virtutis, ac generoſæ indolis Adoleſcenti:

ANT. MIZALDVS S. P. D.

PVBLICVS ille & conſtans rumor qui paſſim de tua indole, tuis ſtudiis & virtutibus in hac celebri Academia inter viros doctos circumfertur, inuitauit me, Adoleſcens illluſtriſſime, vel potius impulit, vt haſce nouem Centurias Memorabiliũ, ac iucundorum, in nouem Muſarum nomine quas perpetuo cariſſimas habes comites, tibi candide nuncuparem. Non alia ſane ratione, aliove coſilio, quã

vt ſtudiis tuis aliqua parte conſulerem; quibus pro ætate quam degis, incredibiliter addictus eſſe prædicaris in omni linguarum & diſciplinarum genere. Conſtat inter omnes, ingenia quæuis ab intenſiſſimo ſtudio & labore recreanda eſſe ac refocillanda: nam,

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Cum itaque Muſis aperiendæ ſint quandoque fores, & intermittenda ſtudia, ſed numquam tamen omittenda; pretium operæ facturum me exiſtimaui, ſi tibi primum, deinde reliquis omnibus qui felici muſarum partu nati, caſta ſub Pallade merent, ſementem aliquam & materiam laxando, oblectandoque ingenio accommodam, in publicum proferrem. Talem, niſi blandum illud φιλαυτίας *vinum me ſuauiter inebriat, exhibere poterit Opuſculum hocce noſtrum: quid inquam noſtrum? imo vero iam-iam tuum: quod centuriatim in Aphoriſmos ita digeſſimus, vt & breuitate, & nouitate eximie*

mie placere queat: ne interim omittam varietatem faſtidii expultricem, quâ vbiq; amœniter blanditur. Mihi certe in partem felicitatis tribuo, quod hoc ſæculo natus ſim, in quo videam Heroum nobiliumque filios, velut è cælo delapſos, exploſa voluptate, ſummum literis ac virtutibus ſtudium impendere: pro canibus & equis libros tractare: pro arcu & ſagittis, calamos verſare: pro cornu venatorio, atramentarium cornu implere: & pro pugione, ſcriptorium ſtylum & cultellum geſtare. Quis, per deos immortales, non inclamet hoc in Gallia nouum eſſe, ac diuûm munere factũ? Quis non vltro fateatur te rei huius auſpicem bonis auibus datum eſſe? ſed ita tamen, vt aſſuetas nobilibus omnis generis exercitationes cum corporis, tum animi, loco, & tempore nuſquam negligas. In quibus adeo dexter videris & ad vnguem factus, vt nihil ſupra. Huc adeſte, ô generoſi Gallicanæ nobilitatis adoleſcentes, & in vnum Galliæ phœnicem Henricum

Engoliſmaum oculos conuertite: videbitis illum vobis ad virtutem, & literas, honeſtaque & ſalubria corporis προγυμνάσματα, prælucere ac ianuam aperire. Si dormitis, expergiſcimini: ſi ſtatis, ingredimini: ſi curritis, conuolate, vt ad eius exemplum mores, animũq; veſtrum ac vitam, componatis. Tu vero clariſſime Adoleſcens, I bene quo virtus tua te vocat, i pede fauſto. Perge (obſecro) abſoluere, magno Galliæ noſtræ ornamento, famâ, & bono, quod ſumma cum laude cœpiſti: nec conquieſce donec pulcerrimis cœptis honeſtiſſimum finem impoſueris. Maxima ſtadii pars tibi iam decurſa eſt: vnde alacrius ad metam properare debes. Maius, mihi crede, erit decus hoc, cuius ipſe tibi auctor fueris, quam cuius hæres. Cogita nihil mediocre, aut plebeium tibi eſſe aggrediundum, ſiquidem ſatagis reſpondere expectationi tot nobiliũ & principum virorum qui in te oculos animoſq; conuerſos habent. Non hæc ſcribo quo te ceſſantem extimulem, ſed quo ſponte curren-

currenti calcar, quod dicunt, addam. Quodſi mihi hortandus es, ego ſane, vt Teucrũ Mycenæus ille apud Homerum, paucis ad hunc te hortabor modum, βάλλ' οὕτως, iace ſic: non ſagittas, inquam, vt ille ſub ſcuto fratris ſui latitans, ſed pulcra, vt cœpiſti, immortalitatis tuæ fundamenta. Viciſti ætatem, quâ cum adhuc impubes habearis, nihil tamen non forti viro dignum vel agis, vel cogitas. Sed quid ego, Deus bone, ad virtutem & literas te cohortari pergo, cum domi habeas nobilem virum ac præſtantiſſimum IOANNEM MORELLVM *gubernatorem tuum, & fidum Achatem,* πολυμαθέστατον καὶ πολυγλωττατον ἄνδρα, *qui vere cæleſtes iſtos animi tui igniculos, ſuaui illo afflatu ſuo perbelle fouet, excitat & alit: adoleſcentiamque tuam, vt prudens eſt ac circumſpectus, ad amuſſim, vt aiunt, & perpendiculum dirigit. Cuius diligentiæ, eruditioni & prudentiæ, vtinam, ô vtinam multos ſimiles haberet Gallia noſtra, nobilium adole-*

*ſcentum mater fœcunda. Sane, vt non
dubitat Agamemnon, quin ſit breui Tro-
iam capturus, ſi decem illi dentur συμφρά-
δμονες Neſtoris ſimiles; ita ego non dubi-
to, quin breui Gallicanæ nobilitatis filii,
literarum & virtutis arcem oppugna-
turi, capturi & ingreſſuri ſint, ſi decem
dentur in Gallia Morelli ſimiles. Sed ad
te redeo, Adoleſcens incomparabilis, cui
vel abſolutæ laudis & longi encomii in-
ſtar erit placere Chriſtianiſſimo & libe-
raliß. Regi* CAROLO, *eiuſq; matri Re-
ginæ omnium non modo quas noſtra vi-
dit ætas, ſed quas veterum etiam annales
referunt, prudentiſſimæ; &, quæ Regum
ac Reginarum ſumma eſt virtus, in de-
ligendis quos diligat, diligentiſſimæ. At
vereor ne prolixiore epiſtola tibi moleſtus
eſſe pergam, quare finem facturus ſum,
vbi per generoſam indolem tuam, & be-
ne auſpicata laudum tuarum initia, te
obſecrauero, ne committas, vt cum ha-
ctenus ceteros tibi coætaneos & coæqua-
les viceris, à te ipſo vinci videaris. Dii*

cœpta

cœpta secundabunt, & egregios istos conatus tuos promouebunt. Feliciter vale, & MIZALDVM tibi mancipatum, siquidem dignum ducis, amare incipe, vel potius perge. Lutetiæ pridie Ascensionis in cælum IESV CHRISTI hominum Seruatoris,

1566.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN SINGVLIS CENTVriarum Aphorismis continentur,

CENTVRIA I.

Imago

Fulmi-

CENTVRIA II.

Infan-

CENTV-

CENTVRIA III.

Vermes

CENTVRIA IIII.

Pocula

CENTVRIA V.

Aurum

CENTVRIA VI.

Annulus

CENTVRIA VII.

CENTVRIA VIII.

CENTVRIA IX.

Equos

Finis indicis.

ANTONII



ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM

CENTVRIA I.

NÆ illud in primis memorabile videtur, ac summe admirabile, quod a Ioanne Boccatio traditum est de eo, qui dum in horto, iuxta saluiæ fruticem, cum amasia hilariter luderet, & dentes ac gingiuas foliis eiusdem confricaret, ex tempore mortuus corruit. Cum vero amasia veneficii argueretur a iudice, & decerpto folio ex ipsamet saluia, ostenderet amasium hoc modo, quo tunc ipsa, detersis dentibus & gingiuis obiisse, obiit & illa: magna certe omnium admiratione. Vnde iudex admodum prudens, de saluia male suspicatus, eam radicitus extirpari, & Vulcano committi iussit, ne aliis simili esset exitio. in eam rem dum ab horti colono sedula nauaretur opera, ecce bufo prægrandis & luridus sub ea, qua maxime refici aiunt, stabulans apparuit: qui viroso halitu, & tabifica illuuie pestilentique saliua totam plantam inficiebat. Quod animaduertit ille qui scripsit, Cur morietur ho- 1

mo cui ſaluia creſcit in horto? ſibique deinceps cauere. hinc proſpicient qui illotam & inexpiatam ſaluiam temere olfaciunt, mandunt, in ſinu geſtant, aſſandæ bubulæ defigunt, condimentis toſtorum capunculorum (ſaluiata vocant) paſſim iniiciunt, &, quod neruos iuuet, poculis ac iuſculis affatim innatare permittunt. Cæterum, viroſa ac peſtilens ea maxime cenſetur eſſe, quæ foliorum pinnas veluti carbunculatas præſefert, eſtque toto habitu, nedum foliis, retorrida, emaciata, & languidula, ac ſi ſphacelismo laboraret, aut ſideratione aliqua percelleretur. Sed hæc ſatis. Qui plura volet, conſulat noſtra hortorum Secreta & auxilia. I. Boccatius.

2 Et ſi rarum eſt vermes in cerebro generari, id tamen noſtra memoria viſum eſt. Et cuidam Italo ex frequenti odoratu ocimi hortenſis, ſeu baſilicæ herbæ, natus ſcorpio in cerebro, vehementes dolores & longos, mortem denique attulit. Quod ocimophilis ſummopere notatum velim. Autor Iacobus Hollerius, nobis in medicina præceptor, & doctor numquam obliuiſcendus.

3 Dum quædam iuuencula in gynæcio cuiuſdam Principis Germani ſeſe ad ſpeculum adornaret, detentis in ore aciculis quibus peplum componeret, ab amaſio principe clanculum a tergo ſubeunte, inter ſcapulas percuſſa, ingemiſcens aciculas illas omnes deglutiuit: quas biduum poſt illæſis vreteribus eminxit. Autor Ioan. Langius, illuſtriſs. Comitum Palatinorum Rheni medicus doctiſs.

4 Experientia quotidiana compertum eſt, ſubmerſorum corpora, vbi in conſpectum producuntur, eorumque qui ſunt interempti, vel confoſſi, præſentibus amicis, aut eo qui interitus cauſa illis extitit,

extitit, ſanguinem e vulnere, naribus, aut alia corporis parte profundere. Autores Lucretius, Philippus Melanchthon, Ioannes Langius, Leuinus Lemnius, & alii plerique.

Vulpes per æſtatem morbo, ab eis alopecia nominato, qui pilorum defluuio conſtat, frequentiſſime laborant. Vnde pelles captarum eo tempore non ſolum inutiles, ſed etiam noxiæ eſſe ſolent. Quod videant qui vulpinis pellibus nullo delectu veſtes ſibi per hiemem ſuffulciunt. Ex Alberto. 5

Mortuus fœtus quandoque geſtatus fuit in vtero muliebri, ſupra annos quatuor: qui tandem opera & conſilio peritorum medicorum ac chirurgorum membratim per aluum exẽptus eſt ſuperſtite matre, quæ biennio poſt denuo cõcepit, ſicuti memorabili hiſtoria proponitur a Matthia Cornace Maximiliani Roman. Regis medico doctiſs. qui, dum ſecaretur mulier, interfuit ac præfuit. 6

Oua noctuæ elixata, & infantibus pro cibo data, illos tota vita abſtemios reddunt, vt in Apollonii vita ſcribit Philoſtratus. Idem præſtant anguillæ in vino ſuffocatæ, ſi ex eo bibant qui plus ſatis mero indulgent, & hinc offenduntur ac delinquunt. Inducit etiam vini faſtidium rana viridis ex iis quæ in fontibus ſaliunt, ſi viua in eo ſuffocetur: ſicuti propediem, fauente Domino, pulchra hiſtoria confirmabimus, in noſtro quadrupedum medico opere. 7

Si bouem aut aliam quamuis quadrupedem ſerpens momorderit, melanthii acetabulum, & quod medici vocant, ſmirneum, conterito in vini veteris hemina. Id per nares indito, & ad ipſum morſum ſtercus ſuillum apponito; atq; hoc idem, ſi vſus venerit, homini facito. Autor M. Cato. 8

9 Pantarbem lapidem ad se aurum allicere, vt magnes ferrum memoriæ proditum est a Philostrato ac Tzetze. Est & ab Æliano scriptum idem aurum accipitris ossa attrahere. Adhæc a Brusonio, adnotante Georgio Fabricio, gallinarum ossa auro liquescēti admista, illud in se consumere.

10 Thus albissimum in pollinem attritum, & cum vino, si frigus erit; vel aqua decoctionis passularum, si æstas, epotum in Lunæ augmento, oriente Sole, necnon in meridie, & occasu, mirum in modum memoriam augere fertur, & cerebro ac ventriculo prodesse, Autor Rasis.

11 Quartanam curat aliquid gestatum de osse brachii humani & summitate alæ anseris, vt scribit Geber. Apud quem etiam lego, quod contra arthritidem & quoduis hulcus depascens, summe prodest humani brachii, vel tibiæ, os combustum, facto puluere ex eo quod album intus mā-sit, & parti affectæ apposito.

12 Aqua ex stercore humano chymicis organis distillata, auro & argento pondus adauget. Et si hydropicus homo vel ictericus propriam vrinam ieiunus per dies aliquot biberit, valde iuuabitur, Auctor Hermes. Cui ascribendum, quod dens hominis appensus collo eius qui dentium carnificina excruciatur, dolorē tollit: maxime si perforata faba ei addatur cui sit immissus pediculus, & serico panno inuoluatur, eoque modo quo dictum est, suspendatur.

13 Laurentius Miniatus familiaris meus, inquit Iouianus Pontanus, amico suo doloribus capitis pene quotidie laboranti, impressa Arietis imagine, remedium attulit. Hanc calarii in auro fecit, primo Arietis gradu ascendente, Ioue ibidē constituto.

ſtituto, nulliſque infelicium ſtellarum radiis percuſſo, imo Luna Venereque amice intuentibus.

Philinus, vt Plutarchus & Athenæus ex Ariſtotele & Theophraſto referunt, nullo alio cibo vel potu quam lactis alimonia toto vitæ curriculo vſus fuit. Et Zoroaſtres magus, adnotante Plinio, annos xx. in deſerto ſolo caſei eſu vixit, tali artis induſtria temperato, vt vetuſtatis acorem non ſentiret. 14

Quibus ampli & capaces ſunt pulmones, multiſq; foraminibus peruii, diutius anhelitum cohibent, ac celeriter currendo viam multam conficiũt. Iidem egregii ſunt vrinatores, & fundo aquarum longo tempore inhęrent, ſuffocatique ac vndis obruti, paucos poſt dies emergunt, Lemnius. 15

Vbi ex maternis latebris recens prodierit infans, diligenter ac circumſpecte præcidendus eſt illius vmbilicus, iuſta longitudine eminentiæ, prę ſertim in maſculis; in quibus præcipuum generationis organum ſequitur vmbilici proportionem. Sic in fœminis curte nimium religatus, ætatis progreſſu pariendi conatus reſtringere poteſt. Ex Matthia Cornace medico. 16

Raptam ouem, dum perſequentes audit lupus, illæſam portat, ne balatu ei faciat curſus impedimentum, vt ſcribit Albertus. Addit ille idem, quod lupi ſenes facile capiuntur. Nam accedunt ad ruſticorum domos, & ſe in periculum præcipitant, quaſi vitam exoſi. Sunt enim longæui, & dentes ſenio amittunt, nec amplius ex rapto viuere poſſunt. 17

Infantes plerique in lucem prodeunt obducto capite veluti pileo, aut vitra quadam membranoſa, vel capitio monachali. Quod maritos in 18

ſuſpicionem ſuarum vxorum quandoque pertraxit, vt de hiſtoria teſtatur Anton Guainerius. Ab eo tegmine obſtetrices & deliræ aniculæ, infantibus bona, ex colore rubicundo, vel mala, ex nigricante præſagire ſolent. Hinc ſane crediderim Gallicum prouerbium natum fuiſſe, *Il eſt nay coiffe*, natus eſt vittatus, vel pileatus, de eo cui vltro ſuppetunt bona, partumque eſt amplum a parentibus patrimonium. Non omittam quod obſtetrices apud nonnullos, magno ſolent vendere huiuſmodi pileos infantiles credulis aduocatis, qui hinc ſe adiuuari putant, Autor Leuinus Lemnius.

19 Ad ſanandos genitalium dolores, & ſanguinem cohibendum, antiqui ſculpebant in lamina cupri figuram Scorpii, hora Saturni, ſurgente tertia facie Aquarii cum eodem Saturno. Et aduerſus podagram ſigillum Piſcium. Sic ad memoriæ & ingenii præſtantiã annulum ex auro puro fabricabant, in quo clauſus eſſet adamas ſub coniunctione Saturni & Iouis in Ariete. Hermes.

20 Traiano Cæſare orbi imperante, quidam laborans diuturna dyſuria, tandem eminxit geniculatum hordei calamum. Et adoleſcens Plutarchi tempore, magna cum ſpermatis vbertate, animalculum excreuit hirſutum ac multipes.

21 Cochleæ tritæ & fronti illitæ, ſanguinem e naribus immodice fluentem ſiſtunt. Et lapis ſpongites in vino albo, vel ſucco raphani ſolutus & potus, lapidem in veſica frangit. Præterea ranarum cor, & maxime fluuiatilium, febricitantibus ſpinæ adalligatum, febriles algores minuit. Sunt qui cordis regioni etiam admoueant, ad mitigandos cauſonum æſtus & incendia.

22 Diſſectis ante plenilunium pullis hirundinum
ex

ex prima fœtura, duo lapilli reperiuntur in illorum ventriculis, quorum vnus concolor, alter vero diſcolor habetur. Hi priuſquam terram attigerint, ſi in buculæ, aut cerui aluta includantur, & brachio vel collo aptentur, comitiales ſanabunt, nedum iuuabunt. Ex relatione cuiuſdam Itali, qui ſe id expertum fuiſſe mihi aſſerebat.

Extat hiſtoria memorabilis ſcripta ab Ægidio Herthoge medico Bruxellenſi de muliere quę annis 13 ſceletum fœtus mortui vtero geſtauit; quod tum a matre, tum omnibus vterum contrectantibus percipiebatur. Sed non tradit quem habuerit ſucceſſum: nam mulier ea dum hiſtoriam ſcriberet, optime valebat, ſuaq; munia tam domi, quam in agris, cum marito ſtrenue obibat. 23

Lupus herbas niſi ægrotus non edit; tunc enim remedii cauſa, gramen herbam frumenti, & rapiſtrum decerpit, quæ illi vomitum prouocant. Auctor Auguſt. Nyphus. Addo ex Alberto, quod lupis & canibus ſimiliter accidũt quidam morbi, nimirum rabies, cynanche & podagra. 24

Dictamnum ex aqua vel vino hauſtum, partus admodum faciles reddit, etiam ſi fœtus mortuus ſit, vel tranſuerſus agatur. Idem præterea ſecundas expellit. Quod & pulegio multi aſcribunt, ſicuti caſus perſæpe probauit. 25

Amant ſic columbæ tinnunculum qui noſtra eſt quercerella, vt referat Columella ex vetere Democriti præcepto, quod ſi eius pullos in ollis fictilibus quis defoderit, & ſtipantia opercula ſuperpoſuerit, gypſoq; oblita in colũbarii quatuor angulis ſuſpenderit, tantum loci amorem columbis conciliabit, vt eius deſiderio numquam mutent ſedem: adeọ amicum etiam poſt mortem amant. 26

27 Humor in folliculis vlmi nascens, faciem reddit gratissimam & perpolitam, si eo detergeatur. Confert etiam mirum in modum pueris enterocœlicis, duplicatis linteolis in illo madefactis, & sub perizomate, seu femorali coaptatis. Ex cuiusdam chirurgi experimentis.

28 Lembergi in oppido Silesiæ, vt scribit Ioan. Langius, quædam mulier grauida sacerdotem nudis pedibus & lotis e balneo egressum, subsequuta, pedum eius desiderio capta, clam à tergo in genua eius procidit: ambabusque manibus altero crure apprehenso, frustum dentibus euulsit: nihil expauescens clamorem sacrifici deûm hominumque fidem implorantis.

29 Animi defectu collapsi eriguntur vellicato articulo digiti annularis, seu medici: nec non attritu auri ad eundem cum croci momento. Per hunc enim vis quædam refocillatrix ad cor, vitæ fontem, dimanat. Lemnius.

30 Pipionem habebis exossem, si exenteratum, in acri aceto per diem naturalem maceraueris: deinde probe lotum, & aromatibus, addito fœniculi semine, infarctum elixaueris, vel assaueris. Nam sic illius ossicula adeo tenerescent, vt vna cum pulpa & carne mandi possint, Autor Ioan. Baptista Porta.

31 Si in lamina auri purissimi figura Leonis sculpatur Sole versante in Leone, & Luna non aspiciente sextam domum, nec domino ascendentis Saturnum vel Martem, Lunaq; ab illis recedente, valebit sigillum huiuscemodi circa renes gestatũ, ad sæuissimos illorũ dolores & cruciatus abolendos. Et si componantur trochisci ex puluere selecti olibani cum hircino sanguine, imprimanturq;

in

in dicta lamina, & ſiccati ſoluantur in vino albo
quod a ieiuno bibatur, mirabilem effectum habe-
bunt aduerſus calculos renum & veſicæ lapidem.
Andreas Cordubenſis ad ſummum Pontificem
Gregorium, & Albertus re & cognomine Magnus.

Inter roſas, lilia & allia, arcanum eſt commer- 32
ciũ. Nam ſi propius ferantur, vt ſe aſpiciant, vel cõ-
tingant, flores roſarum & liliorũ odoratiores eua-
dent, ac præſtãtiores adoleſcent: quemadmodum
in noſtris hortorum Secretis fuſe mõſtratum eſt.

Corallium ingenioſo artificio ad hunc mentie- 33
ris modum. Cornua hirci deraſa in puluerem &
ſcobem conuerte, eaque forti lixiuio ex lignis
fraxini compoſito, diebus xv. infunde. Poſtea ex-
trahe, & cinnabari in aqua ſoluto miſce, & lento
igni committe, vt fiat ſpiſſamentum. Id ſi veri co-
rallii præ ſe feret colorem, in quas viſum erit for-
mas effinge, ſicca, & ſecundum artem expoli. Ex-
perimento conſtat.

Decoctum corticis populi albę iſchiadicos ſum- 34
me recreat. Quod etiam præſtat ſuccus frondium
geniſtæ in aceto maceratarum. Et veſica ſuis quæ
terram non attigit, pubi impoſita, vrinam ciere
fertur. Plinius.

Salſam carnem dulcem ac delicatulam reddes, 35
ſi eam prius in lacte coxeris, deinde in aqua. Addi-
mus, licet parergon, quod ſi ex lupi inteſtino funi-
culum feceris, & illum ſub arena, aut terra ſepeli-
ueris, equos & ouile pecus hac tranſire prohibe-
bis, etiam ſi fuſte adigantur. Albertus.

Oculorum defluxionibus miro ſucceſſu auxi- 36
liantur globuli e ſuccino, ſeu ambra, annexi occi-
pitio. Iidem etiam collo geſtati præpediunt ne
deſtillationes in guttur ferantur. His addo quod

caudex betulæ procedente vere incisus, vel castratus, ingentem copiam aquæ reddit, cui vis inest maxima ad comminuendos renum calculos si bibatur. Andreas Mathiolus in Dioscor.

37 Aristoteles subministrante Alexandro Magno accepit octingenta auri talenta, seu quadringenties & octuagies mille coronatos, cum tribus hominũ milibus qui siluas, auiaria & viuaria omnis generis disquirerent per Europam, Asiam, & Africam, vt omnia genera animãtium ad se deferrẽt, quo variis illarum dissectionibus confectis, de earundem vniuersa natura accuratissime scriberet, Auctor Ioan. Bodinus Andegauensis, in præclaris illis & doctiss. suis Comment. in libros Oppiani De venatione.

38 Omnis morsus serpentis ieiuni, ieiuno homini vel animali inflictus, maxime nocet: estque multo perniciosior dum incubat. Cæterum, vbi ex anguibus metus ingruit, optimum est non ante progredi, quam aliquid cibi præsumptum sit, ac degustatum. Sed omnibus hominibus suum etiã inest contra serpentes venenum: nam ictas saliua, ceu feruentis aquæ contactu, fugere aiunt; & si in fauces penetrauerit, mori: idque præcipue humani oris ieiuni, Plinio auctore.

39 Tradit cum Diodoro Herodotus, Ægyptios & Chaldæos quouis mẽse triduo se vomitu purgare, & clysterib. intestina eluere, sanitatis conseruãdæ ergò. Arbitrãtur enim omnes corporis languores ex cibis & aeris mutatione oriri. Hinc Xenophon tradit Socratẽ tam sobria diæta animum corpusq; formasse, vt pane tãtũ lacte macerato vesceretur.

40 Capilli vt aurum flauescent, si acceperis aluminis rupei vncias sex, vitrioli vncias quatuor, sa-
lis

lis nitri vncias duas, & ex iis ſtillatitiam aquam extraxeris, capillitiumque vel cæſariem ſpongia in ea madefacta & tantillum expreſſa, tinxeris ac identidem repetiueris.

Magna eſt aſparagis ſocietas cum arundine: vnde in arundinetis optime ſeruntur, ibique lætiores proueniunt. Sic amygdalus ſolitaria, minus ferax eſſe ſolet, aliis vero ſociata, fertilis admodum ac fœcunda euadit. Plinius. 41

Strabo refert apud Sabęos ab odoribus ſtupefactos incolas, vti etiam aduenas, bituminis ſuffitu, hirciq; barba incenſa recreari, contrario nimirum odore. Sic videmus quoſdam ruſticos in aromatariorum officinis & myropoliis ingreſſos, deliquio animi periclitari, niſi confeſtim illorum naribus fimum equinum (cui ſunt aſſueti) adhuc tepidum & recens ac fumans admoueatur: vt ſimiles habeant labra lactucas. 42

Lepus annis decem fertur viuere, & catus totidem: capra octo: aſinus triginta: ouis decem, ſed vir gregis ſæpe quindecim: canis quatuordecim, & quandoque viginti: taurus quindecim: bos, quia caſtratus, viginti: ſus & pauo, viginti quinque: equus viginti, & nonnumquam triginta: inuenti ſunt qui ad quinquageſimum peruenerint: columbi octo, vti etiam turtures: perdix viginti quinque, vt & palumbus: qui nonnumquam ad quadrageſimum peruenit. Ex Alberto. 43

Salicis folia, vt etiam cortex, ex vino cocta podagricos fotu adiuuant. Adhæc ſambuci, vel ebuli cauliculi cum adipe hircino taurinove triti, & emplaſtrati. Addo quod allii nucleolus ante acceſſionem quartanæ comeſtus, calorem mouet, qui Celſo auctore, horrorem non admittit. Teſtatur inſuper Icethydes medicus apud Plinium, 44

easdem quartanas finiri coitu, sed incipientibus duntaxat menstruis.

45 Cum volueris fugare mures de aliquo loco, insculpe stanno vel cupro, ascendente tertia facie Capricorni, imaginem cati habentis murem in ore suo. Et dum figuras eam, dicito: Ligo omnes mures per hanc imaginem, vt nullus in loco vbi fuerit, manere possit. Deinde sepeli in medio loco inuolutam corio cati, & mirum videbis experimẽtum. Hæc ex libello Ptolemæi de Imaginibus.

46 Aureas literas sic facies absque auro: Accipe auripigmenti & crystalli singulorum vnciam vnam: redigantur in puluerem, mixtisque ouorum albuminibus diu agitatis, fiat liquor ad scribendum, vel pingendum appositus, Ex Alexi Pedemontano.

47 Indicibilis est familiaritas inter oleam & myrtum. Nam vt refert Androcius, myrti brachia, virgultaque iucunde per oleam repunt, ac ambarum radices mutuo amplexu amice sociantur. Nec alia planta præter myrtum iuxta oleam perbelle surgit.

48 Experimento certissimo compertum est, bituminis suffitu, siue crudum sit, siue vratur, mulieres vtero strangulatas extemplo reuocari. Quamobrem nonnulli fœminarum collo, quæ ei morbo sunt obnoxiæ, lanâ exceptum appendunt, vt crebro olfactu paroxysmum arceat.

49 Capillos sic denigrabis: Tere herbam callitrichum ex oleo, & coque cum ouo coruino, talique vnguine capillum sæpius illine, & nigrescet. Quod si cutem albissimam ac delicatam habere voles, fac vt libra vna lithargyri argenti in aceto distillato ferueat, quo partes suauiter madefac & illine.

In

In arthritide & chiragra non eſt quod mortem 50
quiſquam pertimeſcat, niſi circa ſiniſtrum pecto-
ris ſinum,cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, hu-
morum colluuies decumbat. digituſq; annularis
ſiniſtræ manus nodoſus efficiatur, ac valde intu-
meſcat Autor Leuinus Lemnius.

Accipiter columbino generi hoſtis eſt infenſiſ 51
ſimus, ſed a tinnunculo, ſeu quercerella, tuetur,
cuius conſpectum vocemque reformidat. Quod
columbas non latet. Nam vbicumque reſidet tin-
nunculus, tanti protectoris fiducia, a loco non ſe-
cedunt, etiam ſi propius adſit accipiter. Ioan. Ba-
ptiſta Porta. Vide Aphoriſmum 26.

Cum volueris fugare ſerpentes de aliquo loco, 52
vt nec tibi, nec item aliis noceant, fac imaginem
duorum ſerpentium in æris lamina, ſecunda facie
Arietis aſcendente: & dum ſculpitur, vel fuſilis
proiicitur, dic, Ligo ſerpentes per hanc imaginem
vt nemini noceant, nec quemquam impediant,
nec diutius vbi ſepulta fuerit permaneant. Dein-
de conde imaginem quo loco putabis adeſſe ſer-
pentes, & ilico fugient, quaſi obiecto igne. Si qua-
tuor feceris imagines, eaſq; in quatuor angulis lo-
ci ſepelieris, multo tutius egeris. Quod aliis etiã
imaginibus rite accommodabitur Ex Ptolemæo.

Ælianus teſtis eſt pedem accipitris non aliter 53
aurum trahere, quam ferrum magnes rapit. Sunt
qui eodem auro hydragyrum euocant, etiam e
corpore eorum qui Neapolitano, Hiſpanove vn-
guine illiti fuerint, vt alio dicemus loco.

Hederæ folia in vino elixata medentur omni- 54
um generum vlceribus, etiam iis quæ cacoëthea
& chironia vocant. Quibus itidem auxiliatur
anethi ſemen combuſtum: Nam illa deterget,

carne replet, ac ſolidat. Addo, quod cichorii nodus in brachii plicatura delatus, oculorum delachrymationes emendat, & tandem abolet, Autor Arnaldus a Villanoua.

55 Si voles tingere ſetas ſuillas variis coloribus, ſic age: Vbi diligenter elotæ fuerint, & in aqua aluminoſa coctæ, mittatur, dum adhuc calent, in aquam croco intinctam, ſi flauas habere velis. Vel in ſuccũ aut vinum acinorũ ſambuci, vel ebuli, ſi cæruleas. Aut in dilutũ floris æris, ſi virides, & ita de aliis coloribus. Idem licebit experiri in pennis volucrum.

56 Mulier quædam vterum ferens, deſiderio humeri piſtoris denudati dum panem ad furnum defert, omnem cibum penitus faſtidiebat, præter carnem de humero dicti piſtoris. Maritus perchara vxoris miſertus, certam pecuniam pro ſingulis morſibus pactus, fecit vt ille duos dentium mulieris inſultus ſuſtinuerit: tertium vero, doloris pertæſus, cum amplius ferre nollet, hinc mulier tergeminos eſt enixa, duos viuos, & tertium mortuum. Autor Ioan. Langius.

57 Vitis laurum non amat, quia eius odore deterior redditur: eam enim olfacere & allicere dicũt. Quamobrem cum germen vitis ad laurum acceſſerit, retro graditur, inimicum fugiens odorem. Sic lappa lenti aduerſatur: & cicer herbas omnes enecat, vicinaque omnia ſtrangulat cytiſus, Bapt. Porta.

58 Mos inoleuit apud veteres vt digitus qui medio & minimo interiacet auro inſigneretur, talique geſtamine decorus eſſet, potius quam cæteri. Quod tenuis quidam arteriæ ductus (non autem nerui, vt Gellius exiſtimauit) a corde ad hunc digitum porrigatur. Cuius motus in parturientibus

bus & delaſſatis, omnibuſque cordis affectibus tactu manifeſte deprehenditur, Lemnius.

Puella inſigni pulchritudine decora: ſed napelli veneno educata, ab Indorum rege doloſo muneri Alexandro Magno data fuit. Cuius ſcintillantes & ſerpentum more nictantes oculos cum Ariſtoteles vidiſſet, ô Alexander, inquit, caue tibi ab hac; nam virus peſtilentiſſimū alit, vnde tibi exitium paratur. Nec iudicio defuit euentus: plerique enim proci, puellæ huius commercio intoxicati, interierunt. Autores ſunt Ariſtoteles, Plinius, Auerroes, Galenus, Auic. & alii multi. 59

Leonem valde exterrere fertur galli gallinacei cantus, albi præcipue & maxime viſa eius criſta: cuius aſpectum ne ſuſtinere quidem poteſt. Hinc nimirum recte ſcribit Proclus, dæmones leonis formâ aliquando apparuiſſe, qui obiecto gallo diſparuerunt. 60

Ligna & tabulata alumine illita non ardeſcunt, vt nec poſtes, fores, aut lacunaria ære viridi imbuta, modo cruſta durior iis obducatur, & alumen, plumbique albi cineres, pigmentis copioſe miſceantur. Cuius rei ſpecimen edidit Archelaus Mithridatis præfectus in lignea turri contra Syllam, quam fruſtra incendere conabatur: eo modo quo Cæſar caſtellum ex larigna materia conſtructum circa Padum, vt tradit Plin. 61

Remorantibus vrinis & coli cruciatibus medetur aqua ablutionis pulueris ex genitali cerui epota. Quin & puluis ipſemet dyſentericos valde iuuat. Valet etiam iis medicamentis remiſtus, quæ ſopitam Venerem excitant, Andr. Matthiolus. 62

Vermium terrenorum cineres, aut ſtercoris murium, vel ceruini dentis, dentium exeſorum 63

cauernis immissi, illos absque ferro & machinulis eradicant. Præterea si lapis repertus in capite oblongi limacis, ad læuorem teratur, & oculo infletur, omnes eius maculas detergebit, obliterabitque: siue vnguis fuerint illæ, siue leucoma, nebula, aut quid aliud.

64 Genuina est hydargyri proprietas, pituitā ab vlceribus & membris extremis ac longinquis arcere, & per fauciū adenes, paristhmia, oris poros & gingiuas expurgare. Sed hepati, cerebro, neruis, ossib. dentibusque, non tantū suo frigore, sed tota substātiæ forma specifica summe est noxiū, Langius.

65 Hibernis mensibus aqua vitæ sesquidrachmæ seu cochlearis mensura sacchare optimo edulcata, adiecto primarii panis exiguo bolo, ne cerebrum feriat, vel hepati quid noxæ adferat, salubriter e[illegible]r ieiunis obesis, pituitosisque corporibus, vt nu[illegible]ores excrementitios concoquat, & illorum corpora a lethargo, apoplexia & morbis frigidis vindicet, Lemnius.

66 Puluis magnetis triobolari pondere epotus ex succo fœniculi, hydropicis aquas detrahit. Et magnes ipse capiti admotus, dolores, omnesque eius querelas obliterat Quod ex veterum commentariis se transtulisse scribit noster Hollerius.

67 Argenteas literas sic facies absque argento: Sume stanni opt. vnciam vnam, argenti viui vncias duas, misceantur & liquescant. Deinde terantur cum aqua gummata, & ex ea materia vbi opus erit, formentur literæ.

68 Acorem & corruptelam omnem sic depones a vino. Accipe iustam quantitatem ciceium, & ea oliuo nunge, coque, tere, vt fiat crassamentum velut maza & pasta Ex ea proiice libram mediam

diam in vinum quod tendit ad acredinem, & sapor ille intra diem naturalem emendabitur.

Alimenta fulmine vitiata perniciosa sunt ac summe noxia. Nam illi inest virulentia quædam ac pestilens lues, ex qua spiritus venenatus in cōtactu diffunditur. Quod scire interest, ac meminisse expedit. 69

Tradunt seduli rerum naturalium perscrutatores, coaceruari vermes inuolucris intestinorū cerui, & serpentiū esu necari, quos spiritu narū ex cauernis elicit. Ne vero illorū virus ei obsit, ad fontes aquarum properat; in quib. dum ad labia vsq; mergitur, ex oculis lentæ distillāt lacrimę, quæ viscedine sua in maiorib. cāthis ad nucis iuglandis magnitudinē concrescunt, & quodā modo lapidescunt. Vbi vero sese veneno exoneratū sentit, aqua egressus, attritu oculorum ad arbores, tophum illū, visus obstaculum, (lapidem si placet, appella) excutit. Quem efficacissimū esse aduersus venena testes sunt magnæ autoritatis & antiquitatis medici quā plurimi. Talem gloriantur se vidisse Iulius Scaliger, & Amatus Lusitanus: traduntq;, peste correptis efficaciter dari cū vini momento. Nam tantus illius vi & præsidio cietur sudor, vt pene totum corpus eliquari credas: quo vno pestilēs virus foras truditur. Lapidē hunc Arabes medici *Bezoard* vocāt & ab eo Alexipharmaca, remedia aduersus venena, Bezoardica. 70

Philetas poëta Cous plumbeis vsus est soleis, ne a vento ob corporis exilitatē euerteretur. Et Osiander theologus, vt scribit Georg. Fabricius, auream catenam collo gestauit, ne lepra theologorum, quæ Græcorum medicorum est ele- 71

phantiasis, interficeretur.

72 Coturnices & capræ Helleboro, vt sturni cicuta innocenter vescuntur, vel Lucretio teste, Epicureorum scholæ discipulo, & philosopho argutissimo:

» *Præterea nobis* (inquit) *veratrum est acre venenũ:*
» *At capris adipes & coturnicibus auget:*
» *Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta*
» *Barbigeras pecudes: hominι quæ est acre venenum.*

73 Menstruatus pannus radicibus arborum cõsepultus & maxime iuglandis, illam paulatim enecat, vt Democrito geoponico visum est. Addo, quod si quis verbasci plantam mane dum flores aperit leniter concusserit ad vnum omnes sensim defluent, ac si planta exsiccata esset, vel siderata. Quod magicis artib. fieri arbitrabuntur rerũ ignari: præsertim si qui excutit, verba quædã obmurmurare fingat. Autor Ioan. Baptista Porta.

74 Ex asbestino lino & amiantho lapide lintea contexunt Indiani, quæ in ignem proiecta flammam quidẽ concipiunt, sed ab eo non consumuntur, aut detrimentum vllum accipiunt, quin potius exempta splendescunt, nihilque illis deperit Discorid. Plin. & alii multi. Tale habuisse aiunt Carolum. V. Imperatorem.

75 Vaccarum vngulæ ex prioribus pedibus exutæ, crematæ, & in subtilissimum puluerem redactæ, lac nutricibus augent, si illis exhibeantur in iusculo, vino, vel liquore alio idoneo. Eædem carbonibus impositæ, mures suffitu enecant, vel alio abigunt. De experimento cuiusdam Hispani.

76 Cochlearia ex ficulneo ligno facta hoc habent peculiare, quod carnes ad celerem coctionem adigunt, si elixationi earum sæpius admoueantur,

antur, vel cum illis vna elixentur. Quod vitri fragmento multi etiã aſcribunt de experientia. Sed aiunt, vitrum illud debere eſſe conflatum ex cinere fœni vel filicis.

Qui hydrargyro, ſeu viuo argento, vitiatas aquas ex montibus ſcaturientes bibunt, iis chocradibus aut ſtrumis, necnon bronchocœle, ſeu gutturis hernia & tumore ad ſternum pendulo collum turgere ſolet. Ex quo recte præcepit Vitruuius, vt ex membratura vel habitu corporis incolarum pulchro & deformi, naturas aquarum illius regionis exploremus. 77

Aqua vitæ, foris admota, opportune auxiliatur neruis, muſculis & membris algore oppreſſis, omneſque affectus dolorificos qui in frigidis humoribus conſiſtunt, perbelle diſcutit, vi calorifica ac penetrandi celeritate. 78

Oleum ex ſulphure ad hunc fit modum. Sulphur in œnoſtagmate (ſtillatitio vino, ſeu aqua vitæ) feruefit, dum enatet lentor quidã, lana molliore, vel attrito linteo rapiendus, aut conchula alioquin excipiendus. Aliquoties commutanda eſt aqua, donec ſatis olei collectum ſit. Hoc demerſum corpori hydrargyrum foras allici volunt, ſtatim illito à balneis. Iacob. Hollerius. 79

Si in ſiniſtra manu habueris cor caninũ, in cuiᵒ centro ſit defixus dẽs canis, te præſente oẽs canes cõticebũt: maxime ſi vtrũq; ſit ex nigro cane acceptũ. Quod pro vero & cõperto mihi traditũ eſt. 80

Margaritas & vniones ſic finges: Accipe candidos lapillos ex capitibus vel oculis piſcium; quos munda, ſicca, puluera, & agitatis, deſpumatiſque ouorum albuminibus excipe, miſce ac tamdiu moue donec fiat velut maza & ſpiſſa. 81

mentum ex quo vnionum corpuſcula, dum recens& tractabilis eſt materia effinge,& ſeta ſuilla vt fiat foramen transfige. Tum demum reſiccata coque in lacte vaccino, & ſecreto loco procul a Sole & puluere iterum ſicca, donec perfectam duritiem induerint. Videbis quod placuiſſe queat.

82 Cælum crebro tonitru reboans ſubitam & inſperatam mutationē vinis multis inferre ſolet. Quod ſi vinariæ cellæ ſubterraneæ & teſtudinatę fuerint, minus detrimenti accipient vina, quā ſi tabulatis conſtructæ ſint. Præcautio erit, antequam tēpeſtas ea ingruat, vaſis vinariis laminam ferri cum ſale, aut ſilices ſuperponere, Leuinus Lemnius.

83 Quum Ariſtoteles in Chalcide exularet, & Euripi anguſti in Eubœa freti, ſepties interdiu noctuque alternis fluctibus ſtato tempore reflui, cauſam reddere non poſſet, mœrore cōtabuiſſe, & hinc morti occubuiſſe fertur. Autores ſunt Iuſtinus Martyr, Plutarchus, Crinitus, & alii.

84 Dentes apri recenter occiſi adeo feruent, vt crines aut ſetas, ſi quis admouerit, exurāt. Quod ſe atroci dente ira inflammatus aper, cōtra perſecutores vlciſcatur, auctor Xenophon.

85 Struthiones conflata auro, vel alio metallo, numiſmata in horto ducis Ferrariæ deglutire & cōcoquere vidi, inquit Ioan Langi⁹. Addit quod cum metallorū ſcobē adeo appetant mures, credibile eſt eos metalla cōcoquere, ac his nutriri. Quos Theophra. in Syaro inſula expulſis incolis ferrū quoq; arroſiſſe tradit. Referunt & Lauinii argenteos clypeos corroſiſſe, ac magnam apud Chalybas in ferrariis officinis iacturam feciſſe.

Adeo

Adeo diſſident homines & ſerpentes irrecon- 86
ciliabili odio, vt ſtatim viſo ſerpente expaueſcat homo: & fœmina vterum gerens, partum abortu vitiet. Nam ſtatuta eſt à mundi primordiis inter hanc & illum irreparabilis inimicitia, & indicibilis antipathia.

Inter ea quæ calorem natiuum augent & exci- 87
tant, ac dolores quorumcumque membrorum demulcent, primum locum habent catelli, non omnes quidem, ſed ii præcipue quibus pilus eſt concolor. Sic in chiragra, podagra & omni arthritide nihil præſentius ad conſopiendos cruciatus, quamlibet efferatos, ſi parti affectæ adhibeantur. Leuinus Lemnius.

E Proculo Cæſare centum virgines intra dies 88
quindecim fœtum conceperunt. Et Artaxerxes centum ac quindecim filios habuit. Porro, de Socrate illud eſt memorabile, quod cum adoleſcens petulans illum calce percuſſiſſet, idque moleſte ferrent eius amici, Si me aſinus calce pulſaſſet, inquit Socrates, dignum ne exiſtimaretis vt mutuo illi calces iniicerem?

Bardanæ maioris folium (quæ & arction & per- 89
ſonatia dicitur) ſummo capite geſtatum, matricē ſurſum tollit, ſub planta pedis deorſum. Quod remedium præſtantiſſimū habetur aduerſus ſuffocationes, præcipitationes, ac diſlocationes matricis. De folio Braſſicæ ſcribit M. Cato, quod vertici capitis impoſitum, vuulam, ex defluxu pendulam, vel aliter affectam, ſurſum rapit.

Gutturoſitas ſeu bronchocœle nō ſolum ver- 90
naculum eſt vitium incolarum montium, ſed etiam aduenarum. Qui ſi collo vel anſeribus graciliore illuc acceſſerint, & de hydrargyratis monti-

um fontibus annos aliquot potauerint, illos gut-
tura, qualia sunt taurorum palearia, in patriam
referre videbis. Et, quod omnem superat admi-
rationem, ligna etiam in hos fontes proiecta tu-
berascunt, Langius.

91 Quum omnia quæ è terra eruuntur, quamlibet ponderosa, argento viuo innatent, solum aurum subsidit, & ab eo absorbetur, mutato colore in argenteum: qui nisi igne elui potest: sic enim in fumum resoluitur teterrima odoris fœditate.

92 Cancer fluuiatilis tritus, tela ac spicula e corporibus detrahit, si illis superponatur. Quod etiam peculiare habet lacertæ parietariæ caput, & rana secta. Sic scorpio contritus & appositus, virus quod infixit retrahit. Res imitanda crudelibus aliquot adolescentum amasiis, quæ vbi vulnus quandoque letale illis inflixerunt, remedium quod præsentissimum habent, atrociter denegant, & ita miseros miserius perire, vel ad tabem vsque languere sinunt.

93 Virides literas sic facies: Accipe folia rutæ, succum exprime, florem æris & parum croci adde, tere, & dum vti voles, aqua gummosa excipe, ac scribe.

94 Cum volueris vt pisces multi congregentur in vnum locum, fac imaginem piscis ex stanno vel plumbo, ascendente prima facie Aquarii (melius fortasse Piscium) & dum illam figuras, dic, Ligo & adiuro omnes pisces qui sunt in flumine (nominandum est) ad tractum balistæ, vt ad hanc imaginem veniant, quotiescunque in eius aqua posita fuerit. Et cum volueris exire piscatum, pone eam circa rete in olla noua, & miranda ac periucunda videbis.

Vinum

Vinum vitiatum reparabis, si in aliud dolium illud transfundis quod prius derasum & à fecibus detersum fuerit, necnon decocto calido foliorũ lauri, myrti, hormini hortensis, quæ nostra est orualla, iuglandis aut radicis ireos, vel baccarum iuniperi, probe ac diligenter elotum. vbi in vsum voles depromere, colorem, odorem ac saporem sanequam gratum exhibebit. 95


Testatur Aristoteles arcanorum naturæ consultiss. amitam Timonis, quotannis in spelunca, vrsarum more, bimestre tempus absq; vllo alimẽto semianimem delituisse, vt sola spiratione viueret, ac ægre dinosceretur, Autor Atheneus. 96

97 Signa morituri ex vlceribus sunt, quando illa quibusuis emplastris operta, nulla sanie madescere, aut liuescere deprehenduntur. Adeo citra naturæ vires nil pharmaca pollent, Leuinus Lemnius.

Si in succum limonii mittatur numisma puri & obryzi auri, vel eius loco bractea, foliumve auri consimilis, & exacto die naturali illinc educatur, ac peste laboranti succus ille præbeatur, cũ tantillo vini albi & puluere radicis angelicæ, vel ex decocto ipsiusmet radicis mirum dictu quantum præsidii adferat etiam deploratis & conclamatis. Expertum. 98

Hederæ vis ac natura, Tertulliano autore, est caput ab heluco, hoc est pridiani vini oscitantia & semisomno, defensare, vi nimirum discussoria atq; exsiccante. Quæ etiam e crapula tutos reddere creditur capiti admota; vel præsumtis eius acinis aliquot. Atque hinc factum crediderim, vt Bacchus foliatis vuis hederæ coronaretur, & ob id Corymbifer diceretur. 99

100 Errant, inquit Ioachimus Fortius, qui putant Iulium, fuiſſe Cæſarem nuncupatum à cæſo matris vtero dum naſceretur. Nam quo tempore ſubiugaret Gallias, matrem nomine Aureliam amiſit. Quæ ſuperuiuere nequiuiſſet, ſi cæſo eius vtero natus ille fuiſſet. At in his audiendus nõ eſt Ioachimus: nam plures mulieres vixiſſe annos multos conſtat, imo vero concepiſſe, ac peperiſſe, cæſo illarum vtero: quemadmodum hiſtoriis aliquot in hac Centuria oſtendimus, & aliis deinceps indicaturi ſumus.



ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM

CENTVRIA II.

1 MEmorabile eſt ac valde admirabile quod narrat Alexander Neapolitanus, certis ac fide dignis autoribus ſe comperiſſe in citeriore Germania intra Danubium, vites emergere quæ clauiculos, & plerumque folia ex puro auro candicantia ferant. Quæ regibus & ſummis ducibus dono ſunt data. Idem contigiſſe refert Baptiſta Fulgoſus (adnotante Gaudentio Merula) iuxta Sirminum vrbem Pannoniæ, vt in ſequentibus

bus plenius oſtendemus. Cauſa aurifodinis ſub vite latentibus aſcribi poteſt. Nam, Plinio autore, ſub terris, aut certe in ſummo earum ceſpite, metalla inueniuntur. Quæ vi quadam naturæ, auxiliates veluti manus etiamnū præbente cælo, à plantis attrahuntur & rapiuntur: via & modo imperceptibili. Quod ſapientiſſimus poeta de aureo virgulto in luco Cumano exorto, fabula ſubtiliter inuoluiſſe mihi ſemper eſt viſus. Sed de his alibi.

Si per nuptialem annulum ſponſus mingat, à 2
faſcino, & veneris impotentia ſoluetur, qua a maleficis ligatus fuit. Autores ſunt Guiliel. Varignana, Nicolaus & Arnaldus à Villanoua medici: necnon Petrus Argelates chirurgus. His addo, quod mulieres quæ dormire conſueuerunt ſupra dextrum latus, vix fœmineam ſobolem pariunt, vt ſcribit Raſis.

Aqua per plumbeas ſolenas, ſyphones aut fi- 3
ſtulas deducta, fugienda eſt: nam ſordes & limus plumbi ei adhærent. Ob id qui talem aquam bibunt, dyſenterici fiunt. Adde, quod non parum incommodi etiam recipit ab hydrargyro quod plurimum ineſt plumbo. Autores ſunt Galenus, Albertus, & alii.

Admiratione dignum eſt, quod ex morbo Ne- 4
apolitano inunctus, ſi aureum annulum, vel numiſma in ore teneat, & lingua hinc inde volutet, argentum viuum quod corpori ex illitu & vnguine innatat, ab auro rapitur & in annulum deuoluitur: ſic vt totus argenteus eximatur: nec priſtino reſtituitur nitori, niſi igni admotus, Lemnius.

Cochlearum & limacum carnes, alias per ſe, 5
alias cum ſuis volutis tritæ, mixto interdum coagulo, ſpicula ex alto rapiunt. Præterea, hydropi-

corum ventri impositæ, aquas exugunt. Sed prius ſoluere non oportet, quam totus humor exudauerit, aut ſponte ſua decidant. Iacob. Hollerius.

6 Herba cynogloſſum, ſeu lingua canis, matrici canis copulata, omnes vrbis vel ruris canes eo loci cogit, vbi occultata vel ſepulta fuerit. Et ſi talis miſcellanea collo canis ita appenſa aut ligata erit, vt excuti non poſſit, videbis eum tandiu circumuolui ac rotari, donec ſemimortuo ſimilis corruat. Illud idem ſub planta pedis geſtatum, omnē canum latratum ligat & impedit. Albertus.

7 Phauorinus refert apud Aulum Gellium Scythas, ſi quando rei cuiuſpiam cauſa inediam ferre cogerentur, latiorib. faſciis ventrem cohibuiſſe: Quod nulla relicta inanitate, fames eos minus infeſtaret. Nam propter nimiam ventris compreſſionem, tolerabilior eſt inedia. Ex quo factū videas, vt qui liberalius cibari volunt, diploïdem laxent, & tibialium ligulas ſoluant.

8 Cum volueris fugare lupos ab aliqua villa aut nemore, vt numquam ibi reuertantur: Figura aſcendente ſecunda facie Sagittarii imaginem lupi in cupro vel ſtanno, pedibus ſimul ligatis, & duos maximos canes quaſi latrantes ſuper eum. Et inter operandum dicas, Extermino per hanc imaginem omnes lupos qui ſunt in hac villa aut nemore (proprio nomine addito) vt non remaneat aliquis eorum in illo. Deinde ſepeli imaginem in medio villę aut nemoris inuolutā canina pelle, & pedes lupi ſurſum vertas, vt ſit ſupinus. Sic reddes regionem à lupis immunem.

9 Altheæ maluæque decoctum, ſcabras manus & rugoſas emendat, lenit ac emollit. Sed id multo efficacius præſtant ſemina fœni Græci & lini, quod

quod miti oleagine imbuta ſint. His addo quod palumbus ferus ex poſca decoctus, tormina ſanat & diſcutit. Plinius. 10

Thraſias pharmacopola, & plerique in Græcia paſtores, integros hellebori manipulos citra noxam deuorarunt, & concoxerunt. Cuius frequentes potiones ob pharmaci aſſuetudinē, nec vomitu, nec alui deiectione purgare poterant Eudemum Chium, vt ſcribit Theophraſtus. 11

Elephas viſo ariete manſueſcit, ac furias impetumque remittit. Quibus machinamentis Romani elephantos Pyrrhi Epirotarum regis in fugam verterunt, & ampliſſima victoria potiti ſunt. Addo quod coruo miluus eſt inimicus, nā volatu præſtantior & vngulis validior, eſcam ei præripit.

Si quem vino obrutum eſſe contingit, vomitu, vt etiam Eccleſiaſtes conſulit, illi ſuccurrēdum eſt. Deinde teſtes, partesq; gentiles, mantili aut ſudario frigida madefacto inuolui debent: Fœminis vero vbera, mammæq; in eundem modum foueri, niſi vterum geſtauerint. Leuinus Lemnius. 12

Bubonium, ſeu inguinaria herba, preſentiſſimū eſt remedium ad inguinum affectus (ex quo nomen habet) ſiue illinatur, ſiue ſuſpendatur. Addit Aëtius quod plantago arefacta, vermes in vlceribus contractos interficit. Et Nicander tradit ſemen bulborum veneno aduerſari. Horum autem nomine intelligi puto, id quod vulgus Gallicum vocat *Eſchalottes, oignonnetz & appetiz.* 13

A capitibus & caudis animalium piloſorum abſtinendum cenſet Raſis: nam veneno haudquaquam carent. Docet inſuper hepata anatum proprietatē habere ſiſtendi fluxum qui ex debili- 14

tate hepatis naſcitur: ad hæc merulam optimum eſſe cibum iis quib. melancholia generari incipit.
15 Optimæ & ſalutaris aquæ indicia ſunt, vt celeriter ferueſcat, & celerius aëri expoſita frigeſcat. Adhæc, vt legumina, præſertim piſa, citius aſparagis, quod aiunt, decoquat, nullamque in fundo ſui vaſis maculam aut limum relinquat, neve linteolum in ea demerſum labe aliqua inficiat. Debet inſuper eſſe limpida, leuis, omnis qualitatis expers, & hypochondriis minime grauis, ex ſententia Hippocratis & Galeni.
16 Argentea vaſa auro incruſtari & obduci nequeunt, niſi argenti viui miniſterio, cui vni ſe obſequioſum præbet ac tractabile. Nam cum omnia metalla, reſpuat, ſoli tantum auro, ceu amico & familiari, libenter ſociatur, maritatur, & agglutinatur. Hinc argento ægerrime adhæreſcit, ægre plumbo, difficillime ferro, æri mediocriter, Lemnius.
17 Fermentum oleo ſubactum, & cum cepa cocta tuſum, potenter coquit abſceſſus, mollitq; ac digerit. Et fœnum Græcum oleo incoctum duris inflammationibus vtiliter adhibetur. Addo quod cochleæ frixæ vel aſſatæ hydropicos mirandum in modum adiuuant, ſi iis ſæpe veſcantur.
18 Folia auri, quot volueris accipe, necnon mellis guttas tres vel quatuor, miſce, tere, & ſerua in oſſeo vaſculo. Si ad ſcribendum vti voles, adde aliquantulum aquæ gummatæ, & habebis literas incomparabiles, Alexis Pedemontanus.
19 Plinius tradit Aſtomorum gentem ſine ore, corpore totam hirtam veſtiri in India frondium lanugine, & halitu tantum ac odore viuere, quem naribus trahunt: nullum illis cibum, nullumque potum

potum adesse, sed radicum, florumq; varios odores excipere, & siluestrium malorum olfactu, (quę in longiore itinere secum deferunt, ne desit odoratus) nutriri & sustentari.

Si in recenti muris stercore sepelitur aurum, 20
comburitur, vt fieri solet, cum plumbo. Idem sic combustum si in puluerem conuertatur, & stercoribus cati obruatur, in pristinum statum redit, ac propriam naturam cum colore agnoscit. Ex Pedemontano. Sunt qui combibi potius, quam comburi dicant.

Annus ætatis sexagesimus tertius labens, ra- 21
ro absque vitæ periculo, vel insigni aliquo incommodo transigi solet, vt innumeris obseruatum est exemplis. Hinc Aug. Cæsar, Gellio autore, sibi gratulatus fertur, quod eum ætatis annum euasisset. Causa esse potest, quoniam is annus septimi atque noni (qui climacterici & vitæ humanæ critici esse solent) sibi inuicem connexam, vel, vt loquuntur Arithmetici, ductam in sese quadrate multiplicationem cōtinent. Nam nouies septem, vel septies nouem, sexaginta tres constituunt. Sed hæc paulo plenius ac planius tibi aliquando expedient Iatromathematica nostra.

Boues ectomi, id est castrari, maiora ferunt 22
cornua. Et quibus prope aures venæ inciduntur, eos in Veneris lucta sperma quidem effundere, verum id modicum esse ac sterile, autor est Hippocrates.

Simius adeo testudinem perhorrescit, vt ea 23
visa latebras quærat, & valide clamet. Sic Elephas subrumi suis grunnitum summe reformidat, vt tradit Zoroaster in Geoponicis. Sed admiratione dignum est, quod pullus gallinaceus, qui serpen-

tem ac draconem non pertimeſcit, vſque adeo vmbram, vel prǽteruolantis miluii expaueſcat, vt illico ſeſe illatebret, ac ſecuritatis & euaſionis locum repente captet.

84 Videmus catellos pleroſque arthriticorum membris, dum ſæuiunt dolores, admotos, fractis, eneruatiſque eſſe articulis, ac ægre pedibus inſiſtere: maxima doloris parte in eos trãſlata, vt ſcribit Lemnius.

85 Catonem ſeniorem pœnitebat, mulieri quidquam arcani crediſſe: aliquò naui traieciſſe, vbi quò pedeſtri itinere proficiſci licuiſſet: & diem per negligentiam inanem ſibi effluxiſſe.

86 Succinnm quodcunque in adipe lactentis ſuis decoctum, non ſolum pellucidius redditur, ſed etiam multo præſtantius. Et ſi quis ſecum habuerit ſemen acetoſæ collectum a puero virgine, non poterit ſperma emittere, nec in ſomno nec in vigilia. Ob id contra nocturnas pollutiones plurimũ valere traditur. Autor Gilbertus Anglicus.

87 Bartholomęus Montagnana inſignis medicus, refert quendã ciuem Paduanũ cum alteri genuum cãtharides admouiſſet, ſupra quinq; libras ſanguinis eminxiſſe. Idẽ quoq, accidiſſe tradit alteri, qui eas ad vnguium leproſorũ ſcabritiẽ tollendam pollici pedũ applicuiſſet. Hinc nimirum conſtat cantharidũ virulentiam non ſolum intra corpus, ſed etiã extra perniciem adferre. Langius.

88 Luna in hęc terrena vires ſuas maxime explicat, quum vel Soli eſt oppoſita, vel ab amplexu illius recedens paulatim lumine intumeſcit, ac veluti grauida efficitur. Quo tempore concubitus minus officit, quod tum omnia humore imbuantur. Vnde fit vt carnes illius radiis per

hæc

hæc tempora expoſitæ, facile tabeſcant: & ſub ea
dormientes pallorem, capitiſq; grauitatẽ contra-
hant,ac morbo comitiali tententur. Plinius.

Oſtrea viua peſtiferos bubones loco transfe- 29
runt, & virus omne ad ſe trahunt, ſunt aũt agglu-
tinanda brachio,qua axillaris decurrit,ſiquidẽ bu-
bo in alis eſt: ſi vero inguen obſidetur, lineamẽtis
femoris, quæ vena cruris deſcribit. Hollerius.

Magnes verus capiti coniugis dormientis, ſed 30
neſcientis,ſuppoſitus,ſi caſta eſt, dulcib amplexi-
bus virum detinebit: ſin minus, è cubili tanquã
pulſata deſiliet. Autor Albertus,cui tantũ fidei ad
hibebis, quantum commonſtrabit experientia.

Cuilibet rerum ſpeciei eſt peculiare aſtrum, 31
vt polus magneti, & cuilibet aſtro peculiaris in-
telligentiæ dæmon, vt homini cuilibet ſuus geni-
us,dicatus eſt. Plato in Tim. Sic ſelenites candid⁹
ex Arabia lapillus, pro Lunæ creſcentis & decre-
ſcentis mole, eius imaginem reddit: & ob id Lu-
naris eſſe cenſetur. Proclus, Dioſcorid. Ælianus.

Azurum,vt vocant, vltramarinum, ſic con- 32
ficies ac belle ementieris. Habe azurum commu-
ne,tere diligenter cum aceto, eoq; inunge tenu-
iſſimam laminam argenti puri, & eam ſuperpone
vaſi vrina pleno. Quod calidis cineribus & pru-
nis tamdiu admoueatur & moueatur, donec vl-
tramarinum,euadat, hoc eſt præſtantiſſimum.Ex
libro manu vetuſtiſſima deſcripto.

Infantes elegantiori forma nutrices & ge- 33
ſtatrices ambiunt, rugoſaſque ac deformes anus
perhorreſcunt. Quocirca cum annoſis & viroſis
fœminis in eodem lecto collocari non debent. Nã
quod halitu graui fere ſint, ac tabifico, fit hinc,
vt quidquid ab illarum corporib. effluit, facile ad

ſe alliciant infantuli, & colorem à naturali alienum, cum multis vitiis induant. Quod veris & prudentibus & matribus ſcriptum ſit, quibus eſſe ſolent vigili perdulcia pignora curæ.

34 David ſeptuagenarius cum ſenili frigore torperet, nec pellibus opertus incaleſceret, medicorum conſilio perſuaſus, ſpectati decoris puellæ Sunamiti Abiſag, caſte in eius amplexibus dormiuit, vt ex eius calore, ſtomachi robur foueretur, Ex ſacris Bibliis.

35 Hyæna ſi hominem canemve dormientem viderit, ſuum iuxta illorum corpus extendit. Quod ſi ſoporati corpus ſuperarit, delirum efficit, & ne ſibi obſiſtat, manus prærodit, Sin longitudine ſuperabitur, celerem arripit fugam, Autor in ſua Panacæa Neſtor.

36 Ad ſcribendum aureis literis: Sume croci & auripigmenti partes æquales, dilue cum felle caprino, & tamdiu ſub fimo equino ſepeli, donec fiat veluti ſpiſſamentum. Cum quo pinge vel ſcribe. Idem fiet ſi acceperis drachmas duas aloes, & croci tantundem, eaque in pollinem redacta, albumine oui exceperis, & diu multumque agitaueris. Ex quodam grammatographo.

37 Expugnandæ ebrietati & diſcutiendæ crapulæ accommodatiſſima eſt braſſica ea quæ plus cæteris rubeſcit, ſi ex illius cauliculis ſuccus dentibus expreſſus deglutiatur: aut eadem cocta, inter primæ menſæ edulia manducetur. Qua vi etiam pollere aiunt portulacam, Leuinus Lemnius.

38 Pulli columborum occulta proprietate renum dolori conferunt, & corruptum ſanguinem emẽdant: ſed dum interficiuntur, capite truncari debent. Eorundem carnes facultatem habent ſanandi

nandi tenesmum, quem cucurbita frequenter comesa generare solet. Rasis.

Qui quartana corripiuntur, à magno epile- 39
psiæ morbo non infestantur. Si autem hoc primo corripiuntur, & quartana superuenerit, tum cessat. Hippocr. Adde ex Galeno quod melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & contra, epileptici fiunt melancholici.

Hydrargyrum, seu viuum argentum, vi vs- 40
que adeo est penetrabili, vt incisa vena eorum qui semel atque iterum ex morbo Venereo iniuncti fuerant, aliquot drachmas eius emanasse conspectum sit. Illius autem agilitas & penetrabilis natura edomatur, extinguiturque saliua hominis sani, & nihil olidum spirantis: cui momentum cineris, aut pusillum trituræ ossis sæpiæ admixtum sit, Lemnius.

Oleum de scorpionibus præterquam quod 41
virus ex eorundem ictu retrahit, calculos etiam educit glandi illitum, vel in vermiculo inditum poro, qua vrina defluit, si quidem calculus restitit in cole. Si superius inhærescit, pubi ac perinæo remedium admouendum est. Iacobus Hollerius.

Admirabilissimum est illud de adipe vrsi, 42
inquit Theophrastus: Nam dum in latebris delitescit vrsus, & ob id pinguior euadit, intra vasa in quibus asseruatur, eodem tempore excrescit. Locum hunc Theophr. Plinius ad carnes vrsorum se illatebrantium refert, citato eodem Theophrasto. Quam recte, vnica nos reddet facti experientia certos.

Ebur, vt etiam ossa quæuis, viridi colore tin- 43
ges ad hunc modum: Sume aquam fortem, qua tantum æris quantum fieri poterit, erodatur. In

ea, ossa, quibus formis visum erit, elaborata, pernoctare sine: & ita veros smaragdos colore imitabuntur.

44 Cum volueris cogere in vnum locum multitudinem coruorum, fac imaginem dimidii corui in stanno, prima facie Virginis ascendente, dicendo: Non remaneat coruus in hac tota regione, qui non veniat ad hanc imaginem, quocunq; in loco sepulta fuerit. Deinde sepelias eam, vbi volueris; modo sit in loco & aëre libero. Sed non est obliuiscendum vel prætermittendum quod dum formantur istæ imagines, & (vt volunt quidam) sepeliuntur, Luna debet esse in ascedente, adiuta bonis felicium planetarum aspectibus, & procul à maleficorum contubernio: qui cadentes erunt, & dominus ascendentis fortunatæ stellæ coniunctus. Ex vetustissimo Ptolemæi exemplari.

45 Oleum vino, vel alterius generis liquori superinfusum, præpedit ne vappescat, aut corrumpatur. Nam omnes halitus qui putredinem inferre possent, vna cum externo aëre, veluti quodam tectorio, excludit. Putrescunt nihilominus stirpes omnes oleo illis affuso, vt tradit Plinius.

46 Quemadmodũ magnes suam virtutẽ per acus ordine cohærentes, in quartã & vltra diffundit: sic natura virtutẽ animæ informatiuã de semine in semen diffundit. Hinc fit, vt auorũ notæ in nepotib. crebro illucescant, etiã post plures affinitatis gradus. Langius ex Aristot. Plin. & Lucretio.

47 Testudo depasto serpente ægrotans, eius venenum origani esu excludit: & contra illum dimicatura hoc se munimentto loricat, perinde atque mustela rutæ pastu, quando in eum cominus

&

& eminus congressura est, Aristot. Dioscor. Plin. Galenus, & prisci fere omnes.

Diligent te omnes si cor hirundinis tecum 48
habueris. Et mulier eum perdite amabit, a quo columbini cordis puluerem in potum vel escam acceperit. Prçterea, si quis de leporis felle sub capite posuerit, perpetuo dormiet. Excitabitur autē, si acetum illi potandum dederis Ex Alberti fabulosis narrationibus.

Nux myristica, seu moschata, si à viro geste- 49
tur, non solum vigorem suum conseruat, sed etiam turgescit, magisque efficitur succulenta & speciosa: præsertim si iuuenilis adultæque ætatis homines circumferant. Leuinus Lemnius.

Animalium calcanei, combusti summe pol- 50
lent aduersus colicos cruciatus, vt scribit Rasis. Et folia alni nudis pedum plantis supposita, viatoribus itinere defatigatis magnū leuamen præstant. Illa eadem rore matutino madentia, cubiculis vtiliter insparguntur ad necandos pulices.

Lienem coercet ac spleneticis medetur ab- 51
sinthii Rom. decoctum potui ieiuno datum: & post cibum aqua ea in quam à fabro ferrario candens ferrum sæpius extinctum fuerit, Autor Cornelius Celsus medicorum alter Cicero. Hinc fit vt animalia apud huiusmodi fabros educata, exiguos lienes habeant. Addere mihi licebit, quod Anton. Beneuenius medicus insignis, gloriatur se illa eadem aqua & esu capparum, Florentinum ciuem septennali splenis schirro laborantem penitus curasse.

In morbis cerebri & qui supra diaphragma 52
constituti sunt, si genitalia propendent ac flaccescūt, salutare est: si vero cōtracta sunt, ominosum.

In omnibus autem affectibus qui infernas partes occupant, teſtes corrugatos eſſe pudendumq; ſubrigidum, optimum eſt ſignum: reualeſcere enim indicant, Autor Lemnius.

53 Hebeni formam acquirent omnis generis ligna, prçſertim dura, vt buxus, ſorbus, pyrus, morus, & alia huiuſmodi, ſi tale ſeruetur artificium. Mergantur in aqua aluminoſa per tres dies, & Soli, vel ad ignem ita exponantur, vt ſolum incaleſcant. Deinde coquantur in oleo cõmuni, in quo tantum vitrioli Rom. & ſulphuris, quanta eſt nux auellana, diſſolutum ſit. Quo diutius coxeris, eo nigriora euadent: modo prouerbii memineris, Ne quid nimis. Videbis pulchrã materiã & elegantẽ. Ex Italo multorum experimentorum profeſſore.

54 Axungia genibus alligata redit in os ſapor, Plinio autore, vt etiam expui videatur. Ex quo fortaſſe non vnius hydrargyri qualitate, ſed totius miſturæ ex eo & axungia, illitis in lue Venerea os grauius exhalat, & ſaliua madet. Hollerius.

55 Auicenna refert quendam peregre profecturum, libram vnam olei violacei cum adipe mixti bibiſſe, & inediam abſque vlla fame decem dierum ſuſtinuiſſe. Quod & oleum amygdalarũ ac adipem vaccinum, ex viſcedine præſtare, idem tradit Auicen.

56 Succus foliorum verbaſci contuſioni, aut plagæ appoſitus & trita folia ſuperpoſita, ac faſciis diligata, ſi per diem integrum ibi relinquantur, quidquid illud erit egregie ſanabunt, etiam ſi vulnus acceſſerit. Quod tamen vino prius eluendum eſt, deinde ſuccus & folia apponenda: miraberis effectum, vt ab experto accepi.

Lingua ſerpentis virginea cera incluſa, & in aurem

aurem ſiniſtram cuiuſcunque equi demiſſa, illum veluti mortuum humi procumbere cogit: ablata, non ſolum eum expergefacit, ſed etiam multo alacriorē reddit, vt mihi retulit Anglus quidā.

Stillatitius humor igni admotus ita vt ferueat, omni ſua vi & facultate deſtituitur. Nam cum purus ſit & defecatus, nihil habet quod illi adimi, addive poſſit: eoque fit, vt ſic citius putreſcat & mucore obducatur, quā putealis aqua decocta, Lemnius. 58

Puluis pyrius, ſeu bombardicus & incendiarius, tam exigua, aut fere nulla vi cauſtica participat, vt eo non ſcabiem modo, ſed vlcera ſordida & cacoethica abſtergere & conſolidare viderim, inquit Ioannes Langius medicus præſtantiſſ. Comitum Palatin. Rheni. Quod animaduertant vulnerariæ medicinæ profeſſores, qui bella ſequuntur, ac tantopere deſudant in extinguendo ardore huius pulueris, vulneribus, vt ſibi perſuadent, impreſſo: relicta interim combuſtione, à qua maius impendet periculum. 59

Mirabiles ſunt animalculorum quorundam ſymphatiæ & metamorphoſes. Eruca etenim aſcitis alis degenerat in papilionem. Erucæ in fico natæ, in cantharides abeunt: & hydrus in lacub. degēs, exhauſtis aquis ſtagnantib. in ſerpentē trāſit. 60

Vt plaga quæpiam non doleat, nec putreſcat, quinquies hoc dimetrum quotidie pronunciet patiens, appoſita manu ad plagam, 61

» *Vulneribus quinis, me ſubtrahe Chriſte ruinis:*
» *Vulnera quinque Dei ſint medicina mei.*

Ex præcantationibus medicis Gordinii, & Guainerii. Addam ex Alberto, quod oculus hirundinis poſitus in lecto, non permittit iacentem

dormire, donec auferatur. Et bubonis cor ſiniſtrę mammillæ mulieris admotum, cogit eam aperire ſecreta.

62 Memoriæ proditum eſt Alexandri Macedoniæ regis veſtes gratiſſimo odore fuiſſe perfuſas: non quidem aſcititio externove ſuffitu, ſed à genuino natiui caloris effluuio.

63 In epilepſia pollex pedis vellicatus, laborantem à paroxyſmo excitat. Et ſuccus vrticæ arteriis illitus febrium ardores compeſcit. Præterea, ſi quis ſucco foliorum cucurbitæ pilos equorum & aliorum animalium æſtate media intinxerit & madefecerit, non paruo rei miraculo muſcarum tædiis, ac moleſtia carebunt. Cardanus.

64 Puluis cantharidum ex aduſtione, addito ceraſorum gummi, vt magis ſalutaris, ita minus noxius erit, ſi in diureticis electariis, cum apozemate morbo cõuenienti diſſolutus, exhibeatur. Lãg.

65 Coluber fluuiatilis funiculo à cauda præligatus, & ſuſpenſus, ſubiecto vaſe aqua pleno in quod dehiſcat, aliquot poſt horis vel diebus, ore lapidem eructat, qui exceptus vaſe quod ſubiacet, totam aquam ebibit. Alligatur lapis hic hydropicorum ventri, atque in totum exhauſta aqua liberat. Hollerius.

66 Obeſæ mulieres, quæ magna ex parte ſteriles ſunt, moderato ſalis vſu in condimentis fœcundæ euaſerunt. Sic agri qui ſteriles erant, & plus æquo paluſtres ac vliginoſi, ſalis conſperſu feraces facti ſunt. Ex quo fœcunditatis & expugnandæ ſterilitatis vim quandam ſali ineſſe, mirum videri non debet. Leuinus Lemnius.

67 Vmbra iuglandium Theophraſto, Dioſcor. Plin. Plutarcho autoribus, grauis eſt, & capiti humano

mano noxia, necnon omnibus ſub ea ſatis. Quod etiam Galenus teſtatur,& buxo ſimiliter aſcribit, propter anathymiaſin & aporrhœam vtriuſque. Idem ſentiendum de taxi vmbra, quod vel nomẽ ipſum indicat. Nam vſqueadeo virulenta eſt, vt diſcumbentibus vel dormientibus ſub ea, noxã & ſæpe mortem adferat: maxime quo tempore ad nouos flores turget, Plutarcho teſte.

Sagittæ ſpiculum, vel ferrum quoduis ex vulnere detrahes, ſi ſpecillum vulnerarium ſucco valerianæ herbæ imbutum ipſi vulneri indideris, & contuſam herbam ſuperligaueris. Sic enim non ſolum reuelletur ferrum, ſed etiam vna vulnus ſanabitur: niſi inſigniter mentiatur Italus, qui huiuſce rei periculum ſe feciſſe mihi affirmauit. 68

Cicera aliquot expone lumini creſcentis Lunæ, & eadem, Sole nondum exorto, oliuo inunge, horiſque duabus vel tribus, donec remolliantur, in aqua emacera. Tum demum coque, & cui voles edenda exhibe: excludes ab eo triſtes cogitationes, ac melancholiæ genus omne ærumnoſum. Arnaldus a Villanoua. 69

Fœcundatur vitis ſterilis lotio acri ac vetuſto perfuſa, aut fæce vini radicib. conſepulta. Sed ſumme cauendum eſt, ne, quod plerique faciunt, circa eaſdem radices facta ſcrobe, fuliginem ex fumario deraſam, aut calcem adobruas: quod vrenti virtute perniciem vineæ adferant, eamque ante tempus areſcere cogant. 70

Teſtantur Hippocr. & Galenus, veteres medicos adeo ſudaſſe in morborum cognitione, vt ſudores ſtrigili exceptos in balneis, & auriũ ſordes deguſtarint: nõ minus quam veterinarii medici equorum ſtercora. Quos ob id Ariſtophanes 71

σκατοφάγους appellat: ſed non humanorum corporum medicos, vt multi falſo ſibi perſuadent.
72 Paſtinacæ radio nihil execrabilius. Nam ſi in viridem & vegetam arborem illum defigis, ſtatim eam necat, denteſq; ſcarificatu excutit. Sic marinus lepus ſpectantes omnes nauſeabundos reddit, vt facile vomituriant. Adfert & noxam prægnantibus abortiendo. Plinius.
73 Si vis fieri inuiſibilis, compone crinale de capillis vnius ſuſpẽſi in patibulo publico, & tinge in ſanguine vpupæ, ac tecũ defer ſuper caput. Quod ſi caput eiuſdem vpupæ in crumena habueris, nõ decipieris ab aliquo mercatore: ſed plurimum lucraberis. Hoc ſi verum, nullo auro ęquiparandum.
74 Aërem peſtilentem abſque vlla noxa emendant teterrimi odoris pleraque. Cuiuſmodi ſunt caſtoreum, galbanum, ſagapenum, ſulphur, coriorum, cornuumque ſuffitus, & puluis bombardicus. Qui, ceu præſentiſs. diſcutiendæ peſtis remedium, ſuperioribus annis adhibitum fuit (inquit Lemnius) quum apud Tornacenſes peſtis tota vrbe graſſaretur. Nam milites præſidiarii, qui in arce excubias agebant, tormenta bellica puluere bombardico, ſed abſque globis repleta, vrbi obuertebant; eaque ſub diei & noctis crepuſculum, explodi curabant. Hinc factum fuit vt ſonitu violento, fumique odore teterrimo, contagium aeris diſcuteretur, & alio depelleretur.
75 Hydrargyrum in oximelite ſcillitico diu agitatum, optime incineratur. Exinde aceto lotum purificatur, & ſic ad multa vtile eſſe traditur. His addo, quod ſal vſtus & ſacculo impoſitus, ventriculi ſubuerſiones, nauſeas ac vomitus ſedat, dum calens admouetur.

Mulier

Mulier quę allii nucleum decorticatum & purgatum vtero miserit (sed filo adalligatum femori, vt retrahi possit) si per os postridie illud olfecerit & resipuerit, ad generandum est idonea, Autor Hippocr. 76

Si caseus putris & vermiculosus subigatur ex iure in quo suilla perna diutius coxerit, detrahet arthriticis absque ferro tophorum particulas, emplastri modo illic appositus, vt tradit Galen. Quod etiam pręstat quasi miraculo, coccus gnidius, cum myrrha, & aceto tritus. 77

Lactucæ frigiditas in acetariis debet retundi calorificis, maxime ab iis qui matrimonii compedibus vincti sunt: ne semen genitale plus satis diluatur, & proinde ad generandum inefficax habeatur. Sed eadem affluentius concedenda est iis qui cœlibatui addicti sunt, & claustra sequuntur, vt vri ac prurire desinant. 78

Noui qui antelucano medii veris tempore, mense nimirum Maio, stratis super gramina linteaminibus, rorem exciperent, expressum decoquerent, despumarent, & tum demum panniculos in eius decocto madefactos, successu admodũ felici, vlceribus phagedænicis applicarent, & sic abstersa, siccataque roris acrimonia ad vnguem consolidarent, vna incocto aluminis & olibani momento. 79

Si quis ictus, vel demorsus ab animali iobolo & venenoso instillet ilico tres vel quatuor guttas lactis ficulnei supra vulnus, mirum inueniet præsidiũ. Poterit etiam imponere grana sinapi cum aceto detrita. 80

Azurum, vt vocant, commune sic facies: Accipe salis ammoniaci vncias tres: æruginis, seu 81

viridis æris, vnicas ſex: pulueſerentur & miſceantur cum aqua tartari, vt fiat ſpiſſamentum. Deinde mittantur omnia in phialam vitream, ita clauſam vt nihil expiret, & calido fimo per dies octo ſepeliantur. vbi extraxeris, reperies æruginem conuerſam in optimum azurum, & cœruleum, ſeu cyaneum.

82 Folia hormini ſatiui, quæ noſtra eſt Orualla, trita, aculeos ac ſpinas e corporibus detrahunt, morantesque partus & difficiles accelerant. Vino iniecta, mentem exhilarant, excuſſis animi nebulis, ac Venerem ſtimulant. Sed liberalius ſumpta, caput tentant, odoris vi & grauitate.

83 In igne poſſe viuere impune pleraque animalia, autor eſt Ariſtot. ſed non ex eo naſci, aut gigni, vt fabulantur multi. Talem eſſe aiunt pyrauſtam pennatum quadrupes in ærariis fornacibus Cypri: & ſalamandram, quæ viruiento ſuo frigore ignem temperat & obtundit. Vnde Andreas autor Græcus tradit, manus aut veſtes ſalamandræ ſanguine inunctas, igne non aduri.

84 Virides ſeruabuntur ficus, pruna & fructus ſimiles, ſi cucurbita recens media ſcindatur, & factis in eius medulla loculamentis, fructus cum ſuis petiolis ita ſparſim condantur, vt ſe non attingant. Tum demum vniendæ ſunt partes, & ſic agglutinandæ, ne alicubi interhient, ac aërem admittant. Poſtremo ſuſpenditur cucurbita loco vmbroſo, procul ab igne & fumo.

85 Literas ſic facile obliterabis ac delebis. Accipe carnem leporinam, ſicca, tere in puluerem, & viuę calci miſce, ac literis ſuperpone, vel illine, & infra triduum nullum comparebit illarum veſtigium. Ex vetuſtiſſimo quodam exemplari.

Coralli-

Corallium in orbiculos elaboratum ac læ- 86
nore perpolitum, ſi à viro geſtetur rubeſcit exu-
berantius, quam ſi hoc geſtamine fœmina deco-
retur. In pallorem enim muliebri conſuetudine
elangueſcit, ac natiuo colore deſtituitur. Idem ſe-
mine ſinapino adobrutum, rubicundius ac præ-
ſtantius euadit, Leuinus Lemnius.

Nullum ignis extinctorium aceto eſt effica- 87
cius: nam omnium maxime flammam ſupprimit
ob frigoris exceſſum, autor Plutarchus. His addo
quod ſal linteolo inuolutus & in aquam feruen-
tem miſſus, ſuggillationibus opitulatur, ſi illo fo-
ueantur. Aiunt præterea dentes non erodi, ſi
quis mane ſalem ſub lingua teneat, donec colli-
queſcat, & eo dentes fricet.

Crebro expertus ſum, inquit Langius, quum 88
ſordidis vlceribus in genu ac prope talos, puluerẽ
Mercurii pręcipitati paulo frequentius inſparge-
rem, illius virus, cæteris membris illæſis, ad den-
tes penetraſſe: & inde eos ac pharyngem diurno,
nocturnoque ſaliuę effluxu maduiſſe.

Oleum præſtantiſſimum ad morbos articu- 89
lares hoc paratur modo. Erinaceus conuenien-
te oleo & vino coquitur ad tabem vſque. Putrila-
go rariore linteo excepta magno conatu exſtrin-
gitur in ollam quæ oleum habet reliquum, & ei
admiſcetur, ſeruaturque ad illitus articulorum.
Idem è vulpe, veteri cato & emaſculato, adhæc
teſtudine, lutra & ranis, fieri poteſt. Quæ ani-
malia ſi digerente materia infarciantur, & in ve-
ru exaſſentur, pingui ſtillabunt, quod exceptum
iiſdem proderit articulorum vitiis.. Hollerius.

Omnia lapathi genera hoc habent peculia- 90
re, vt carnes, & edulia cum his elixata, quantum-

libet exucca, dura, vetusta & coriacea fuerint, tenerescant & esui apta reddantur. Hinc nimirum frequens fuit eorum vsus apud veteres, quod cibus concoctu faciles præstent, ac aluũ emolliant.

91 Salutares sunt capiti serpilli, polygoni, callitrichi & rosarum odores: adeo vt serta ex his cõtexta cephalalgiã ex crapula & mero curent. Hinc non temere ex illis fiebant olim conuiuarum coronæ, vt tradunt Plutarchus & Galenus.

92 Scobis vel rasuræ dentis apri vncia semis in pollinem redacta, & cum aqua hordei, vel cicerum rubrorum, aut decocto pectorali à pleuritico hausta, vero & comperto remedio illum ab imminente periculo liberat.

93 Serpentem sistere coges si hæc dixeris, Adiuro te per eum qui creauit te, vt maneas: quod si nolueris, maledico maledictione qua Dominus Deus te exterminauit. His addam quod cornu ceruinum ante serpentes adustum, illos ad fugam non secus adigit, quam pulices odor crematę calcis. Experimento constat.

94 Frontem rugis caperatam, & flaccida vbera perpolit atque extendit olei linaris fæx seu amurca, addito gummi arabici & tragacanthæ momento, ac masticites & caphuræ perpusillo. Quod etiam rubicundis oculis & palpebris arida lippitudine vitiatis vel hiantibus, venustatem cõciliat.

95 Redditur, inquit Aristoteles, post plura genera parentum similitudo, vt in Helide, quæ vbi cum Æthiope concubuisset, filiam Æthiopi concolorem non est enixa, sed longe post, natus ex eiusdem filia Æthiops fuit. Sic Niceus poeta Byzantius, à candido vtriusque parentis colore, in atrum Æthiopem degenerauit. Quod videant

obsecro

obſecro & agnoſcant ſuſpicaces mariti, qui ſuas vxores ſtupri inſimulant, ſiquando prolem alterutri diſſimilem pariant. Fit enim ſæpenumero, vt nepotes auis, aut proauis, & non parentibus aſſimilentur.

Quidam lucernam flatu extinctam ſtatim muro vel lapidi admotam accendebat ceu rem mirandam. Sed tunc illud mirum videri deſiit, inquit Galenus, cum murum ſulphure contactum & inunctum aſtantes deprehenderunt. 96

Si cui ſæuiens occurrat hyæna, cauendum ne à dextra excipiatur. Nam ita ſtuporem inducit maximum: cui obſiſtendi nulli amplius datur facultas. Si vero à læua aggrediatur, tum ſtupore oppreſſa facile necatur. Eius vmbra canes elingues reddit & obmuteſcere cogit. Quare dum illos perſequitur, ſideris auerſo lumine pergit: oraque inueſtantium canum verberat vmbra. 97

Ne literæ poſſint comburi, Accipe acetũ acerrimum & ouorum albumina. In quib. dilue & coagita hydrargyrum, eaq; miſcellanea papyrum ter inunge, ac toties reſicca. Poſtea ſcribe ibi quicquid viſum erit, & in ignem proiice, videbis absque vlla combuſtione reſilire. Ex antiquo libro. 98

Cum volueris ceruos alicuius nemoris congregare in vnum locum, facè cupro, aſcendente prima facie Leonis, imaginem cerui, quaſi coeuntis cum ceruа. Et dum illam facis & formas, dic, Ligo & conſtringo omnes ceruos qui ſunt in iſto nemore N. per hanc imaginem, vt vbi ſepulta fuerit, ad eam omnes conueniant & non recedant. Deinde ſepelias in medio nemoris & miraberis effectum. Ex manu ſcripto Ptolemaei Commentariolo de Imaginibus. 99

100 Aduerſus grandinem, tempeſtates & fulmina, facto crucis ſignaculo, lapilli tres grandinis primum delapſæ proiiciuntur in ignem ſub inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis: & mox oratio Dominica, cum Angelica ſalutatione, bis aut ter recitatur, adiungiturque euangelium B. Ioannis, In principio erat verbum, &c. Poſtea ſignum crucis in grandinem & tonantem nubem, ante & retro, omnique ex parte ſignatur, ac terræ imprimitur ad quatuor mundi angulos. Poſtremo, vbi ter repetierit exorciſta, Verbum caro factum eſt, ac toties addiderit, Per Euangelica dicta fugiat tempeſtas iſta, ilico ceſſabit ſi à maleficio quopiam excitata fuerit. Hæc veriſſima ſunt experimenta, nec ſuſpecta iudicanda quorundam theologorum autoritate, vt ſcribit Ioannes VVierus, libro 4. de Præſtigiis Dæmonum, & incantationibus ac veneficiis.

ANTO-



ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM, CENTVRIA III.

Admirabile æque ac memorabile statuendum est, quod Galgulus auis, acerrima oculorum acie ab eo cōspecta qui regio morbo laborat, croceos bilis vapores ad se confestim rapit, ac illum perfectę sanat, eximio quodam naturæ beneficio. Verumenimuero, vbi occulta sympathia ægrotātem adesse præsentiscit, oculis conniuet, caputq; sub alis recondit: non quod medelam ei inuideat, sed quod bilis acrimoniam ex morbi transitu magnopere vereatur. Ob id sub velamine olim vendebatur, ne licitator remedii particeps fieret antequam emeret, ac gratis curaretur. Autores sunt Heliodorus, Plutarchus, Ælianus, Suidas, Plinius, & alii. Addit Kyrannides, & post eum Albertus, quod si infirmum recuset vicissim intueri, mortis signum esse: si vero aciem oculorum recta in illum dirigat, morbum in sese transferre: quem aduersus Solem volitans paulo post euomit, & ita se ac ægrum liberat, mira quadam naturæ beneficentia. Cæterum hic mihi monendus est Lector, autores sanequam discordes esse in designatione huiusce volucris. Plinius icterum autem esse contendit. Alii putant chloreum, seu chloreonem esse, qui Gallis, Budæo teste, *Loriou* & *Loriot* dici solet: Bona pars medicorum, cha- 1

radrium eſſe defendit. Quidam oriolum eſſe promittũt. Alii galbulum vel galbulam, aut chloridem, quod Geſnero non placet. Ego hæc doctioribus tantiſper excutienda relinquam, donec eis dederit certum experientia finem.

2 Orpheus & Archelaus tradũt, Plinio autore, morbo comitiali lapſos confeſtim liberari a conuulſione, ſi in paroxyſmo eorum labia humano ſanguine irrigata fuerint, aut pollices pedum fortiter puncti & vellicati

3 Bufonius lapis (crapaudina dictus) ſuo contactu & blando attritu, inflationes a venenatis beſtiis illatas diſcutit, ac virus omne elicit. Vnde ſi ſorex, aranea, veſpæ, ſcarabei, glires, aut animal aliud venenatum parti alicui damnum intulerit, admoto lapide eo, dolor miteſcit, ac tumor omnis ſubſidit. Leuinus Lemnius.

4 Geniſtæ ſuccus oleo raphanino, vel ſinapino exceptus, tutiſſimum eſt remedium aduerſus pediculos. Et mel vſtum per ſe ſatis eſſe poteſt ad reſiccanda & detergenda vlcera, etiam ſi pudendorũ fuerint. Addo quod ſi mulier ſucco cichorii mammillas illeuerit ſæpe & vnxerit, paruæ ac duræ fient. Quæ ſi pendulæ erant, virginum in modum contractæ ſtabunt. Ex cuiuſdam experimentis acceptum.

5 Si emollitũ galbanum ſerico incluſeris, & oſculo muliebris vteri per noctẽ immiſeris, caputq; eiuſdem nullis ſordib. enecratũ, linteolo ac reticulo, ſed abſq; vllis odoribus operueris, vertex eius mane ſolutis operimẽtis galbanũ redolens, illam fœcundam eſſe certo promittit, Hippocr.

6 In lapide hæmatite ſculptus homo genibus flexis, qui ſerpente cinctus dextra manu caput illi-

illius, læua vero caudam teneat, si annulo aureo implicetur, & serpentariæ herbæ folium ei subiiciatur, gestantem ab omni veneno & peste tutum reddit. Hollerius ex priscorum Commentariis.

Saliua hominis sani & ieiuni, confricatione & illitu, lichenas, mentagram, impetiginem, varos, serpiginem, & omnis generis pustulas tollit. Adhæc tumores dolorificos & inflammations à virulentis bestiolis, cuiusmodi sunt crabrones, araneę, scarabei, bufones & similes efficaciter discutit. His mihi licebit addere quod sitibunda salis siccitas vel ex eo coniicitur, quoniam plerique nautarum, æquoris salsi aquam bibentes, inexplebili siti interierunt, Lemnius. 7

Caseus recens siccis dracontii foliis inuolutus, a putredine immunis euadit, Galeno & Plin. testibus. Addo quod moderata salis conditura, eiusdē incōmoda corrigit. Quem non oportet existimare edulium esse simpliciter malum, vt scripsit Hippocr. Nam omnes non lędit homines, imo gracilibus mirabiliter conferre traditur. Ex quo Ioan. Langius medicus præstantiss. vsum eius liberū faciebat Philippo Melācthoni, addito salis momēto. 8

Si habere voles ebora vel ossa rubro, cœruleoue colore, aut alio intincta, purga ea in primis, deinde coque in aqua aluminis. Tum demum mitte in vrinam, vel calcis aquam, in qua dissolutum sit verzinum, vel rubrica, aut cœruleus color, aliusue qui tibi arridebit, & vna iterum coque, perfrigerataque extrahe: & perbelle tincta videbis. Alexis Pedemontanus. 9

Sunt qui certam & constantem fidem mihi fecerint, in vigilia B. Ioan. Bapt. ad radices artemisiæ carbonem reperiri, qui deferentes à peste, 10

carbunculo, fulgure, quartana & incendio immunes reddat. Sed illum inuenire ſolis paruulis & virginibus conceſſum eſſe aiunt. Audio etiam ſub plantagine ſimilem reperiri eodem die. Sed hæc ocioſis & curioſis quærenda relinquo.

21 Fraces ſeminis lini expreſſo oleo relictæ, vt etiam nucum, ſaginando pecori valde ſunt accommodæ. Et ſi fruſtum ex iis aqua cæleſti maceraueris, atque ex illa manus ablueris, porriginoſæ cutis vitia non ſolum emendari, ſed & membra ſumme polita effici percipies. Expertum.

22 Ferrum candens lacte reſtinctum diarrhœam ſiſtit, vino vel cereuiſia, eandem concitat. Addo quod qui pedes odore graues habent, ſi ſquammam ferri calceis imponant, fœtorem illum ingratum exuent, Autor Georg. Fabricius.

23 Sic lilia vegeta ſeruabis, ac talia inuenies qualia conduntur: Dum adhuc clauſa ſilent, decerpe, & picatis lagunculis reconde, ac diligenter claude, ne quid aëris ſubire poſſit. Vbi vſus exegerit, ſoluto operculo reclude, & ſoli, vel tepidæ aquæ vapori, vt aperiantur, expone.

24 Sanguinem e naribus implacabiliter ſtillantem continebis, ſi ipſomet ſanguine in medio fronte eius qui hæmorrhagiam patitur, hæc verba ſcripſeris, Conſummatum eſt. Res multis probata. Licebit hîc addere, etſi parergon, quod borrago vino iniecta, hilaritatē conciliat. Vnde a Grammaticis borrago, quaſi corago, nuncupari putatur. Dicit borrago, gaudia ſemper ago. Sed hęc leuia ſunt.

25 Nux myriſtica ſeu muſcata, ſi a muliere excrementoſa, & menſtrui profluuio inquinata portetur, exſucca, leuis, carioſa, coloreque ſquallido ac nigricante redditur. Autor Leuinus Lemnius. Addam

dã ex eodẽ, quod ſi pueri & adoleſcentes lacti atq; exercitationi aſſueſcãt ab incunabulis, corpore efficiũtur productiore, & ſtatura decẽti ac ſpecioſa.

Puluis dentis apri exceptus oleo linino, cynanchen præſentiſſime curat, ſi locus affectus tangatur cum extremitate pennæ tali miſtura imbutæ. 16
Licebit his adnectere quod externa vrticæ ſuperficies prurit & vrit, internus vero eius ſuccus arteriis illitus, febrilem cordis æſtum emendat, & demulcet, Auicenna & Arnaldus a Villanoua.

Oculorum angulis vnguento ex croco illitis, ſi illud ſaliua redoleat, hinc fœcunditatem experiri 17
autor eſt Plin. Sunt enim oculi ſpermaticis a cerebro poris affines, adeo vt in Venereo cõgreſſu geniturã emiſſuri, plerumque conniuere, vel nictare cogantur. Et qui immodico eius vſu abutũtur, oculos hebetes, vel deprauatos habent.

Hominum dentibus quoddam ineſſe virus ſcribit Plin. Nam ſpeculi nitorem ex aduerſo nudati 18
hebetant, & columbarum fœtus implumes enecant. Addo ex Columella, etſi atopon, quod fracta pecudum crura, non aliter quam hominum ſanãtur, inuoluta lanis oleo atque vino inſuccatis, atque mox circumdata ferulis & deligata.

Expertus ſum, inquit Lemnius, duas plumbi libras, in argenti viui ſeſquilibra innataſſe: auri, ve- 19
ro denarium, vel etiam ſcrupulum celeriter peſſum iuiſſe. Scribit ille idem aureum numiſma, limonis ſucco aliquot horis inſertum, illinc eximi pondere imminuto, & acciſo.

Orbiculi e viſco querno, vulgari filo trans- 20
fixi, idem præſtant in amolienda & præcauenda epilepſia, quod pæoniæ maſculæ radix, aut ſmaragdus e collo pendens. Sic corallus fertur eſſe

amuletum pueris contra terriculamenta & alia faſcinantia. Quod etiam multi aſcribunt cornibus ſcarabei Lucanici, quem Gallicum vulgus ceruum volatilem appellat: putantque multi eadem cornua geſtata febribus certo eſſe remedio, Iacobus Holler.

21 Adeo eſt ſalutaris humanus ſanguis, vt elephantiaſi conſpurcati ſolia in balneis ex illo temperauerint, & Orpheus atque Archelaus illitu eius anginam curari tradiderint. Pariter quoque ſi in paroxyſmo comitiali morbo lapſorum, labia eo irrigata fuerint (vt antea monuimus) confeſtim liberari a conuulſione affirmant, Plinius.

22 Si dulce pomum & generoſum, excluſis interaneis, mediocri olibano & ſelecto infarciatur, additoque operculo ſuo, ſtupis vel papyro obuolutum ſub calidis cineribus lente percoquatur, & pleuritico, etiam deplorato, exhibeatur, ſtatim vbi cõcederit, aperto lateris abſceſſu liberabitur, vt multis experimentis probatum fuiſſe accepi.

23 Dentifricium factum ex pauco melle, & carbone eius vitis quæ numquam vuas protulit, dentes vſque adeo deterget, ac candidos reddit, vt plane eburnei iudicentur. Sic albæ gallinæ ſanguis in faciem lẽtiginoſam effuſus, ibiq; reſiccatus, & deterſus, omnes eius maculas obliterat. Ex quodã Italo.

24 Scutum, ſeu operculum teſtudinis fœminæ ſuper ollam poſitum, facit vt illa numquam ebulliat. Et cantharides telæ aranearum inuolutæ, & quartanario ſuſpenſæ, eum perfecte liberare traduntur. Addo quod decoctum biſmaluę cum melle & butyro recenti hauſtum, mirifice compeſcit colicos ac nephreticos cruciatus.

25 Laurus & hedera vitibus nocent (vt antea diximus)

mus) non ſecus quam braſſica. Et pſeudonardus qui noſtra eſt lauandula, propinquis herbis ſuo calore noxam adfert, perinde ac raphanus, qui ob acrimoinã vicina quæq; perurit. Sic origanum, ruta & cyclaminus, facultate exſiccante, braſſicã & prę-humidas herbas ex vicinia emarceſcere cogunt.

Coturnices per aquilonium & ſerenum cælum facile ſociantur, ac proſpere degunt, per auſtrinũ vero, moleſte, propterea quod parum volant, Ariſtot. Humidus enim eſt auſter ac grauis: quo ſpirãte minus eſuriunt animantes, ſed corpora magis diſſoluuntur & aggrauantur, vt ſcripſit noſter Hippocrates. 26

Virides roſas toto anno habebis, ſi dehiſcente flore cædantur, & cæſura in picem liquidam mergatur, ac fiſſæ arundini immittatur. Quæ diligenter ſtipata & obturata, ſub dio, accliui loco adobrui debet, ne illabens pluuia noxam adferat, Anatolius in Græc. geoponicis. 27

Litera aurea, argentea, cuprea, vel alterius metalli ad hunc ſcribes modum: Accipe albumen oui cum puluere cryſtalli ſubtiliſſimo, & addito gummi, vel aqua gummoſa, ſuper lapide marmoreo, vtrumq; diligenter tere ac remiſce. Deinde ex eo liquore & tritura quod ſcripſeris, vel pinxeris, ſiccari permitte, & quocumque volueris metallo confrica. videbis eius colorem eleganter referre. Ex Alexi Pedemont. 28

Cataplaſma ex puluere combuſtarum hirundinum, & nidi earundem, efficaciter prodeſt diſcutiendis tumoribus gutturis, & curandæ anginæ. Addo quod genera omnia lapidum qui in capitibus piſcium reperiuntur, trita, & cum vino exhibita, colicum dolorem compeſcunt, & calculum 29

qui in renibus defixus iacet, atterunt & comminuunt. Galen & Auicenna.

80 Si tauri omnino rufi aridum genitale in puluerem conuertatur, & ex eo pondus aurei vnius mulieri in vino vel iusculo quopiam propinetur, fastidium coitus illi adferet, sicuti scripsit Rasis. Idē puluis idoneis medicamentis commixtus, languidam ac sopitam venerem in viris excitat, Marcello Empirico autore.

81 Ælius Lampridius refert Heliogabalum in euripis vino plenis nauales ludos Circenses exhibuisse: nec vnquam nisi vnguento nobili aut croco piscinis infectis natasse. Addo quod Democritus consultus, qua ratione quis sanus perseueraret? respondit, si interna melle, externa vero oleo rigauerit, Plinins & Athenæus.

82 Pisces, omniaq; acida lacti admixta, & vino perfusa scabiē ac lepram conciliant: nam facile cōputrescunt. His addatur quod triduo a partu lac infantibus degustasse maternum, perniciosum est. Quod videant qui colostris enixæ bouis vtuntur, quibus nihil perniciosius.

83 Septimo mense genitis sępenumero aurium & narium foramina defuere. Et simiæ, quadrupedesque vinum bibere assuetæ, vnguibus carent. Plin. Addo quod si canes felis pellem inuenerint, voluunt se ac reuoluunt super illam, idem omnino facientes, vbi sepulta fuerit. delectantur enim odore mortuæ, quam viuam oderunt. Cardanus.

84 Homerus salem diuinum appellat, & Plato amicū dei: quod nulla sacrificia, Plinio teste, sine molæ salsa fierint. Deinde quod sale consperſa & macerata, diu, ne putrescant, conseruantur. Hinc Plutarchus fulmen quoque diuinum veteres dixisse

asserit,

asserit, quod corpora eo diuinitus afflata, imputrida multo tempore durent.

Contra sanguinis reiectionẽ per os, ob venam aliquã in pulmone ruptã, vel aliter apertam, accipiũtur scrupuli duo stercoris muris subtiliter triti, & succi plãtaginis vnciæ 2. vel 3 cũ modico sacchari. Sumuntur mane ante egressum lecti, & vesperi ante eiusdẽ ingressum, continuatis dieb. aliquot. 35

Si Amethystum lapidem velis fingere, Accipe salis Alcali vocati vncias 3. crystalli puluerati vnc. quatuor, & limaturæ æris vnciam semis. Liquescant omnia forti igne in vasculo aurifabrorum, & vbi perfrixerit materia, fracto vasculo educatur. Addam, etsi parergon, quod azurum vltramarinũ legitimum, ab adulterino & factitio discernetur, si supra ignitum ferrũ non aduritur, nec in eo lapis vllus reperitur. Ex antiquo lib. manu descripto. 36

Oui albumen diu agitatũ & viuæ calci admixtũ, vitri fragmẽta egregie ferruminat & glutinat. adhæc testacea omnia, sic vt dissolui ęgre possint. His adiungimus, quod sal cũ fermẽto, melle, butyro & suillo adipe, quoscũq; tumores, etiã grassante peste obortos, potenter aperit, ac perrumpit, Arnaldus a Villanoua. 37

Si quis faciei decorẽ & venustatẽ cõseruare voluerit, ne cauis exãthematũ seu variolarũ vestigiis deturpetur, vbi crustæ spõte deciderint, mane ac vesperi faciẽ abluat cũ decoctione lupinorũ aut aqua distillationis florũ fabarũ. Vel liquore stillatitio tartari vsti illã madefaciat, & spe non frustrabitur. Langius. 38

Florentinus ex Geoponicis vnus, tradit lilium rubrum futurum, si quis inter radices eius cinnabarim fundat. Sed videndum attente ne bulbos sauciet. Si alio colorum puluere radices eiusdem 39

ſaturaueris, ſimilia ei naſcentur lilia. Cauendum tamen a venenatis, vt paulo ante monuimus.

40 Plantago, martia cenſetur eſſe herba, ab Hermete, & ob id aduerſus dolores capitis plurimum pollere, propter Arietem qui eſt altera Martis domus, & caput ſibi inauthorat. Prodeſt etiam contra morbos teſticulorum, ac vlcera eorundem, nec non gonorrhœam & hæmorrhoides, tam ſemine quam reliquis ſuis partibus, propter Scorpium qui eſt altera Martis domus, & iis partibus imperat. De aliis herbis planetarum ſimile ferendum erit iudicium.

41 Lapilli ex capite limacum & grandiorum cochlearum eruti, ſtrangurioſis vrinam moliuntur, illius meatus lubricando, ſi comminuti ex vino exhibeantur. Auxiliantur etiam parturientibus laxando, & dilatan̄do muliebres locos.

42 Panniculi menſtruo ſemel infecti, prohibentur imponi ſuper vulnera, etiam ſi accuratiſſime abluti fuerint: ob nocumentum quod de experientia adferre compertum eſt, vt tradit Hieron. Eugubius. Liceat mihi addere ex Alberto, quod lapis in capite vulturis repertus, ad quoſcumque noxios caſus vtilis eſt. Et qui in nido vpupæ inuenitur, ſecretorum proditor eſſe fertur, pectori dormientis ſuperpoſitus. Albertus.

43 Non vulgarem eſſe vnguinis ex oleo virtutem, id celebre Romuli Pollionis reſponſum teſtatur. Qui a D. Auguſto Cæſare rogatus, qua ratione victus illum decrepiti corporis & animi vigorem cẽtum annis illæſum conſeruaſſet, reſpondiſſe fertur, Intus mulſo, foris oleo. Plin. & Athenæus.

44 Ægyptii ſacerdotes, Plutarcho teſte, a ſale omnibuſque ſalitis religioſe abſtinuerunt. Quod

illa tentiginem mouere, ac libidinem excitare probe ſcirent. Quod videant qui ſalſis piſcib. & piperatis quotidie vtuntur, & clauſtra ſequuntur, voto virginitatis, vt loquũtur, ex profeſſo irriteti.

Equa non abortiet ſi lupum preſſerit, aut veſtigiis eius inſtiterit, vt in ſacris Ægyptiorum literis legitur. Et equarum libido iubis detonſis extingui fertur. Addo quod ſi tauri dextrum genu arctiſſime ligetur, coire non poterit: etiam ſi ante oculos vaccam habuerit laſciuo mugitu illum ad copulam inuitantem. 45

Paſtores, vt refert Plutarchus, pabula pecorum ſale conſpergebant, vt eius acrimonia ciborum meatus obſtructi reſerarentur, & pecora pingueſcerent. Sal enim torpentem ventriculi appetentiam excitat. Cuius rei gnaræ columbæ, terram ſalſam, aut lotio conſperſam, pipionum ſuorum gulæ roſtro inſerto deſaliuant. 46

Alumen tritum & cum albumine recentis oui agitatum, feruefactũ & continuo motum, in vnguenti ſpiſſamentum tranſit. Quo, ſi biduo, vel triduo facies mane & veſperi inungatur, nõ ſolum emaculabitur & erugabitur, ſed ſumme etiam pulchra & grata reddetur. 47

Olfactum vitiatum, vel deprauatum, efficaciter emendant melanthii ſemen, abrotonum, ruta, & quæcumque acris, ac vibrantis ſunt odoris. Prodeſt etiam mentham naribus identidem admouere, & maxime ſenibus. Cuius ſuaueolentiam, vel manifeſte percipiunt, quibus omnis odorandi facultas intercepta eſt. Lemnius. 48

Iulius Viator Rom. eques, Plinio autore, cum pupillari ætate, hydrope laboraret, humidorumque vſu a medicis illi interdictum foret, aſſuetu- 49

dine naturam superauit, ac reliquum vitę tempus absque potu vixit, nihilque in senecta bibit: cum tamen senes tantum potu viuere tradantur, vt cadauerum suctu, aquilæ.

50 Radici anchusę album aliquem florem si infigas, purpureum reddes, & exinde puniceum. Et si florem alterius coloris quã albi, sulphureis suffimentis exposueris, diuersis coloribus tinctus prodibit.

51 Si planta heliotropii, quæ Solis sponsa vocatur, Sole Virginis signum tenente colligatur, sub initium Septemb. & foliis lauri inuoluatur, addito dente lupi, nullus contra portantem loqui poterit, nisi verba pacifica. Autor Albertus, qui hæc & alia innumera transcripsit ex quodam libro Secretorum Ioannis regis Arragoniæ. Cuius exemplar manu antiquissima descriptum, necdum impressum, penes me habeo, inenarrabilium arcanorum fœcundum.

52 Lapis carpionis triangularis comminutus & tritus naribusque inflatus, sanguinis profluuium ex illis sistit & cohibet, facultate astrictoria, quæ etiam gustu percipitur. His liceat addere, quod cęlestis aqua, modo non sit turbida, eiusdem fere est ponderis cum vino: pręsertim ea quæ mense Maio delabitur, & in annos multos seruari potest. Autor Lemnius.

53 Ad oculorum vitia, vnguem, nebulam, albuginem, & alia, sequens remedium præstãtissimum esse mihi narratum est. Caput cati omnino nigri, in noua olla aduritur & incineratur, ex eoque ad lęuorem & tenuissimum pollinem deducto, nonnihil per tubulũ pennæ mundæ in oculum quotidie ter insufflatur. Si quis vero ardor, noctu maxime, oculum infestet, folia quercus aquâ madentia,

tia, bina vel terna ſimul oculo ſuperponuntur, & dentidē inuertuntur. Dicebat ſecreti huius autor, viſum poſſe reſtitui hoc remedio poſt cæcitatem vnius duntaxat anni. Experientiæ proponimus.

Diocletianus Cæſar, poſtquam Achillem Ægyptiorum ducem octo menſes in Alexandria obſeſſum profligaſſet, omnes chymicæ artis libros diligenti ſtudio conquiſitos deflagrauit: ne reparatis opibus, Romanis facile repugnarent, Suidas, Oroſius & Paulus Diac. 54

Salem fœcunditati auxiliari, vel illud argumēto eſſe poteſt, quod immenſa vis murium & ſoricum in marinis nauibus enaſci ſoleat. Et quod mulieres ſalſamentariæ & ſalinariæ continenter pruriant, ſintq; numeroſę prolis matres. Lemnius. 55

Aſini atræ bili obnoxii libenter aſplenium edunt, vt lienis vitia emendent: cardueles eufragiam: & viperæ fœniculum, reparandi viſus gratia. Sic capræ quadam naturæ proprietate hominis ſaliuam oderunt: nec quidquam edunt quod ab homine prius deguſtatum ſit: contraria lacertarum natura, quæ eam auide lambunt, Plinius, Theophraſtus & alii. 56

Annibal per inuias alpium rupes Italiam ingreſſurus ſaxa igne accenſo calefacta, aceti aſpergine ita emolliit, vt in fruſta facile cæderentur, ac facilius diruerentur, Titus Liuius, Plutarchus & alii. 57

Ad vulnera quæuis præſtantiſſimum eſt, ac paratu facile, ſequens remedium. Sumuntur picis Græcæ, ſulphuris & olibani albi, ſingulorum partes æquales, teruntur, ouorum albuminibus excipiuntur, & vulnerum labris rite adductis abſterſoque ſanguine, ſuper linteolo impoſita eodem, vulneri applicantur, faſcia deligantur, & 58

dies aliquot ibidem manere permittuntur. Res mira & probata.

59 Dentium stuporem, quem Græci haimodian vocant, portulaca mansa dissoluit, Aphrodiseo teste quod etiam præstat salis defricatio, vel quidpiam recentis casei ouilli dentibus stupefactis attritum. Addo quod in odontalgia, seu dentium dolore, nullum præsentius inuenias remedium emplastello facto ex pice vulgari, aut resina liquefacta cum puluere aluminis & nucis quam gallam nuncupant, modo arteriæ temporali paulo supra dentem excruciantem calidum apponatur, & ibidem pernoctare sinatur vel dies aliquot gestetur. Sed id maxime locũ habet in excarnificatione dentium maxillarium & superioris ordinis. Experto, vt dicunt, crede Roberto.

60 Dionysius Heracleotarum tyrannus tali sopore fertur laborasse, a quo nisi acubus punctus excitari non poterat. Has vero ex medicorum consilio diuersas sibi comparauerat pro corporis obesitate, Athenæus.

61 Veteres caput ob mentis domicilium, ceu rem sacram valde obseruabant. Vnde per caput iurabant, & sternutantibus salutem precabantur: vti etiam hodie fieri solet. Autores sunt Aristoteles, Plinius & Athenæus. Quod videant, qui consuetudinem eam salutandi sternutantes, Gregorio Pontifici ascribunt.

62 Lilia rubescent, vt Florentinus docuit, si eorum bulbi diligẽter aperiantur, & rubro quopiã colore puluerato impleantur, eiusq; intinctu saturentur, & demum pingui solo ac stercorato committantur. Sed cauendum, vt antea commonui, ne bulbi quouis modo saucientur, & colores suspecti sint.

Qui

Qui vrticam in manu habuerit cum pentaphyl- 63
lo,securus erit ab omni phantasmate & metu. Si
vero vtrumque teratur cum succo sempervivi,seu
aizoi,& ex eo manus inungantur, proiiciaturque
magma in aquam piscosam,missæ manus in eam,
piscium agmina ad se allicient. Idem fiet si in pi-
scatoriam fiscellam, vel sagenam, aut reticulum,
imponantur huiuscemodi miscellanea. Ex quo-
dam libro Secretorum Hermetis nomine.

Limacius lapis vnus, vel alter linguæ subditus, 64
miram vim obtinet in cienda saliua. Quapropter
aridis & siticulosis,nec non febricitantibus,in ore
volutari debet. Pollet eadem vi crystallus, si subin-
de frigida maceratus ori immittatur. Adhæc por-
tulaca,semper-viuū, aut cucumeris semen decor-
ticatum,&ad hunc modum linguę superpositum.
Experimento constat.

Oleum ex semine lini & sesami excerptum, 65
omnium aliorum est leuissimum, & numquam
frigore concrescit: quod aliis non est concessum;
illi nihilominus supernatat vinum ardens, seu
aqua vitæ,Lemnius.

Certa constat experientia, infantem eum qui 66
continuata serie masculorum septimus in lucem
prodiit, strumas seu scrophulas, vel solo attactu
curare. Quod etiam Christianissimis regibus no-
stris Gallicis,raro quodam priuilegio Dei conces-
sum est.

In quo signo fuit Luna genituræ seu natiuitatis 67
alicuius hora, illud in conceptu eiusdem orieba-
tur. Et in quo signo inuenta fuit in conceptu,il-
lud,aut eius oppositum, exoritur in partu, & na-
tali hora,vt scribit Ptolom. ex sententia Herme-
tis. Quæ res ad probandam vxorum fidem con-

iugalem, habendasque serio calculo natiuitates, non parui est momenti, modo certo constet de die & hora conceptus. Quam facile adnotare possunt, qui Veneri parcè, & veluti ex numerato & præscripto indulgent. Sed mulierosis hoc opus, ille labor.

68 Vrticæ in mortario contusæ, addito momento vnguenti διὰ αἰγείρου, quod populeon vocāt arteriis temporum, ac metacarpii applicantur: remedio præstantissimo ad extinguēdum ardorem siriasis infantulorum, plus minus biduo, modo singulis quaternis horis innouentur, Langius.

69 Conseruandis eduliis si sal desit, aut salsugo, non incommode vti aceto licebit: sed non tam diuturna vi Nisi enim post aliquot menses priori effuso, recens condititiis rebus infundatur, mucore, limoque obducuntur. Lemnius.

70 Stillatitia aqua asteris attici, vel potius aſtici, epota, aut vuluæ indita, mulierum alba profluuia mirifice sistit. Adeo, vt eius quoque diutina iniectione, corruptæ ab incorruptis vix dignosci possint. Quod efficacius & celerius fiet si eius decocto insideāt, vt mihi retulit, qui se expertum dicebat.

70 Sal Veneris genuinum vigorem non solum titillat, sed etiam fœcundum reddit. Ob id Ægyptii suos canes ad coitum inertes, salsamentis ad Venerem alacriores reddebāt. Naues quoq; maritimę, Plutarcho & Plinio autoribus, tam immensa murium prole & fœcunditate onerantur, (sicuti antea scripsimus) vt non desint autores, qui fœminas absque masculi coitu sololinctu salis concipere affirment. Et hinc nimirum, poetæ Venerem ἁλιγενῆ, hoc est, e sale & mari natā finxerunt.

Ad purpurandam faciem pallidulam, & decolorem venuſtandam, Sume ſantali rubri, & aceti acerrimi bis diſtillati, vtriuſque quantum voles, miſce,& igni lento coque, addito aluminis momento: habebis rubricam tingendæ faciei perfectiſſimam. Quam ſi odoratam voles reddere,inii ce moſchi tãtillum, vel odoris alterius qui tibi arridebit. Ex artificiis cuiuſdam Itali. 72

Tithymalorum ſuccus lacteus, vi adurente & cauſtica verrucas abolet. Pari effectu hermodactylus ac ſabina in puluerem redacta, & oxymelite ſcillitico excepta, vel calendulæ ſucco remiſta, clauos & callos, etiam in pudendis partibus, delent,quum a fœdo concubitu oborti ſunt. 73

Eraſiſtratus medicus deprehendit ex pulſu Antiochum Seleuci regis filium, amore Stratonices nouercæ adeo tabeſcere vt niſi indulgentia patris voti compos factus fuiſſet,vitam cum morte mutaſſet, Autores ſunt Valerius Maximus, & Galenus. Qui etiam eiſdem indiciis agnouit, Iuſtam Boetii viri Romæ Conſularis vxorem, Pyladis in theatro ſaltantis amore flagrare & languere. 74

Si flores coloratos habere ſatagis, illos in cadis vel fictilibus vaſis, ſelecta terra, eaque fœcunda, planta,& mane ac veſperi,aqua,quibus viſum erit coloribus intincta, irriga, ſed noctu a frigore defende. Vbi Sol lucebit,in apertum profer, & aprica ri ſine. Si diſcolores fieri optas, diuerſis aquis diuerſoque tempore id aggredere, Ioan. Baptiſta Porta. 75

Chelidonia planta cum corde talpæ capite illius qui grauiter ægrotat, ſuppoſita, ſi periclitatur, alta voce ſtatim clamabit, aut cantabit: ſin minus, plorabit. Addo ex vetuſtiſſimo commen- 76

tatio, quod ſuccus hyoſcyami cum ſanguine iuuenis leporis miſtus, & in leporina pelle conſutus, fertur omnes lepores congregare, qui fuerint in eo tractu vbi ſepultus iacuerit: non ſecus quam matrix canis, alios canes. Sunt qui mihi affirmarint id verum eſſe.

77 Pleræque mulieres grauidæ ex leporis inſperato occurſu, obtutuve, aut deſiderio pulpamenti eius, infantes periunt labello ſupremo bifido, & bifurcatim ſecto. Id quod experientia quotidiana confirmat.

78 Morbus qui cœperit cum Luna fuerit in eo ſigno quod malefica aliqua tenuit in genitura, ſiue in quadrãgulo aut diametro eius, grauiſſimus futurus eſt: ſi autem malefica reſpicit, periculoſus. Sin in loco vbi genituræ tempore benefica fuerit, ſine periculo erit. Autores Ptolem. & Claud. Galenus ex doctrina Ægyptiorum, & maxime Mercurii Triſmegiſti.

79 Troiani belli temporibus, Græci experrecti mane vtebantur acratiſmati, id eſt, ientaculo, ſed frugi. Deinde hora tertia diei ab ortu Solis ariſto, hoc eſt prandio. Ad veſperam vero, heſperiſmati, id eſt merenda. Demum poſt Solis occaſum, deipno, hoc eſt cœna, Athenæus & Suidas.

80 Ouum in aceto acerrimo triduo maceratũ aut paulo plus, teſtam adeo teneram & mollem exhibet, vt per annuli anguſtiam facile adigi poſſit. Idẽ calida aqua demerſum induratur. Addo quod ſilex eodem aceto edomitus ſeptẽ dierum ſpatio, digiti attritu in puluerẽ reſoluitur. hinc nihil mirũ, ſi (vt diximus) Annibal alpina ſaxa ſoluit aceto.

81 Decoctum foliorum & ſeminum cannabis terræ inſperſum, vermes & lumbricos, ſi qui ſubſint

ſint, ad eius ſuperficiem allicit. Idem ſemen hieme gallinas fœcundas reddit. Et cannabina folia in farinam verſa, inebrietantem potum faciunt, Cardanus.

Antiqui ne vina lenteſcerent, & pinguia ac pendula fierent, aquam marinam, aut ſalem addebant: qui ſuo calore & pondere fæces ad fundum ſecum deferebat, & ita vina defæcatiora reddebat. Autores ſunt M. Cato, Colum. Plin. & Græcorum geoponici. 82

Aqua reddens faciem iuuenilem. Accipe ſulphuris viui vnciam vnam, olibani albi vnc. duas, myrrhę vnc. totidem, & ambræ drachmas ſex. Redigantur ſingula in puluerē, deinde commiſceantur, & addita libra vna aquæ roſaceæ, diſtillentur in diplomate, ſeu balneo, vt vocant Mariæ. Excepta aqua ſeruetur in vaſe ad vnguem obturato. Cum vti voles, tinge in ea linteolum album, quo faciem ablue ante ſomnum, & mane hordeacea aqua, aut fontana, deterge: adeo venuſta & limpida erit facies, vt ab omnib. miretur & exoſculari deſideretur. Ex quodam libro decoris muliebris. 83

Oleum tartari factum ex fæce vini generoſi, ferrum ilico emaculat, deterſaq; omni rubigine, eximium ſplendorem ei conciliat. Faciei lentigines obliterat, & fœdas omnes puſtulas quæ frontem mentumq; deturpant, vi abſterſoria emendat. Ex quadam matrona fucorum magiſtra. 84

Roſarum radices & propagines vna cum genitali earum terra inter geniſtas & ſparta tranſlatæ, flaueſcentes roſas præbere traduntur, Bapt. Porta. Eſt alia via quæ per terebrationem fit, de qua ne verbum quidem hîc à nobis expectabis, vt aliis ſuum demus locum. 85

86 Hyoscyamus pestiferis bubonibus admotus, illos fertur disperdere, vel, vt quibusdam placet, dispergere. Et si quis ante illorum emersum plantam eam secum habuerit, nusquam a bubonibus corripietur. Radix trita & podagræ ischiadive (calidæ) apposita, maximopere iuuare fertur, quod sit Ioui mancipata, qui vnus coxas ob Sagittariũ, & pedes propter Pisces sibi vendicat. Ex vetustissimo Secretorum libro.

87 Si guttæ aliquot aquæ vitæ scriptorio atramento misceantur, numquam frigore constringetur. Et si succo maluæ, aut mercurialis, manus oblinas, citra læsionem plumbum liquefactum tractare poteris, modo celeri motu id perficias. Quod credere tutius puto, quam experiri.

88 Qui ad rem quampiam aptus est, habet profecto & huiusmodi significationis stellam admodũ potentem in sua genitura. Et qui sciens est, potest multos stellarum effectus auertere, quando naturã earum nouerit, ac seipsum (a cælo monitus) ante euentum præpararit, Claud. Ptolemæus.

89 Iulius Capitolinus refert Antoninum Pium Cæsarem iam senem & silicernium, mane antequam salutatores venirent, solo pane sicco robur virium sustentasse. Addo quod Democritus morti proximus solo eiusdem panis & mellis cocti odore vitam prorogauit, donec Thesmophoria Cereris sacra finirentur, Athenæus & Diogenes Laertius.

90 Aceti vsus tam intra, quam extra assuefactus (vt fieri solet per cõtagia pestis) incommoda parit plurima: nisi aquæ rosiceæ, aut vini optimi, vel croci momentũ illi remisceatur. Sed de his multa in nostris contra pestem Secretis & auxiliis.

Sicomori

Sicomori lignum in aëre numquam ſiccatur: in ripis fluminum & aquarũ gurgitibus celeriter. Addo quod baculũ ex ſilere libenter ferunt ruſtici, quia ſerpentes hunc fruticẽ fugiunt, Plin. Addo quod hyoſcyamus viridis ſub ceruicali poſitus, ſomno conciliando prodeſt: perinde atq; plantas pedũ inungere gliris pinguedine, vt Aëtius tradit. 91

Virtus roſarum purgatrix conſiſtit in ſupernis earum partibus, vt etiam violarum: aſtrictoria vero earundem facultas & roboris altrix, in internis deliteſcit. Sic vrticæ vis adurens, ſuperficie tenus manet: interne vero tantum frigoris latet, vt contuſa vrtica, & arteriis brachii temporumque applicata, febris feruorem extinguat in corde, vt alibi adnotauimus. 92

Regum pocula ex cornu olim fuiſſe, autor eſt Philoſtratus. Vnde ἀπὸ τοῦ κέρατος, id eſt à cornu, cratera deduci contendunt. Tradit inſuper Theopompus, boues apud Pæonas tam magna geſtaſſe cornua, vt tribus aut quatuor vini ſextariis vix adimplerentur: ex iiſque reges ac proceres pocula conficerent, labris eorum auro & argento obductis. 93

Ad maculas faciei obliterandas plurimum pollet lupinorum farina, cum felle capræ, ſucco limonum, & alumine ſuccharino. Miſcentur omnia, & fit vnguentum, quo tanguntur maculæ, & paulatim abolentur. 94

Ne vinum æſtiuis menſibus, & per Caniculæ incendia, citò in congiis & amphoris vapeſcat, ſed ſuaue ſit ac ſumme frigidum, collocentur vaſa œnophora in labro aqua frigida oppleto, deinde ſal petræ aut nitrum illi inſpergatur. Tanta frigiditate vinum imbui continget, vt vix dentes 95

ferre possint, Lemnius & Langius. Sunt qui albuminib. ouorum vtantur, loco nitri, aut salis petræ.
96 Florem vetonicæ coronariæ (oillietum vulgus Gallicum nuncupat) cæruleo colore sic intinges: Caudicem intybi erratici qui insigni sit crassitudine, radice tenus seca, & facta fissura in excentrismo sobolem floris à radice euulsam defige. Id vbi factum erit, vimine constringe, ac terram putri fimo subactam circum aggera, & opportune riga, Bapt. Porta.
97 Crystallinus lapis in tenuissimum pollinem deductus, & ex iusculo quopiam, aut vino, mulieri lactanti exhibitus, illius verba lacte plurimo fœcundant. Si vnionum puluis contra cardiacum affectum valde pollet, modo veri & orientales fuerint vniones.
98 Cum volueris fugare muscas à quopiam loco, vt nulla ibi amplius videatur, fac imaginem muscæ in lapide annuli, vel, vt habet codex meus, figura in lamina æris, cupri, aut stanni muscam, araneam, & serpentem, secunda facie Piscium ascendente. Et inter formandum dicas, Hæc est imago quæ omnes muscas exterminat in æternum. Deinde sepelias eam in media domo, vel suspende ad aliquem locum illius. Si habueris adhuc quatuor similes, & in quatuor angulis domus sepelieris, vt suspenderis, aut inter parietes ita occultaueris, vt à nullo possint auferri, longe melius erit. Sed hæc repositio debet fieri prima facie Tauri ascendente, sic enim nulla musca ingredietur, nec remanebit. Experimentum vidi, inquit Ptolemæus, in domo Adebari regis sapientiss. & in magia naturali exercitatiss. In cuius palatio nec musca erat, nec vermis aliquis nocens,
aut

aut moleſtiam adferens. Quod vt explorarem, ait, produxi ibi muſcas viuas, quæ ilico interierunt Hactenus ille.

Mures extinguentur, ſi cum aliquo delectabili cibo illis propoſito miſceatur argentum viuum extinctum, aut plumbum vſtum, vel ſquamma ferri, aut helleborus niger. Addo quod vermes ac venenata omnia fugantur ſuffitu aliorum animalium eiuſdem ſpeciei, vt ſcripſit Raſis. 99

Ex vino debili ſic facies generoſum: Accipe foliorum callitrichi & ſeminis apii ac fœniculi, & quantum poteſt manus capere, dolio immitte. Si turbidum erit, ſic clarum reddes: Sume ſex aut ſeptem ouorum albumina, quę vino iniecta baculo diligenter moue & coagita. Ex ſecretis periti cuiuſdam & diuitis œnophylacis Aureliani. 100

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM

CENTVRIA IIII.

SAnequam memorabile, & admirabile, mihi eſt quod ab Æliano ſcribitur. Cum lupus, inquit, maxima magnitudine in ludum literarium inuaſiſſet, & de manibus Gelonis Syracuſani pueri tabellas rapuiſſet, Gelon de ſella ſurgens, feram nullo timore diligenter & acerrime inſequebatur, tabellas ſuas ex illius ore detrahere ſatagens. Poſtea autem quam hic extra tabernam ludi literarii fuiſſet, illa quidem labem fecit, & 1

repentina ruina concidens, pueros ſupra centum vna cum præceptore confecit & oppreſſit: ſolo Gelone, diuinæ prouidentiæ munere, ex ſodalibus ſuis ſuperſtite. Qui quod a lupo occiſus non fuerit, ſed potius ſeruatus, magnam profecto habet admirationem. Non igitur rationis expertia Deus negligit, imo vero chara habet, cum diuino inſtinctu partim ex his regnum præſignificarit, partim ex impendente periculo ſeruarit.

2 Priſcæ religionis ſacerdotes, dæmonum antiſtites, vt prætextu religionis diteſcerent, fingebant deos excruciare homines morbis. De quorũ numero epilepſia, ob id ſacer morbus dicta, cenſebatur. Autor Hippocr. in libro De ſacro morbo, & De virginum morbis. Adhæc Gale lib Prognoſtic. vt adnotauit Ioannes Langius.

3 Membrum ferro percutiendum non eſt, quum Luna ſignum tenuerit quod membro illi dominatur. Addo quod defectus luminarium in cardinibus genituræ, annuarumve cõuerſionum noxius eſt. Et Venus nato voluptatem adfert in membro, cui ſignum in quo i[illegible] ſt dominatur. Idem & in cæteris ſtellis, Ptole[illegible]us.

4 Si ſorex, ælurus, muſtela, vel tale quid ex inopinato grauidæ mulieris corpori inſiliit, aut fraga, corna, ceraſa, vel vuæ acinus vlli parti eius inciderint, confeſtim notam fœtui imprimi contingit, illi maxime membro quod attigerint: Niſi forte mulier in ipſo momento quo hæc corpori ingruunt, derepente abſterſo membro, poſticæ, aut remotiori parti corporis manum admoueat, Lemnius.

5 Carnes ad Lunæ radios noctu mactatæ, vel expoſitæ, teneriores, coctuq; faciliores euadunt.

Nam

Nam Lunæ aſtrum ad cibariorum concoctiones plurimum confert: quæ nihil aliud ſunt quam putrefactio quædam. Hinc ligna ad Lunæ ſplendorem cæſa citius putreſcunt, & fructus celerius matureſcunt, Autor Daphnus medic. apud Atheneũ.

Aqua ardens, quam etiam vitæ aquam appellant, in præſeruandis rebus, & à putredine vindicandis ſumme & efficax. Si enim carnes ac piſculenta quæque ea imbuantur, à corruptione & vermiculis immunia euadunt. 6

Si folia taxi comederint iumenta, moriuntur: ſi vero ruminantia animalia deguſtauerint, nihil incommodi ſentiunt, Theophraſtus. Quanquam Plinius fraxino, id adſcribit: quem fefelliſſe potuit nominum affinitas & vicinitas. Nam Græci faxinum *milean*, taxum vero *milon* vocant. 7

Nouit alter vnio Cleopatræ nouiſſimæ Ægypti Reginæ, tabificam aceti vim & acredinem, quo nec magnitudine, vt tradit Plin. nec candore parem vnquam ſpectauit Oriens. Dum enim ſuperbo faſtu, vt reginam decet meretricem, M. Antonio Conſuli Rom. obiiceret, facta etiamnum ſponſione, ſe ſolam vna cœna centies ſeſtertiûm abſumpturam, vnionem ex aure detractum, qui tanti æſtimabatur, nimirum ducentis & quinquaginta milibus coronatorum, aceto liquefactum, re vera abſorpſit. Autores ſunt Plinius, Macrob. & alii. 8

Ex tamariſco & fraxino tornati calices à medicis valde probantur. Nam hic venenis & item calculo, ille vero ſpleni obſtructo præclare medetur. Poſſunt etiam ex ligno guaiaci aduerſus lucem Veneream componi remedio præſtantiſſimo, Ioan. Langius. 9

10 Ad diluendum faciei nimium ruborem, Accipe vncias quatuor nucleorum perſicorum,& ſemin. cucurbitæ extorticatorũ vnc. duas, tere, ac fortiter exprime, vt oleaginoſum liquorem elicias,quo mane & veſperi faciei carbunculos ac rubores tange, & paulatim diſparebunt, vel plurimum emendabuntur.

11 Si quis integras & illibatas caſtaneas diu ſeruare volet, illis nuces iuglandinas remiſceat. Humorem enim excrementitium & vliginem omnem, vnde carioſæ efficiuntur, penitus abſorbebunt,& ſitu obduci prohibebunt. Sed de his multa in noſtris hortorum Secretis.

12 Si rapæ ſerantur raræ, effœminãtur: ſi vero denſæ, maſculeſcere omnes aiunt. Tradunt inſuper quod quanto recentiora fuerint cucurbitæ & cucumeris ſemina, tanto maturius naſcuntur: & petrapiũ,aut petroſelinũ, ex veteri ſemine celerius prouenire, quam ex recenti: vti etiã naſturtium.

13 Aganice, vt Plutarchus refert, Hegetoris, Theſſali filia, ſiderum defectus in plenilunijs, perita, ac temporis quo Luna obiectu terræ vmbra obnubilaretur gnara, quum hæc mulierculis credulis, præſaga futuri prædiceret, Lunam præcantatione cælo ſubducere credebatur. Hinc illud Virgilii in Damone exſtitit,Carmina vel cęlo poſſunt deducere Lunam.

14 Polygonum, ſeu corrigiola, ſolaris cenſetur eſſe planta. Ex quo affectibus cordis,nec non oris ventriculi, quem priſci cardinam nuncuparunt, ſumme auxiliatur, propter Solem & Leonem, qui vtriſque præſunt. Iuuat etiam nephreticos, & calculi, vel coli doloribus excruciatos, potu aut iniectione. Sunt qui probato euentu mihi confir-

confirmarint, etiam valde prodesse ad hæmorrhagias.

Quisquis genituræ suæ dominatores, aut ascendens in signis humanis non habet, ab humanitate alienus, etiam sibi ipsi erit. Et quicunque Martem habet in horoscopo, seu ascendente suæ genituræ, omnino cicatricem in facie accipiet, Ptolemæus. 15

Hydrophobi qui ex canis rabidi morsu aquam appetunt, & eandem reformidant, si inopinato subitoq; impulsu aquis mergantur, metus metu discutitur, & tali symptomate liberãtur. Lemnius. 16

Ruta & mentha dum virent, flatus & Veneris pruritum excitant: siccata vero, vel frixa & præcipue semina, eosdem discutiunt, Venerisque impetum frangunt, & gonorrhœam sistunt. Hinc nimirum ad castitatem seruandam, olim mystæ sacris initiati ruta vtebantur. Auctores sunt Nicander, Hippocrates, Dioscor. Galenus, & alii. 17

Perrigidum & asperum gelu crus brachiumve, offendiculo & lapsu minimo facile frangitur. Quod ex siccitate aëris ambientis, ossa etiam rigescant & fragilia reddantur. Id quod in candelis ex cera, vel seuo compactis obseruari potest: contrario modo quam in humido cæli statu: in quo omnia lentescunt, & flexibilia fiunt. Lemnius. 18

In præseruandis eduliis, si sal, acetum, aqua vitæ, vel salsugo ad id oportuna, defuerint pulvis cymini, aut carui, vt vocant, præsentaneo erit auxilio, si illo defricentur, & recondantur. Proderit etiam mel, sed non ita efficaciter. 19

Ad continendum sanguinem qui immodice 20

fluit, hanc præcantationem docet Cardanus: Sanguis mane in te, ſicut fecit Chriſtus in ſe: Sanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pœna: Sanguis mane fixus, ſicut Chriſtus quando fuit crucifixus. ter repetendum eſt.

21 Ficus arbor vaporem adeo acutu... incisiuum ſpirat, vt carnem gallinæ in ea ſuſpenſam maturet, coctuque perfacilem reddat, Plutarch. & Ariſtot. Idem continget ſi ſublatis ex volatilibus pennis, aut detracta pelle ex animantibus illas in tritici aceruo, vnum alterumve diem diligenter conſepeliueris. Experientia confirmatum.

22 Veterum medicorum inſtrumenta cornea erant, cornibus liquores menſurabant, cornibus in ſcarificatione pro cucurbitulis vtebantur, & cornib., Galeno teſte, clyſteres adminiſtrabãtur. His addam quod nõ ſolum monocerotis cornua, ſed ceruorum quoque, contra virus efficacia eſſe experimento conſtat Nam illorum ſcobe vermes infantium necantur, & accenſorum nidore ſerpentes fugantur, vt tradũt Dioſcor. Plin. & alii.

23 Aduerſus faciei ſerpiginem & aliarum partium corporis (Galli *dertas* vocant) accipito radicem lapathi, ſeu rumicis, eamque particulatim conciſam, diem vnum in albo & acri aceto macera, deinde extrahe, & ſerpiginoſum locum ter vel quater omni die ſedulo confrica, & in acetum toties remitte: vel, quod ſatius erit, nouas radices ſubſtitue. Experimento frequenti probatũ. Sunt qui idem certo promittant ex radicibus borraginis, à ieiuno laborante præmanſis, & diu identidemque illitis. Facilis erit experientia.

24 Corruptum vinum, pingue & pendulum reſtauratur infuſo lacte bubulo modice ſalſo. Sunt qui

qui alumine, ſulphure & calce id teutent, non ſine graui bibentium pernicie. Quod vt vitari poſſit grana iuniperi & iridis radix vna ſunt admiſcenda, Lemnius.

Amygdalę naſcentur inſcriptæ, ſi tamdiu cum 25
ſuo putamine & teſta macerentur, donec laxatis clauſtris nucleus abſque vlla noxa & fractura excludi poſſit: vbi exemptus erit, præacuto ſtylo, quidquid allubuerit, ſatis profunde in eo ſculpetur vel deſcribetur, tenuique arborum membrana aut papyro inuoluetur, & ſtercorato ſubactoque ſolo committetur. Ex Geoponicis.

Verbenæ radix appenſa collo eius qui ſtru- 26
mas patitur, mirum ac inſperatum adfert præſidium: quod Veneri ancilletur, quæ collo præeſt, propter Taurum eius domicilium. Ob id etiam Veneris deſideria augere traditur geſtata, vel ex vino hauſta. Addunt magiæ naturalis profeſſores eandē verbenam Sole per Arietem ſpaciante collectam, & granis pæoniæ ſociatam, tritā, & ex vino albo percolato hauſtam, epilepticos, miraculo quodam ſanare. Res me dictante, multis experta, quam ex vetuſtiſſimo libro de herbis ſeptem Planetarum, Hermeti adſcripto, fideliter deſcripſi.

Topazii gemma cote medica attrita, ſuccum 27
reddit ad oculorum morbos apprime vtilem, ſi eo illinantur. Ille idem hydropi aduerſatur, ac tabeſcentibus medetur. Autor Epiphanius Cypri epiſcopus in opuſculo de 12. gemmis quæ erant in veſte Aaronis, ad Diodorū Tyri pręſulem.

Comprehenſæ, hauſtæque ſub ipſo conceptu 28
imagines, vel ſubito oborta rei cuiuſque cogitatio, creditur effingere ſimilitudinem in fœtu, ac formas miſcere. Hinc auorum alios, alios patrum,

plerosq; autem cognatorũ effigiem ostentare videas. Ideoq; in homine plures, quã in reliquis animantibus sunt differentiæ, ac discrimina, Plinius.

29 Maturitatis muriæ experimentum id erit: Vbi dulcem caseum in eam demiseris, si pessum ibit, immaturam: si vero emerget, maturam esse scito Columella. Addam ex Plinio, etsi parergon, quod lapis exemptus e capite piscium qui aselli seu onisci vocantur, nobis vero merlucii, febrem tollit, adalligatus.

30 Didymus medicus extracto sanguine e pedis pollice, labra epileptici inungebat. Et Orpheus atque Archelaus contaminabant faciem sanguine ex quacunque parte corporis educto: atq; ita epilepticos exurgere testati sunt Hollerius ex Plinio. Quod nos etiam antea scripsimus.

31 Qui ab æstu faciem defendere satagunt, ne fusca fiat, ii antequam sub Sole ambulent, vel equitent, illam ouorum albuminibus, cum tantillo amyli agitatis & remistis loricare debent: & peracto itinere, aqua hordei tepida, vel simplici, eluere, ac tectorium illud deponere. Res mulierculis valde expetenda, quæ cupiunt faciem votis componere amantum.

32 Tradit Pomponatius priscos exorcistas, quos adiuratores appellant, ante coniurationem expurgasse ab atra bile corpora obsessorum a spiritibus. Nam geminis morbis vt plurimum infestantur, animi nimirum, & corporis: illos curat ecclesia, hos vero opportuna medicina.

33 Poculum ex hedera, cissybium dictum, ratione duplici conuiuiis summe est accõmodum: inprimis, quod hedera vini temulentiam arcere fertur: deinde quod cauponum fraudes, qui vinum

num aqua miſcent, eo poculo dēprehenduntur, ſicuti deinceps oſtendemus ex M. Catone,& aliis.

Olibani & lardi ſuilli partes æquales vitreato fictili coquuntur, & ad linimenti cōſiſtentiam per ſetaceum excernuntur. Hoc ſi pediculoſum caput inungatur, procul dubio immune euadet a pediculis. Eritque præſidium eam in rem & propugnaculum multo tutius, quam ex vnguento enulato. Quo nihil pernicioſius in ſcabioſo & pediculoſo paruulorum capite, propter argentum viuum, quo ſcatet. Nam hinc ſæua oboriri vidimus ſymptomata. Quod inconſultis matribus & nutricibus, quæ illo vtuntur, ſcriptum ſit. 34

Elephantiaſi correptos deprehendes ex lotio cui plumbi vſti cineres inſperſi ſint. Nam ſi ſubſidunt, nullum ineſt contagium: ſin fluitant, & in vrinæ ſuperficie hærent, certiſſimæ labis ſignum oſtendunt, Lemnius. 35

Ex Quintiliorum georgicis ſiccos & inaquoſos cucumeres ad hunc habebis modum. Vbi ſcrobiculum foderis, in quem illorum ſemina depoſiturus es, dimidiū altitudinis eius, paleis aut ſarmentis exple, ac ita planta, terra deſuper regeſta, abque vlla rigatione. 36

Semina roſæ, cum ſeminibus ſinapi & pede muſtelæ ſuſpenſa inter ramos infœcundæ & parum feracis arboris, illam mirum in modum recreare, ac fœcundare traduntur. Etſi braſſica ægrotet, ac veluti languens tabeſcat, eodem præſidio reualeſcet. Addo, quod piſces turmatim ſectabuntur rete hiſce miſcellaneis comitatū. Ex cuiuſdā aulici ſecretis, & experimentis, vt dicebat. 37

Tradit Ariſtot. & poſt cum Albertus, quod ſmaragdus collo adalligatus, epilepſiam impe- 38

dit.& quandoq; penitus curat. Hinc fuit, vt nobiles collo natorum ſuorum hunc lapidem libenter appendant, ne epilepſia tententur.

39 Circa tertium à conceptu menſem vitium grauidas infeſtat, quod malaciam & picam nuncupant: in quo carbones, putamina, cretam, teſtacea, aliaque eſui inepta, auide concupiſcunt: nonnunquam etiam carnes humanas. quæ ſi denegentur, cum matrem, tum fœtum, in præſentaneũ vitæ diſcrimen adducunt, ſicuti paulo ante vnâ & item alterâ hiſtoriâ confirmauimus. Malum hoc potiſſime inualeſcit, vt tradit Lemnius, dum infanti crines emergere incipiunt, & fœmella vtero geſtatur.

40 Aqua in qua flores amarulenti perſicæ arboris ſepties infuſi ac macerati fuerunt, cũ ſucchare ad zulapii conſiſtentiam & ſpiſſamentum cocta, vermes vna cum excrementis aſtrictæ alui foras efficaciter protrudit. Langius.

41 Pallidæ mulieres, graciles, macilentæ, nec non fuſcæ, quas Gallicum vulgus *brunetas* appellat, rubicundis & obeſis petulantiores, ſalaciores ac magis prurientes eſſe ſolent. Quod proſpiciant qui compedibus matrimonii vinciri quærũt, & muliebri capiſtro adalligari.

42 Si cortex tollatur à vite, minorem fæcem vinum eius reddet. Ob id muſcus in ea repertus expurgari & corradi debet, vt tradit Pallad. Adde ex Plinio, quod ſi fabam Luna plena ſeras, & lentem ac viciam à 25 ad 30 à limacibus erunt immunes. Sed pro pabulo quidam ita ſerunt, & pro ſemine id vere nouo aggrediuntur.

43 M. Bruto exercitum ex Aſia traiecturo ſpiritus quidam nocte aſſidebat, & percontanti quis eſſet,

esset, respondit, Malus tuus sum genius, quem in Philippis Thessaliæ campis videbis. ibi Brutus in conflictu occubuit. Plutarch.

Pocula ex vitro conflata eo nomine sunt metallicis salubriora, quod nulla sulphuris, argenti viui, plumbi, aut cerussæ virulentia participent, & suo congenito frigore saporem vini probe seruent. Langius. 44

Si succum limonum misceas cum pauxillo salis cōmunis, habebis aquam præstantissimā ad delendas maculas ex manibus artificum, & erugandam, dealbandam, emolliendamque cutim. maxime si post loturam non detergeatur. Valet etiā contra vstiones a Sole, & alia pleraque experiundo dignoscenda. His addam quod flores rorismarini in vino albo macerati & leuiter feruefacti, faciem summe venustant, anhelitus suauitatem cōciliant, caput roborant, ac ventriculum expurgāt, si iusculum decoctionis eorum a ieiuno sorbeatur. Arnald Villanouanus. 45

Indubitata recuperatæ valetudinis argumenta sunt, quando partes genitales prurire, ac tētigine affici incipiunt, licet reliqua mēbra flaccida sint ac debilia. Sed tūc a Veneris cōflictu summouere cauendum, ne fiat quod dicunt, error peior priore. 46

Rosam viridem, luteam, vel ceruleam reddes, si eius caudicem iuxta radices findas vel terebres, & fissurā, foramēve, quo visum tibi fuerit colore impleas. Verbi gratia, ærugine si viridē rosam habere satagis: Indico lapide trito, vel azuro, si cæruleam: croco, si lutea, & ita de reliquis. Sed diligēter prospice, ne auripigmētū, aut venenatū colorē alium intrudas: nam si plantā vel fruticem non enecat, florem inficit. Tum demum fissura est deliganda, 47

& vt decet emplaſtranda obturandumque foramen, & contra externas iniurias armandum, quo docuimus modo, in noſtris medicandorum fructuum variis artificiis: & in Opuſculo de arborũ diuerſa inſitione.

48 Tradunt Perſarum magi ex ſaluia ſub fimo putrefacta, dum Sol & Luna ſecundam faciem Leonis occupant, auem merulæ ſimilem procreari. Cuius adustæ cinis lampadi inſperſus domum ſerpentibus plenam eſſe imponit. Hermes.

49 Multorum experimento compertum eſt, ſapphirum ad arteriam ligatum, febrilem ardorem mitigare: & e regione cordis geſtatum, à peſtilenti contagione & venenis tutum reddere geſtantem: ad hæc, corallium de collo epileptici pendens, caſum eius prohibere, Raſis, Albertus, & alii.

50 Si oua citra operam galli edita (ſubuentanea vocant) gallinæ fouenda ſupponantur, citius putreſcunt, quam animentur. Quæ vero gallina à gallo calcata peperit, poſt vndeuigeſimum diem ab incubitu pullos proferunt: qui ante quam putamen abrumpatur, pipire ſolent, Lemnius.

51 Purpureus mulierum color ſi fucatus eſt, deprehenditur commanſis granis cymini, vel nucleolo allii demorſo ab ipſis. Nam ſi natiuus eſt, durabit: ſi vero ceruſſatus, hydrargyratus, aut citrini vnguenti illitu conquiſitus, ſtatim obſoleſcet, Langius.

52 Nodi, cicatrices, claui, calli, glandulæ, & ſiquid luxatum, ruptũ, fractum, conuulſum, ſolutumq; fuerit in aliqua parte corporis, omnia futurã aëris mutationẽ & tempeſtatem præſagiunt ex dolorum exacerbatione, vt plenius oſtendimus in noſtris Ephemeridib. aëreis, & ruſtica tempeſtatum Aſtrologia.

Si

Si cum lacertæ ſepo, halinitro, cuminoque fa- 53
rinam tritici miſcueris, & gallinas eo cibo ſaginaueris, caro illarum adeo pinguefaciet homines, vt præ craſſitudine & adipe diſrumpi videantur, Cardanus. Adde ex eodem, quod vlmi ac perſici folia præter tempus decidentia, peſtem in omni iumentorum & pecuino genere præſagiunt.

Suetonius autor eſt, Tiber. Cæſarem experre- 54
ctum, etiam in tenebris, vt feles vidiſſe: & Seneca, Aſinium Pollionem nullas a cœna ſolitum reſiguare aut legere epiſtolas: vt animo curis ſoluto & tranquillo cubitum iret, & ita ſe ad ſomnum componeret.

Ærea pocula damnantur, quod ęruginem, infe-
ſtum ſtomacho virus, facile contrahunt præcipue 55
ſi vinum aut acetum illis infundatur. Aurea præſtantiſſima ſunt, quoniam cor roborant & exhilarant. Addo quod poculum ex electro naturali cõflatũ (quod auro & argenti quinta eius parte conſtat) arcu in ſuperficie eius interna maculoſo, quo nitor ingenitus obſoleſcit, necnon ſtridore, virus infuſum prodere fertur, ac præmõſtrare Langius.

Capillos aut barbam ſic denigrabis. Accipe lixi- 56
uii communis quantum voles, cui infunde folia betæ, ſaluiæ, & lauri cum myrrha & corticibus iuglandium viridium. Tum demum coque omnia, & ex eorum lixiuio barbam, vel capillitium laua: aut madefacta ibidem ſpongia, & nonnihil expreſſa identidem tinge: miraberis effectum.

Venenati aëris contagia diſcutiunt nuces baſi- 57
licæ, ſeu iuglandes. Quod verum eſſe indicat ſyntheſis illa Mithridatica, quæ diateſſeron dici poteſt. Recipit enim nuces binas, ficus totidem, rutæ folia x x. & ſalis granum. Hæc ſi quis ieiunus

ſumpſerit, a venenis & morbis contagioſis eo die futurus eſt immunis. Vide Gallicum libellum noſtrum Secretorum contra peſtem: inuenies illic quod placuiſſe queat.

58 Cucurbitæ, pyra, mala cotonea, citria, aurantia & alia huiuſcemodi, quam volueris figurã exterius præ ſe ferent, ſi vbi defloruerint & primum ſui rudimentum exhibuerint, in figuratum interne typum aliquem ligneum, teſtaceum, aut alterius materiæ incluſeris, & deligaueris, donec iuſtum maturitatis gradum aſſequantur.

59 Alectorius lapis magnitudine fabæ repertus in ventriculo decrepiti galli, fertur reddere geſtantem gratioſum, conſtantem & audacẽ: necnon ad Veneris tractanda ſacra ad vnguem factũ. Idem ſub lingua detentus, ſitim ſedat, vt multis experimentis compertum eſt, Albertus.

60 Morbus qui inuaſerit eo anno quo eclipſis (cui dominatores ſunt planetæ mali) in aſcendente genituræ, vel annuæ conuerſionis partialiter contingit, vel in loco hylech ſeu vitæ ſignificatoris, exitioſus & lethalis eſſe ſolet. Idem fiet ſi in oppoſitione, vel quadrato aſcendentis genituræ, aut conuerſionis anni, vel ſignificatoris vitæ, contigerit.

61 Carbones cum foſſiles, tum factitii, mephitim & graueolentiam exhalant, qua aſſidentes ſyncopi, atque animi deliquio, aut cephalalgia ſubinde periclitantur. Remedium eſt, ſale conſpergere dum igneſcunt: aut ferri, vel chalybis aciem illis iniicere. Leuinus Lemnius.

26 Citrium pomum ſcriniis impoſitum, veſtiariam ſupellectilem a tineis inoffenſam cuſtodit. Quod etiam præſtat ex ſincero arietis ſepo candela,

dela, iisdem ſcriniis tenui linteolo inſerta. Prodeſt ſuccus eiuſdem citrii aduerſus deleteria pharmaca, addito ſeminum puluere. Nam venenum per ventrem extrudit, & habet prophylactici antidoti energiam. Autores ſunt Theophraſt. Dioſcor. Galenus, Athenæus, & alii.

63 Æſtate procliuiores in Venerem ſolent eſſe mulieres quam viri: quod eo tempore calor illis augeatur, his vero flacceſcat & elangueat. Qua ratione calorifica pleraque, vt ruta & thymus, libidinem, humoremque ſeminalem in viris extinguunt ac reſiccant, in fœminis vero exacuunt, illarum vligine conſumpta. Leuinus Lemnius.

64 Anſeres, anates, ac reliquæ aquaticæ aues, ſyderitide herba ſuis medentur incommodis: gallinæ helxine: grues iunco: pantheræ humano ſtercore: apri hedera, & ceruæ cinara. Addo ex Plinio, quod apes cancrorum odore exanimantur, maxime ſi quis illos iuxta aluearia coxerit: nam fœdos odores odio habent, & ob id acerrime perſequuntur eos qui tetra vnguenta redolent.

65 Si clauus ex ære chalcitide conflatus ſuillis, ceruiniſve carnibus infigatur, eas a putredine illibatas, ſtiptica exiccandi facultate diu conſeruat, Plutarcho autore. Quod certa experientia nouerunt metallorum foſſores, qui in ſcaptenſulis verſari ſolent, meque ea de re, inquit Langius, hæſitabundum facta fide confirmarunt.

66 Autores ſunt Dioſcor. & Plin. alyſſum, hypericum & moly herbas in ædibus ſuſpenſas, veneficia ab hominibus & pecore, ne faſcinẽtur, perinde arcere, & amoliri, atq; luporum capita ianuis affixa.

67 Capillos aurei coloris æmulos, vna cum barba, ad hunc facies modum: Accipe fruſtula rha-

barbati quæ a pharmacopœis deraduntur, & tamquam inutilia abiiciuntur. Ea in lixiuium decoctionis foliorum & ramorum visci ex quauis arbore detracti, tamdiu infunde & macera, donec emollescant. Facta expressione, post leuem ebullitionem, spongiam eo lixiuio imbue, & capillitium identidem intinge, aut barbam, si visum erit. Tum demum vtrumque calidis linteis sicca: quod tutius est, quam igni vel Soli exponere. Id vbi sæpius egeris, absque vlla offensa optatum assequeris. Ex quodam Italo.

68 Si desit commoditas æstiuis mensibus vinum in subterraneas & profundas apothecas mittere, prohibebis ne vapescat, detrudendo in eius dolium lardi & suillæ carnis salsæ sesquilibram lino inuolutam, aut maiorem quantitatem, pro vasis capacitate. Sed ita, vt dum vinum depromis, id vna ad fundum vsque descendere patiaris, donec vas exhaustum sit. Fiet ita vt nec vinum a se degeneret, nec vapescat. Leuinus Lemnius, si bene memini.

69 Nucem absque putamine sic habebis ex Africani artificio: Apertis eius carinis & putaminibus, nucleus a membrana intercursante excludatur, sed omni eius carne & pulpa illæsa: tum demum carpto vellere, aut tenui corticis membrana, vitigineisve foliis obuolutus, terræ committatur.

70 Corallium a collo dependens fluentem e naribus sanguinem retinet, valetque aduersus epilepsiam, & incomposita menstruorum effluuia. In puluerem solutum, & aqua dilutum, plantisque & arboribus respersum, illas recreare ac fœcundare fertur. Acceptum a quodam Hispano.

Hoc cuculo miraculum, inquit Plin. quod quo loco

loco primum auditur, si dexter pes audientis ibidem, circumscribatur, & vestigium ibi effodiatur, non gigni publices vbicunque spargatur. Addam ex Palladio, quod apes non fugient, si stercus primogeniti vituli, oribus alueorum illitum fuerit.

Qui quarta Luna, silentique sidere, & quarto 72
ab eiusdem coitu cum Sole, mulierem subigunt, si ex eo congressu illa concipiat, inauspicata vitæ principia fœtui non solum conciliabit, sed & in agendis rebus ei infelicem plerumque successum, informabit Lemnius. Hinc obsecro, videant multi, quam inique agant, qui vt suam expleant perbreuem libidinem, chara sua pignora natos, iisce impedimentis obnoxios reddunt.

Cotonea mala suo odore omnium deleterio- 73
rum vires obtundunt. Nam & Pharicum præsentissimum venenum, vt tradunt Athenæus & Plutarchus, impositum disco cotonea resipicti, emarcescit, eiusque vires omnino dispereunt, manifesta quadam antipathia.

Negant canes fieri rabiosos gustato lacte eius 74
mulieris quæ marem peperit, autor Plinius. Qui etiam tradit caput fascia mulieris ligatum, doloribus leuari. Addam ex Columella, herbæ sanguinariæ adeo grauem esse perniciem, quod si eam depasta fuerit ouis, toto ventre distenditur, contrahiturque, & spumam quandam tenuem tetri odoris despuit. Celeriter sanguinem mitti oportet sub cauda parte clunibus proxima.

Plerique noctambuli inter dormiendum, ope- 75
ra vigilantium exercent, tecta in sublime scandunt, per trabes & lacunaria oberrant, lectos aliorum adeunt, omniaque intrepide audent, nec quidquam sibi timent. Autores sunt Albertus,

Christoph. Marcellus, Langius, & Galenus: qui etiam noctambulum se fuisse testatur.

76 Ne quid ad gelida ganeæ pocula Græcis & Romanis deesset, niues ad æstatem vsque in subterraneis fossis, querneis frōdibus, aut palea coopertas recondebant. Vnde Augustinus, Quis dedit paleæ tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet: vel tam feruidam, vt poma immatura coquat, & maturet?

77 Cancer viuus sublimato vino, seu aquæ vitæ impositus, rubescit ac si percoctus esset. Et caseus ille non putrescit neque a muribus eroditur, in cuius coagulo pauxillum de cerebro mustelæ remistum fuit. Pictorius.

78 Vinum palato arridebit, & cum odore, tum colore perplacebit, si malum medicum, seu citrium caryophyllis vndique compunctum & armatum, ita in dolio suspendatur, ne vinum attingat. Sic enim nullum saporem vapidum, aut mucidum cōtrahet. Si autem vinum subacidum, vel acetum ad vini naturam asciscere voles, porri semine id efficies: aut iniectis in illud vineæ pampinis & capreolis, Hæc cuiusdam est œnophili sententia vatis.

79 Plantam pulcherrimam habiturus es, si in caprillum stercus diuersa semina intruseris, & illud pingui fimo oblitum, scrobe aliquantulum profunda sepelieris, superiniectoque lætamine, & aggesta terra opportune rigaueris. Baptista Porta. Si lactucam odoratam quæris, semen illius vna cum citrii semine misce & sere.

80 Chalcedonius lapis collo appensus valere traditur contra illusiones & phantasmata ex melancholia oborta. Quomodo etiam Amethystus cōtra ebrietatem, & Chelonites in corpore testudinis

nis inuentus, ad diuinationem, si sub lingva gestetur, præsertim crescente Luna: nam alio tempore inefficax censetur. Albertus.

Aqua ex contusis lumbricis per pannum expressa, & succo raphani æquis portionibus mixta, 81
vsque adeo duram & densam reddit aciem cultrorum ensium, & aliorum instrumentorum, quę bis aut ter dum cuduntur in illa extincta fuerunt, vt ferrũ aliud ac si plumbum esset, facile incidant. Acceptum a quodam Parisiensi machæropœo.

Vbi menses mulieribus defluxerunt, & abster- 82
sus est earum vterus (quod quinto fere die vsu venit, aut septimo) si a primo qua purgatæ sunt die ad quintum vsque commisceantur illis viri, marem gigni aiunt: a quinto vero ad octauũ, fœmellam. Et rursus ab octauo ad duodecimum denuo masculum. Post illum vero dierũ numerum, hermaphroditum. Leuinus Lemnius ex Auicenna.

Pisces agminatim confluent, pacato flumine, 83
aut maris littore, si aquam decoctionis aristolochiæ rotundæ admixta calce resperseris. Quod si eiusdem puluerem degustent, velut exanimati, supernatantes comprehendentur. Plinius.

Febres accenduntur si cornuti scarabei in oleo 84
decoquantur, & ex eo brachialis arteria inungatur. Quæ res in conuulsione quandoque expeti solet, necnon paralysi, & aliis affectibus, in quibus febrem excitasse valde profuit.

Priscæ ethnicorum religionis antistites & phi- 85
losophi pro comperto asserunt, animas corporis mole exutas, circa monumenta & in aëre, dæmonum more oberrare, illarumque spectra nobis obuersari. Deniq; carminib. antequam de Letheo obliuionis fluuio biberint, ad sortilegia cogi &

allici posse, donec corpus aqua lustrali expiatum, tellure conditum, aut rogo combustum defunctisque iusta aut parentalia, persoluta fuerint. Autores sunt Suidas, Eustathius, Plutarchus, Psellus, Augustinus & Langius.

86 Asclepiades ex vino subaustero & porri succo ad melis spissitudinem coctis, electarium sanguinem excreantibus salubre, conficere docuit, vt scribit Galenus.

87 Cochlearum carnes per se tritas cum polline farinæ ex proximi molendini parietibus, olim, inquit Galenus, vulneri imposui: cum quo etiam neruus vulneratus & contusus erat, in agricola & duro homine.

88 Ne vlla potandi illecebra antiquis deesset, aquam hac industria infrigidabant: Testaceis vasis sub aprico Solis æstu interdiu illam calefaciebant, aut igni excoquebant, noctu vero in altioribus ædium fenestris frigori ætheris exponebant, & mane ante Solis exortum subducta fæce, puriorem eius partem, vt salubriorem, in fictilibus hydriis prius aqua frigida immersis, & pampineis foliis vel lactucæ coopertis, ad vsum sub paleis reponebant. Galenus & Athenæus.

79 Vinum fœtidum & corruptum emendatur, si pro vasis magnitudine, iusta portio mundi tritici ex sacculo in eo suspendatur, & exinde retrahatur. Nam quidquid erit fœtoris ad se alliciet, ac ita vinum sincerum & clarum reddet, Pictorius.

90 Censent Columella & Plinius caudas catulorum post diem quadragesimum quam sunt editi, castrandas, sic enim tutos fieri a rabie. Modus hic est: Prehenditur caudæ extremum in quod vltima spinæ articulatio desinit cum neruo, & tandiu distor-

diſtorquetur, donec abrumpatur. Id etiam canibus conciliat, ne in longitudinem indecoram cauda porrigatur.

Si lauri baccas perforaueris, & ſemina cinaræ 91
in ſingulis cuiuſque foraminibus poſueris ac fimo oblitas, terræ commiſeris, tam ſuaues & odoratos alticocalos hinc habebis, vt nihil ſuauius & odoratius dari poſſit Ex Varronis geoponici præſcripto. Idem etiam continget ſi ſemina triduo maceraueris in aqua odorata ac iucunda.

Chelidonius lapis duplex in hirundine reperi- 92
tur, rufus nimirum, & niger. Prior lineo panno, aut vitulino corio exceptus, & ſub axilla geſtatus, antiquos morbos, vna cum epilepſia perfecte ſanat, idque præſtantius efficit, ſi in pollinem tritus bibatur. Poſterior valet aduerſus febres. Autor Albertus in opuſculo de ſculpturis, imaginibus, herbis & virtutibus lapidũ, quod penes me habeo nõ impreſſum. Addit ibi & alia multa ex priſcis commentariis magiæ naturalis Hermetis tranſcripta.

Butyrum foris admotum concoquit, diſcutit & 93
lenit: non quidem in duro, ſed molli & mediocri corpore, eoque inflammationes tollit. Itaque parotides, bubones & oris phlegmones, tum infinita alia in puerili, aut muliebri corpore, ſolo butyro perfecte curantur, Galenus.

Sapphiri gemma purpuraſcens, attrita & lacti 94
permixta, plagis quæ fiunt ex puſtulis albis & tuberculis efficaciter medetur, ſi eis illinatur. Scriptum eſt in lege, inquit Epiphanius, viſionem quę Moſi in monte apparuit & legem datam, in gemma ſapphiro fuiſſe expreſſam.

Nihil efficacius ad exigenda ventris interanea 95
& lumbricos eiiciendos, exiccatis in tegula ignita

vermibus, exhibitoque illorum puluifculo verminantibus pueris. Nam confeftim reliquos corpori inhærentes excludit Leuinus Lemnius.

96 Omne triticum in folo vliginofo poft tertiam fationem conuertitur in filiginem, Columella. Et populus alba ob fenium & alimenti inopiam, fucco effœta in nigram degenerat, Theophraftus. Hic addere mihi liceat, quod gallinæ viperis faginatæ & elixatæ, falutares funt elephantiafis labe infectis, Ex quorundam experimento.

97 Noui quofdam noftræ ætatis, inquit Galenus, propinaffe offa humana vfta patientibus comitialem & articularẽ morbos: fed ne fcientibus ægris quid biberent, ne forte id remedii auerfarentur. Et multi hoc præfidio curati fuerunt. Hactenus ille. Addit Conradus Gefnerus, fe os illud quod coronalem futuram defcribit, epilepticis exhibuiffe, & optime fucceffiffe.

98 Ad fiftendum fanguinem qui implacabiliter erumpit, hæc præcãtatio a multis celebratur: Adiuro te per Dei omnipotẽtis veram, viuam & immortalem virtutem, & per eum fanguinem qui ex Chrifti in cruce pendentis latere fluxit, vt quẽadmodum rubrum mare Dei virtute diuifum eft, ita tu eadem potentia fanguis fiftas & maneas.

99 Ab auro fufili quidpiam non difflatur, nec pondus ei decrefcit, nifi offa gallinacei in id coniecta fuerint: nam eius partem abforbent: vt antea, admonuimus, Autores funt Plin. & Vitalis Cardinalis.

100 Cum volueris fortunatos reddere venatores, vt proficiant in venatione, tertia facie Sagittarii afcendente, & Luna in eadem verfante, vel in Ariete aut Leone, modo applicet Mercurio ex bono

bono aſpectu, cum receptione fac ex argento, cupro, vel ſtanno imaginem viri habentis in dextra manu arcum tenſum, ſagitta ſuperpoſita & inter fundendum, vel ſculpendum dicas, Per hanc imaginem ligo omnes feras ſilueſtres, ceruos, apros, lepores, &c. vt nulla meam venationem ſubterfugiat, quin optatam portionem & prædam, mihi ſemper relinquat. Poſtea tertio gradu Leonis aſcendente, incipe ſculpere in altera lamina eiuſdem materiæ, tot genera ferarum, quot erunt venationi congrua in tua regione: ac inter operandum dicas, Ligo omnes feras, &c. vt ſupra. Deinde coniunge ambas imagines conuerſis vultibus inter ſe, eaſque ſerico panno viridi inuolue, & ſic deliga, vt non facile ſeparari poſſint. Tum demum vbi venatum exire voles, deferte cum, & rem miram experieris. Verum enimuero, caue aggredi venationem niſi cum Luna fuerit in Ariete, Leone, vel Sagittario. Qui enim illam initiatur ea verſante in Tauro, Geminis Scorpione, vel Capricorno, nihil prædæ, vel parum admodum, refert, idque maximo cum labore.

Hæc ſunt Ptolomæi.

ANTONII MIZALLI MONLVCIANI MEMORABILIVM CENTVRIA V.

Non illud memorabile & ſane quam admirabile iudicabitur, quod a Conrado Geſnero, viro 1

citra vllam controuerſiam eruditiſſimo & multarum linguarum peritiſſimo adnotatum eſt? Anno inquit, 1551. peruenit ad nos hiſtoria Viennæ impreſſa huiuſmodi: Hac æſtate circa diem diuæ Margaretæ in Hungaria, prope pagum Zichſam, iuxta Theiſam fluuium accidit, vt in multorum hominum corporibus, ſerpentes & lacerti naturalibus ſimiles naſcerentur. Vnde ſæuiſſimi dolores oborti tandem eos miſere necarunt. Ita vt tria circiter hominum milia ſic periiſſe feratur. Quibuſdam humi ad Solem iacentibus, ſerpentes & lacerti per os aliquatenus emerſerunt, ſed mox iterum ſeſe in ventrem abdiderunt. Nobili cuidam puellæ diris cruciatibus mortuæ cum venter incideretur, ſerpentes duo prodierunt, Hactenus Geſnerus in præclaro illo ſuo opere, De quadrupedibus ouiparis.

2 Decoctum radicis erythrodani, quam rubeam vocant, regii morbi colorem emendat. Ex quo aureũ poculũ ab antiquis medicis dicebatur. Quod, quantum ſanitas diuitiis antecellit, tantum in magno precio eſſe deberet, Langius.

3 Vulnera ægre ſaneſcunt, aut cicatrice obducuntur, imo vero nonnunquam letalia fiunt, ſi quando illi membro illata ſunt, cui Luna, ex ſigno quod tunc inambulat, dominatur: ſicuti initio præcedentis Centuriæ ex Ptolemæi Aphoriſmo confirmauimus.

4 Menecrates celebris epilepſiæ medicus, numquam in publicum prodibat, niſi ſuis quos curauerat ſtipatus, deorum habitu veſtitis, & ipſe purpura indutus, aurea corona decoratus, crepidatus, ſceptrum denique in manibus, velut alter Iupiter geſtans, Athenæus. Hic ſi etiam apoplexiam fortem

tem curare ſciuiſſet, ſane periculum fuiſſet, ne Io-
uem cælo deturbaſſet, & ſe in illius ſolium ſubſti-
tuiſſet.

In trietericis Bacchi feſtis promiſcue viri, bac- 5
charum, nympharum & heratum habitu, vna cum
mulieribus tripudiabant. Orphei theologicos hy-
mnos canentes, & ſaltationes in noctem produ-
centes, effuſa vtriuſque ſexus libidine. Vnde per-
petuo ſenatusconſulto licentia illa vt ſcribit Li-
uius, coercita fuit.

Pollux ſanguinem ferinum cum lacte materno 6
educationi canum tribuit. Et Xenophon diſſylla-
bis nomenclaturis canes appellandos cenſet, vt
celerius inter venandum ſuum quiſque nomen
accipiat. Addo ex eodem, quod canes odorato, fe-
rarum veſtigia indagant & perſequuntur (nam &
odora canum vis, vt tradit Poëta) homines vero
oculis, quod olfactum habeãt omnium animan-
tium deterrimum, vt ſcribit Theophraſtus.

Multa in concauo ſpeculo inſpiciuntur ora, ſi 7
ſecundum concauitatem plures ſpeculorum pla-
norum portiones accommodentur. Intuens autẽ
aliquis ſecũdum ſpeculorum numerum, ea facile
numerare poterit. Pręterea ſpeculum loco vno ſi-
nuoſum, alio concauum, & in medio planum, ma-
gnam imaginum diuerſitatem repræſentat, ma-
iorum, minorum a dextra, a ſiniſtra, propius & re-
motius, Ex Vitellione.

Subeſt linguæ catellorum neruus vermiculi ef- 8
figiem præ ſe ferens, rotunda & tereti forma: qui
ſi eximatur eos a rabie immunes reddit, facitque
vt minimo latratu ſint infeſti, nec quemquam læ-
tali morſu impetant. Columel. & Plin.

Si porri caput acuta arundine, vel ligneo ſtylo 9

pupugeris,& raporum, vel cucumerum ſemen in foramine occultaueris,adeo intumeſcet porri caput,vt prodigium videatur. His addere mihi licebit, quod cinaræ abſque ſpinis & aculeis naſcentur, vt Varro docet in Geopon. ſi lapidis attritu ſemina conſerenda retundantur. Sed de his alibi a nobis fuſe & abunde ſcriptum eſt.

10 Aëtites ſeu aquilinus lapis ſiniſtro brachio vel lateri appenſus,id beneficii prægnantibus adfert, vt fœtum contineat & abortum impediat. Amorem præterea inter virum & mulierem conciliat. Et ſi difficiles ac laborioſus erit partus, femori adalligatus facilem ac leuem reddet,ſed ſtatim poſt debebit ſolui.Idem , vt tradunt Chaldæi,ſi venenato cibo miſceatur, prohibet ne deglutiri poſſit, Autores ſunt Euax & Albertus.

11 Fel teſtudinis naribus epileptici illitũ in morbi paroxyſmo , proſtratos ſtatim erigere facit , ſunt qui ad ferocem hunc morbum expugnandum, tres clauos in vigilia natalis B. Ioan Bapt. fabricatos, defigant in loco vbi epilepticus ceciderit , idque tam profunde,vt non appareant,nuncupato dum id fit patientis nomine. Quod pro experto mihi traditum eſt.

12 Vt veris temperies venationi eſt aptiſſima , ita nulla magis aduerſa indagini ferarum,propter varios flores & herbarum vapores qui nares canum imbuunt. Hiemis tempore idem contingit ob craſſum aërem qui impedit ne facile hauriant odorem ferarum , niſi poſt meridiem, vt tradunt Xenophon,Plutarch. & Oppianus.

13 Plantæ mercurialis maſculæ (nam in marem & fœminam diſcriminant) decoctũ, vel ſuccus diebus quatuor a primo purgationis die mulieribus bibitus,

bibitus, procreandi maris vim vtero confert: Fœminæ vero mercurialis, similis succus totidẽ diebus, pariq; modo assumptus, gignendæ prolis fœmininæ vires suppeditat, si cessantib. menstruis & cõposito vtero, vir & mulier debite congrediãtur, & mutuo amplexu concalescant, Dioscor. & Plin.

Si ex cocculis ab oriente allatis, & ob id a nobis 14
Cocque de leuant vocatis, cum cymino, caseo vetustissimo, farina tritici & vino in spissamentũ coactis, formentur sphærulæ magnitudinis pisi, & piscosis amnib. quieta aqua, iniiciãtur, quotquot pisces degustabunt, earum illicio stupefacti, & velut inebriati ad ripas dissilient, & ita manib. capi facile poterunt. Experientia multoties probatum.

Fontes per magnos æstus arentes & exsiccatos, 15
puellarum virginum cantu restitui, autor est Bonifac. Simoneta Cardinalis: maxime si ad fontium crepidines & labia, rhythmos & cantiones voce ac instrumentis suauiter canant. Quod si est, summum virginitatis præconium est. Sed in his, re vera, allegoriam subesse puto.

Sternutamentum in conceptu, & oscitatio in 16
partu noxia sunt, vt tradit plinius. Et post cõgressum oscitare mulierem, firma plerumq; sunt conceptus argumenta: sternutare vero, effluxum eius quod adhæsurum erat. Addam ex Plutarcho in gratiam œnophilorum, quod vinum modice bibendum est potius, quam aqua diluendum: deperit enim infusa aqua.

Insigne rerũ symphatiæ & consensus exẽplum, 17
in fidib. citharę aut testudinis elucet. Quarũ si vnã digito contrectaueris, confestim vnisona alterius testudinis chorda illi corresp õdens, sua spõte, mouetur, & festucam sibi impositã abiicit. Ex Boëtio, vt fusius infra explicabimus, si in mẽtem venerit,

18 Ignis ex rotunda vitri phiala,aquæ plena & immobiliter Soli opposita, facile excitari potest. Cum enim directe Soli obiicitur, retro in linea amphoram pertranseunte, obuium illi fomentum combustibile,ignem ex radiis multiplicatis & addensatis, leuiter concipit: non sine spectantium miraculo qui ex aqua ignem excitari vidēt. Ioan. Bapt Porta.

19 Si ilico velis conuertere vinum in acetum,proiice in illud sal cum pipere & fermento subacido confusum,& id celerrime præstabit. Si properantius perfici velis, laterem aut chalybis partē ignitam, semel atque iterum in vas demerge: aut raphani radices,vel immatura mespila, corna, mora,aut prunula. Idem etiam pręstabit violæ altilis, quæ nobis caryophyllata dici solet, flos spectatissimus vino immissus. Ex eodem.

20 Erat apud veteres in more positum,vt corpora variis coloribus tingerent: partim ad ornatum, partim ad terrorem vt de Britannis prœliaturis scribit Cæsar. Qui se glasto herba inficiebant,quā Isatim Theophrastus appellat, nos vero, cum infectoribus, Guedam. Sic apud Græcos mulieres milto tingebantur,autore Xenophonte.

21 Dion Cassius scribit, Adrianum Imperatorem studio venandi ad insaniam vsque & vitæ periculum flagrasse: adeo vt inter venandum effracto humero, crus pene attriuerit. In circo sæpe centum leones interficiendos dedit, & sæpe manu sua leonem occidit.

22 Ex semine brassicæ cum inueterascit, aiunt nasci rapum, & contra e raporum semine brassicam. Addo quod populi albæ cortex contusus & sterco-

ſtercoratis ſulcis diſſeminatus, edules anno toto fungos exhibet. Et ſi dulcis amygdala fructu ſeratur, fit amara & ſapore ingrata: ſi plantetur, contra. Ex Græcorum geoponic. & Plinio.

Bufones ſeſe dilatantes & intumeſcentes, non ſolum venenũ per vrinã in plantas & fructus humi iacentes longius fundunt, ſed etiam tabifica ſaliua vicina quæque vitiant. Quæ duo, non minus mortifera ſunt, quam nepellus. Quare admirari non licet, ſi repente quandoque pereant, qui fraga, fungos, fructus & herbas hoc veneno infectas, & illotas comedunt: vel iis dentes confricant, vt initio primæ Centuriæ oſtendimus. 23

Lapis Lyncurii in carbones ignitos proiectus illos extinguit, tantum abeſt vt ab illis inſumatur. Nec id ſolum habet rari miraculi: ſed ſi quis hanc gemmam panniculo obuolutam in eoſdem carbones detruſerit, non tantum illa, ſed panniculus quoque illæſus conſeruatur. Prodeſt etiam mulieribus in enixu. Autor Epiphanius 24

Nulli venationis ſtudio Romanos vicerunt, apud quos illa vſque adeo inualuit, vt feras ab extremis Aſiæ, Africæ & Europæ finibus in vrbem accerſerent. vt cædibus immaniũ ferarum aſſueti minus hominum cruorem & vulnera perhorreſcerent, ſi cum hoſtibus dimicandum eſſet. Plinius, Sueton. Spartian. Lamprid. & alii. 25

Tradit Poſſidonius in Aſia & Africa tantæ immanitatis ſerpentes naſci, vt ceruos ſolidos & homines equo inſidentes hauriant. Addo ex Plinio, Strabone & Solino, quod Africa ſerpentib. adeo fœcunda eſt, vt araturi præaltis ocreis indutis, nõ alia ratione letales illorum morſus effugiant. 26

Experimento probatum habeo, inquit Le-

minius, puerorum lumbricos vuarum paſſarum eſu expugnari, ſi ieiunis abſque vllo alio edulio illas exhibeas. Nam vt amarulenta, ita dulcia affluenter hauſta, vermibus ſunt inimica: diſtēdi enim ac rumpi illos contingit, ſuauioris edulii copia.

28 Raphanus infixis veratri albi radiculis, illarum viribus imbuitur, & ſi crudus ita comeditur: eadēque helleborus operatur. His liceat mihi addere, quod Ægyptiorum ſacerdotes modica cicutæ ſorbitione ſe impune caſtrabant, vt ſcribit D. Hieron. nec omittēdum eſt, quod Mithridati hauſta quotidie venena, præſumptis tamen remediis, illi ex conſuetudine innoxia fuerunt: adeo vt captus a Pompeio, ſe in carceribus veneno interimere non potuerit. Plin.

29 Vulnera a venenatis animalibus illata, ſi candente ferro vrantur, calore eius virus inſumitur. Res ea in peſtiferis bubonibus multis ſalutaris fuit. ſed atrox nimis ac ſæuum eſt id remedii genus: quod tamen multi ſuo ſummo bono ſuſtinuerunt & experti ſunt,

30 Si plura diuerſi generis ſemina ceræ vel tenaci cuipiam materiæ in longitudinem tenuiter protenſæ incluſeris, & ſolo optime ſtercorato ac ſubacto commiſeris, mirabilis ex ea congerie pullulabit ſepes. Regii olitoris hoc artificium & experimentum.

31 Alexander Magnus ceruorum vitam longam poſteritati teſtatam eſſe cupiens, aureos torques plurimis innecti iuſſit, expreſſo in illis tempore quo id fiebat. Ex iis qui poſt centum annos capti fuerunt, nondum ætatis ſenium præ ſe ferebant. Plinius.

32 Lupini optime ſeruntur in vinearum meditullio,

lio, vt omnem amarorem de vitibus ad ſe alliciāt, ceu familiarem: quem nec deponunt, nec edulceſcunt, niſi vino vel aqua diu ac multum macerentur, Theophraſt. Plin. & alii. Hinc ego nimirum lupinina appellare ſoleo illorum ingenia, quæ nunquam emolliuntur ac feritatem deponunt, niſi vino multo diu macerata & imbuta, vel, ſi mauis, imbibita fuerint.

Heliogabalus, Lampridio autore, in viridario
ſuæ domus montem excauauit, in quo hybernas 33
niues & glaciem ad æſtus refrigeria conderet. Sic ante illum Nero aquam decoctam, vitroque in niuē demiſſam refrigerauit, Plinius & Suetonius.

Sapphirum coloris dilutioris in adamantem
conuertes, ſi ſcobe, ſeu limatura ferri obrutum, in 34
vaſe fuſorio tamdiu validiſſimo igni exponas, donec incandeſcat. Vbi perfectum admiſerit colorem, & ab adamante plurimum fuerit mutuatus, tum demum extrahetur, repolietur, ac annulo affabre inſeretur. A quodam aurifabro acceptum.

Elephantos iuxta ſenſum humanum, intelle-
ctum habere, memoria pollere, ſiderum diſcipli- 35
nam ſeruare, imo vero Græcas literas ſcripſſe, Plinius ex Mutiano ter conſule teſtatum reliquit, vti etiam Plutarch.

Ventus aquilo nocte intempeſta, vel crepuſcu-
lo exortus, mox euaneſcit, & ſtationem ſuā deſe- 36
rit: eoque fit vt exercitati nautę illi parum fidant, & nauigationem non inſtituant, niſi triduanus ſit. Auſter contra, primi diei exortu ſpem fulcit nautis diuturnum fieri. Quod hoc prouerbio confirmant Græci, Νότος πρῶτος, Βορέας τελ-τος.

37 Corium dextri calcanei vulturis dextro pedi podagra laborantium, & sinistri sinistro impositum, dolores commitigare fertur ac lenire. His addere absurdum non erit, quod oraculo quodam ostensum est, radicem cynosrhodi, vulgus esglantierum odoratum nuncupat, vnicum & singulare esse remedium aduersus morsum canis rabidi, nisi Plinium & Galenum abiurare velis.

38 Si carnes quæuis, dum adhuc calent, inter duas patinas suffocentur, & mantili, ne quid exhalet, inuoluantur, venenatorum naturã subeunt. Eadem etiam mala adferunt morticinę carnes esitatæ: necnon eorum animalium, quæ à venenatis, aut rabidis bestiis icta vel demorsa fuerunt, aut fulmine tacta interierunt. Leuinus Lemnius.

39 Quædam animalia, re vera, in saxis oriuntur; & in scopulis maritimis radices, velut plantæ, iaciunt, paulatimque adulta mouentur ac sentiunt, quæ si diuellas, moriuntur. Idcirco Zoophyta Aristot. appellat, Budæus & Gaza plantanimalia.

40 Expertum est nostro tempore, inquit Albertus, verum topazium in aquam feruentem demissum, illius æstum & feruorem adeo consopiuisse, vt statim iniecta manu hinc abstrahi potuerit, asque vlla læsione. Quod vnus ex sociis nostris inquit, Parisiis probauit.

41 Aurum vt reliqua metalla non offuscatur, nec fuligine obducitur, sed splendescit potius ac turgidum efficitur, maxime syncerum & non adulteratum. Nam auri porositas, mollities & raritas efficit, vt concepto imbibitoq; vapore fuliginoso turgescat & fulgore afficiatur. Leuin. Lem.

42 Gallina magnopere perhorrescit accipitres vt etiam si vocem audiat, tantisper dum incubat, oua

oua vitientur, Plinio teſte. Addo ex eodem, & Æliano ac Solino, quod vrſa trimeſtri ſpatio latet, quo tempore cibo carens, manus ſolum elābit vt ſupra monuimus.

Heraclides Ponticus tradit, Caniculæ exortum priſcis ſummopere obſeruatum fuiſſe, adeo vt illinc coniecturam caperent de anni ſtatu, ſalubrisne, an peſtilens futurus eſſet. Nam ſi obſcurior, & veluti caliginoſa oriebatur, cælum pingue ac concretum eſſe ſignificabat; & proinde graué ac peſtilentem fore annum. Si vero clara & pellucida emergebat, cælum eſſe tenue ac purum demonſtrabat, & proinde ſalubre fore ac proſperum anni curriculum. Hanc ſtellam adeo metuebant antiqui, vt ei canem ſacrificarent. Pro cane ſidereo, inquit Ouidius, canis hic imponitur aræ. Quamquam id factum putarim, quod huius aſtri emerſu, canes omnium maxime in rabiem agantur, & proinde ſimili victima ei litabatur. 43

Vnguentum ex oleo amygdalarum amararum, melle, radice lilii, & cera præſtantiſſimum eſt rugis faciei abolendis, & lentiginibus, aliiſque cutis vitiis emaculandis. Addam ex Arnaldo Villanouano, quod puluis coriandri cum melle miſtus & ſuper carbunculum poſitus, illum deſtruit, vt alibi diximus. 44

Ferunt Indi & Hyrcani tigrim animal eſſe tremendæ pernicitatis: totus enim fœtus illius, qui ſemper numeroſus eſt, ab inſidiante rapitur equo quam maxime pernici, atque in recentem ſubinde transfertur. At vbi vacuum cubile fœta reperit, fertur odore præceps veſtigans. Raptor tremitu belluæ territus, vnum è catulis abiicit, tollit illa morſu, & pondere depoſito ocior acta 45

remeat, iterumque consequitur, donec in nauem ingresso, irrita feritas sæuit in littore. Plin. & Philostratus.

46 Tradit Ioan. Langius medicus clarissimus se ab equitibus Comitis Palatini audiuisse, quod vidissent in Austria hominem qui latratu, ac cursus pernicitate cum canibus contenderet, & cum illis in syluis illæsus venaretur.

47 Si iuuenum ceruorum tenerrima cornua, dum adhuc lanuginosa cuticula operiuntur, in taleolas scindantur, & fictili nouo diligenter operculato torrefacienda clibano cõmittantur, factus ex iis puluis, addito pipere & myrrha, coli cruciatibus cũ vino generoso mirifice cõfert. Scribonius Largus.

48 Cum monachi quidam subinde ægrotarent, nec mali causam intelligere possent, audiuerunt tandem a rustico operario, catum monasterii sæpenumero cum serpente ludere. Qui postea communem illorum aquam lambebat, aut cum eis dormiebat. Non erat autem letale hoc venenum, quia lætitia serpentis ex ludo, veneni vim remittebat, Ponzettus.

49 Ex animalibus superfœtant lepores & equæ: sunt qui scrofas & lynces adiungant. Nonnunquã etiam mulier superfœtat, vt Alcmena, quæ Iphiclum concepit, iam Hercule grauida.

50 Consiliginis radix suum & pecorum omnium pesti præsens esse solet remedium, nec non pulmonariis eorundem vitiis, traiecta tantum auricula. Bibitur etiam ex aqua, & sub lingua assidue habetur in ore, Plin. & Columella. Putatur multis ea esse planta, quæ Gallorum vulgo Pomelea, quasi pulmonea, dicitur. Alii patam Leonis esse contẽdunt, quod viderint rei herbariæ Aristarchi.

Thebith

Thebith philoſophus vtriuſque magiæ peritus 51
tradit ad conciliandam alicuius ſtellæ virtutem annulum eſſe cõflandum, quando Luna eandem ſtellam in medio cæli, vel in aſcendente conſtitutam, trino aut ſextili aſpectu feliciter intuebitur. Sed materia annuli eſſe debet ex metallo huic ſtellæ dicato, ſubiecta etiamnum herba eidem ſtellæ aſcripta.

Concauis ſpeculis proprium eſt pedes ſurſum, 52
caput vero deorſum repræſentare. Cæterum, ſi quis in peluim aquæ plenam ſub Sole ſpeculum immiſerit, ad parietum obiecta latera veros iridis colores impreſſos obſeruabit. Sed puerilia hæc pueris tractanda relinquo.

Si quis ex incuria, vel ignorantia ouillos pedes, 53
aut arietinos ederit, non exempto vermiculo qui biſulcis illorum vnguiis adhæret, confeſtim nauſea ac ſtomachi dolore afficietur, omnique momento ad ructus & vomitiones proritabitur. Nam coctioni officit, ac ventriculo negotium exhibet, Leuinus Lemnius.

Hoc dolo vulpes vel lupos occides: Carne ſuilla 54
pingui, latitudine palmi, recẽs toſta, ſoleas calceorũ inunge, dũ e ſylua domũ verſus exis: & ſimul in veſtigia, fruſtula ſuilli iecoris aſſi, melle intincta proiice, ac felis cadauer a tergo trahe. Vbi fera in propinquo aderit, veſtigia ea cõſectans, tecũ habe hominẽ qui ſagittã excutiat, vel globulo ex catapulta eam transfigat. Ex quodã perito venationis.

Felibus imbricatæ aſperitatis eſt lingua, ac li- 55
mæ ſimilis, attenuanſque lambendo cutem hominis. Quæ cauſa etiam manſuefacta, vbi ad vicinum ſanguinem peruenerit ſaliua, inuitat ad rabiem. Plinius. Addo ex Alberto, quod abſciſ-

ſis pilis qui ſunt circa os, feles audaciam perdunt. Quibus vt leonibus, vngues hamati,& vaginis reconditi, periculoſi ſunt.

56 Sapphirus verus aqua frigida intinctus & oculo circumductus, ſordes ex illo ſecum excludit. Adhæc anthraces, vt alibi diximus, fugat & loco dimouet. Falſumque eſt omnino quod expulſo & extincto vno anthrace, vnà etiam virtutem omnem cum colore perdat ſapphirus. Nam vidi vnum, inquit Albertus, qui quatuor annorum interiecto ſpatio, duos anthraces expulerat.

57 Leonem ſæuiſſimum animal, rotarum orbes circumacti, curruſque inanes, & gallinaceorũ criſtæ válde terrent: ſed omniũ maxime ignes & tædas expaueſcit. Plin. Ælianus, Orus Apollo.

58 Ne columbæ à felibus infeſtentur, ad feneſtras atque aditus omnes, & ſecundum plures columbarii regiones, ramulos rutæ ponito, ſuſpenditoque. Ruta ſiquidem vim quandam poſſidet feris aduerſatricem, vt tradit Didymus in Geopõ. Addit Africanus, quod gallinam catus nunquam inuadet, quæ ſub ala rutam agreſtem habuerit.

59 Mandragoram illam factititiam quæ ad omnes diuitiarum prouentus ab impoſtorib magno ære vendi ſolet, ad hunc tibi comparabis modum: Bryoniæ inſignem radicem & bifidam, recenterque è terra vulſam, acuta ſcalpri acie, in virum aut fœminam figura & finge, adiectis etiamnum genitalibus membris. Vbi abſoluta erit, omnia pilorum loca ſtylo configе, vt caput, ſupercilia, mentum & pudenda, ibique milii ſemina, vel quid aliud intrude, quod radiculas proiiciat & ſegetem faciat, quæ pilos imitetur. Poſthæc defoſſa ſcrobe illam tamdiu terra adobrue, donec cor-

ticem

ticem & quasi pelliculam quandam superinduerit, videbis monstrosum idolum, & quibus decet partibus pilosum, si affabre figuratum erit.

Alfonsus Rex Castiliæ fertur distribuisse centena milia aureorum mathematicis qui hinc inde ex Iudæa, Arabia, Africa & aliis locis accersiti fuerant pro constructione astronomicarũ tabularum, quæ hodie illius liberalitate omniũ manibus terũtur, perpetuo tanti principis encomio. 60

Sambuci flores suo odore erucas arcent ac tineas perimunt: & absinthium, ruta, mentastrũ abrotonum, satureia, iuglandis folia, filix, lauandula vel pseudonardus, nigella, coriandrum viride, & psyllium, pulices ac cimices, modo culcitris & puluinari imponantur: vel earundem plantarum decocto, solum cubiculi aspergatur. Experire, si non credis. 61

Piscium carnes quouis modo coctæ, si dum adhuc calent humidis locis diu asseruentur, eosdem pariunt affectus vescentibus, consimilemq; perniciem adferunt, quæ à fungis creari solet: tametsi noxa non nisi duobus, tribusve diebus post, sese quandoque prodat. Non minus sunt vitanda oua barbatuli piscis: nam si largius sumãtur, adeo venenata sunt, vt magnum minentur periculum, Leuinus Lemnius. 62

Galbanum emollitum, & ex lineo panno anthraci pestifero coextensum & appositum, si curabilis est, adeo illi adhærebit, vt reuelli non possit, nisi radicitus eum extirpet. Si vero incurabilis erit, ne tantillum quidem adhærescit. Arnaldus à Villanoua. 63

Quanquam male olentia vuluis prosint, & hystericas adiuuent, tamen auertenda sunt ab iis 64

mulieribus, quæ epilepsia tentari solent. Nam paroxysmum illis excitant, ac æstuare cogunt, Alexand. Aphrodis. & Auicenna.

65 Feles non coeunt parte posteriore, vt reliqua fere animantia, sed mas stat, fœmina vero subiacet more hominum & simiarum. Sunt in eo genere fœminæ natura salaces. Itaque mares ad coitum voce querula alliciunt, cogunt, ac nisi pareãt, insectando ac verberando puniunt. hinc ille efferatus clamor: siue quod seminis igneum feruorẽ fœminæ reformidant; siue etiam quod vnguibus maris retinentis lædantur, Arist. Plin. Alb. Nyphus, & alii.

66 Refert Aëtius quod si coagulum catuli semel tantum ex aceto ederint hydrophobici, statim capiet eos cupiditas potus aquæ: & ob id medicamẽtum hoc miris laudibus ab eo commendatur.

67 Equorum asthma & spirandi difficultas curabitur inserta pectori radicula eius herbæ quam veterinarii cõsiliginem vocant. Aut radice eiusdem naribus auriculisve impacta: siquidem has in parteis omnis morbi vis, noxiumque virus elicitur. Autor Pelagonius mulomedicus. Sunt qui vires easdem tribuant radiculis hellebori.

68 Aranearum multitudine, pestifera fore æstas indicatur. Et vernis ficus foliis, cornicis pedem adæquantibus, tempestiua veris nauigatio, Plutarchus & Hesiodus.

69 Visi sunt in Austria gemelli qui obiectis tantum ad ianuas corporis lateribus, feras aperiebant. Visus etiam sapphirus qui prima applicatione aciem oculorum ac visionem obtundebat. Autor Ioan. Langius.

70 Si e vitro solidiore & crasso parentur perspicilla,

cilla,ſeu ocularia,in plures facies anguloſas ita accommodata,vt anguli omnes metam habeant in medio,quæ viſum diſgreget, ex pluribus illis ſuperficiebus ſic diſpoſitis, res vna apparebit multiplex. Adeo vt nummus vnus aureus & ſimplex, decem,viginti,vel centum præ ſe ferat,pro angulorum & ſuperficierum turba. Quæ res tangentem mire deludit, facitque vt multo melius ſit cum huiuſmodi ocularibus perſpicillis dare,quam accipere Ex opticographis.

Sal marinus recens coctus , atque a ſordibus 71
non ita pridem repurgatus, aſſeruãdis carnibus & piſcibus minus eſt idoneus.Nam ſalſuginoſam ſaliuam , & limoſam quandam vliginem rebus eo conſperſis inducit.Leuinus Lemnius.

Quidam ex ſociis noſtris,inquit Albertus,mihi 72
narrauit, Fridericum Imperatorem habuiſſe magnetem qui non ſolum ferrum traheret, ſed vice verſa ferrũ lapidem. Addit ille idem ex Ariſtotele, eſſe genus magnetis quod carnes hominis trahat.

Sicut ex felibus, inquit Ælianus, mas eſt libidi- 73
noſiſſimus,ita fœtus amãtiſſima eſt fœmina,propter quem Veneream maris conſuetudinem auerſatur.Cuius rei mas non ignarus, communem ſobolem interimit. Hæc autem noui fœtus deſiderio permota illius libidini denuo morẽ gerit, Ælianus.

Homini a ſcorpionibus icto remedio eſt cinis 74
eorundem ex vino potus. Et rabidi canis morſum curari teſtantur multi, pilis eiuſdem animantis exuſtis, & ex vino propinatis, Plinius & Leuinus Lemnius.

Aues quæ ſemen hyoſcyami ederint , præcipue 75
quæ in gallinaceo habentur genere, non multo

post tempore pereunt quemadmodum & pisces. Addo ex Dioscoride quod radice hyoscyami in aceto coacta, efficaciter dentes colluuntur in dolore. Cui subscribo, si à causa calida fuerit dolor.

76 Carduus benedictus contusus, & in vino cum axungia & triticea farina probe coctus ad vnguēti consistentiam, præstans habetur remedium ad vlcera, quæcunque, etiam si processerint vsque ad ossium denudationem. Sed bis in die vnctio fieri debet, suntque prius eluenda vino vlcera, ad sordium abstersionem. Arnald. Villanouan.

77 Dum diuersaretur in Italia D. Augustinus, sese audiuisse perhibet, quasdā mulieres stabularias degustato caseo quopiam, in iumenta à viatoribus conuersa fuisse, vt earum onera deferrēt. Sic Præstantii pater delibato casei veneno consopitus, diu exanimis iacuit, experrectusque tandem sese caballum fuisse, ac onerarias clitellas & annonam militibus gestasse dixit. Quod verum fuisse compererunt.

78 Ab omni tetro odore feles abhorrere dicuntur: eamque ob causam excrementa sua, prius scrobe facta, in terram occultant Æliano autore. Plinius causam addit, ne odore muribus prodantur. Volaterranus, ne à prætereuntibus terantur. Vtvt fecit, Plutarchus scribit, odore vnguentorum illos grauiter vexari: & vt Cælio placet, perturbari ac furere. Addam quod Aloysius Mundella se obseruasse tradit, comitiali morbo illos etiam quandoque affici.

79 Experimentum Regii cuiusdam chirurgi aduersus chiragras & podagras. Habe manipulum artemisiæ, deferuefacito in oleo dulci oliuarum, donec decrescat ad tertias: eo dolentem locum inunge,

inunge, senties breui tempore dolorem sedari.

Abinzoar medicus Arabs non illaudatus, ad 80
morbum arquatum & icterum exhibebat pondus trium granorũ hordei lapidis Bezoardici dissoluti in lacte vel aquæ cucurbitæ, aut rosarũ. Quo remedio filium Haly regis à virulenta ictericię aurigine liberauit. Porro quid sit lapis Bezoardicus exposuimus aphorismo 70. Centuriæ primæ, si bene memini.

Optimum est in grangrenæ scarificatione inci- 81
siones aqua salsa calente irrigare, ne sanguis incrassetur, sed liquidior fiat: aut spongia, recente aqua salis, vel maris imbuta, easdem abstergere & fomentare Lemnius. Optimum etiam fuerit, imo vero præstantiss. in bubonibus & anthracibus pestiferis idem fieri.

Materiam effingendis lapidibus preciosis sic 82
præstrues. Impletur vesica multis ouorum albuminibus simul dilutis & agitatis: tum demum in feruentem aquam diu excoquenda committitur, & detracta, loco minime puluerulento, tanto tempore exsiccatur, donec vitri consistentiam induisse videatur. Posthæc in particulas diuiditur quæ paulo post aquis, quo visum erit colore intinctis & saturatis, iniiciuntur, vt ibi deferueant, & colores propositos imbibant: croceũ si topazium habere voles, & crocum in aqua dissolueris: pyropum, si brasilii ramenta & scobem: & ita de reliquis. Pulchrum sane inuentum & paratu facile, quod ab experto accepi, & tibi commune esse volui, sed eo animo ne quem decipias.

Ad canis rabidi morsum, cancri in patella 83
deuruntur, vt puluerari possint. Exhibetur cochlearis mensura cum puluere radicis gentianæ

ac thuris momento. Debet autem antidotus ista frequenter iterari, & per sesquimensem continuum assumi, quo rabies & aquæ pauor propulsetur. Probatum audiui.

84 Aqua felibus vsque adeo est exitialis, vt si in ea mergantur, & ilico desiccari prohibeantur, vitam morte non raro commutent, Albertus. Nam humiditas externa illorum naturæ aduersatur: proinde pedes etiam tingere cauent, Hinc emersit illud, *Cattus amat pisces, sed aquas intrare recusat.*

85 Smaragdus perelegans, inquit Albertus, temporibus meis a Rege Hungariæ gestatus, dum venerea desideria cum vxore expleret, in treis parteis (quod sit impatiens libidinis) fractus dissiliit. Res ea ægre suaderi mihi potest, qui certo scio verum smaragdum a quodam mihi familiari sæpenumero gestatum, quo tempore operam liberis cum vxore daret, nihil prorsus detrimenti accepisse: sed dum idem mortuę vicinæ debita præstaret obsequia, extra sphendonem vltro desiliisse, nec amplius comparuisse. Quod etiam mihi contigisse constanter dico & profiteor, dum ægrotanti præceptori nostro ORONTIO, qualem decebat operam impenderem, in extremo vitę illius actu. Dono autem acceperam smaragdulum eum qui tum e sua capsula dissiliit, in qua arctissime clausus erat, ab eodem præceptore & amico. Qui illum vicissim acceperat ab excellentiss. & doctiss. viro Alberto Pichio Campensi. Sed de iis satis.

86 Sorices & glires ruinosas ædes deserere obseruatum est, etiam trimestri spatio antequam sint collapsuræ. Præsentiunt enim naturæ instinctu contignationem & ædium compagem sensim dissolui, illasque breui pessum ituras, Plinius & Leuinus Lemnius.

Aduer-

Aduersus calculum multi de experientia ma- 87
gnificant puluerem pellis lucii piscis, cum aqua
parietariæ ex vino albo haustam. Alii idem polli-
centur de pelle piscis barbatuli, & stillatitia aqua
herbæ, quam argentaream vocant.

Si e nare dextra fluat sanguis, digitus auricula- 88
ris manus dextræ incuruandus est, ac totis viribus
premendus; sin e sinistra, sinister. Hoc enim com-
pressu fluxus restringi solet. Populare est reme-
dium & probatum.

Cum primum infantes ex vtero prodeunt, si 89
prius quam aliquid gustent, corallii scrupulum di-
midium diligēter tritum cum lacte nutritio hau-
serint, nunquam epilepsiam incurrent. Arnaldus
Villanouanus.

Accensis vtrislibet ceruorum cornibus, odore 90
illorum fugantur serpentes, & comitiales depre-
henduntur morbi. Idem etiam præstat lapis gaga-
tes incensus, suffitu suo: sed ne odor dispergatur,
stragulis circūdari debet quisquis est. Nam tum, si
epilepsiæ est obnoxius, cadet, Dioscor. Galen Pli-
nius, Apuleius & alii.

Tridenti clariss. legis vtriusque doctor Baldus, 91
inter ludendum cum quodam suo catello, leniter
in inferiori labro demorsus fuit. Qui cum ignora-
ret eum rabie affectum esse, quarto post mense
rabidus factus, & tandem hydrophobicus, nullo
adiutus medicamento, miseram obiuit mortem,
Autor Andr. Matthiolus suis in Dioscorid. Com-
mentariis. Quod diligenter, obsecro, animaduer-
tant & obseruent qui catellos habent in deliciis.

Scribonius Largus tradit, ceruis Ciliciæ (& for- 92
tasse aliis) sordes enasci in angulo oculi versus
nares, quas venatores contra omne iobolorum

& venenatorum animalium virus, ac pharmaca deleteria in capitis cingulo deferant.

93 Feles auribus abſciſſis facilius domi remanent, quod aquæ guttas & ſtillicidia auriculis apertis illabentia ſuſtinere non poſſint, Albertus. Caſtratur vterq; ſexus, & præcipue mares, vt mitiores & corpulenti fiant, minuſque euagentur, ac domos deſerant.

94 Antoninus Caracalla Imperator, Ælio Spartiano teſte, eos condemnare ſtatuit, qui contra tertianas & quartanas febres periapta & geſtamina colli vel brachiorum circumferrent. Quibus tamen fidem non derogat Galenus, vt etiam amuletis, modo naturali nitantur ratione, potius quam verbis incãtatoriis magorum: ſicuti in pæonia idẽ Galen. oſtendit, cui ſuffragatur Theophr.

95 Hydrargyrum, ſeu argentum viuum facile ac leuiter hunc in modum congelabis: Liquefactum plumbum & à ſcoria repurgatum in vaſculum idoneum coniicito, & vbi coagulari addenſarique occœperit, foſſulam ligno vel ferro confeſtim in eo inprimito, ac dicto citius, dum adhuc calet, hydrargyrum ibidem coniicito, & optato fine potieris, ſed non exacto & poſtremo. Extractum itaque in pila vel mortario contundes, deinde congelationem, vt prius, iterabis, ac toties reiterabis, donec durum & malleabile habueris. A quodam chryſopœo, vt fertur, accepi.

96 Si ſpuma, aut ſaliua rabioſi canis, vel elephantiaci hominis, vlli parti adhæſerit, etiã citra morſum, noxam non leuem adfert: præſertim in parte neruoſa, vel arterioſa, niſi confeſtim ſalſugine eluatur. Quod ſi quiſpiam à iam dictis demorſus fuerit, vrina impuberis, fomenti loco adhibita, virus

virus eliciet. Necnon ruta, ſal, fiſcus, vel braſſica quæ rubenti eſt folio, vnà cum melle & butyro ſubacta, & affecto membro admota: ſed intra corpus ſumenda ſunt interim opportuna antidota. Ex Leuino Lemnio.

Ferunt conchylia & oſtrea tonitru ſæuiente, 97
margaritas quaſi abortiendo vomere, ob id multæ in arena reperiuntur. Quarum virtus experta eſt & probata aduerſus animi deliquia, fluxū lyentericum, & omnium maxime ad roborandos recreandoſque ſpiritus, Dioſcor.

Vbi pulices ac pediculi præſentiunt corpora 98
hominum emori ac tabeſcere, omniaque membra ſanguine & calore vitali ſenſim deſtitui, vel ea deſerunt, vel partes illas occupant, quibus ſanguis, calorque natiuus diutius inhæret. Cuiuſmodi eſt lacuna circa ventriculi orificium, vel quæ mento ſubeſt ac vocali arteriæ incumbit: vt a veſpillonibus & libitinariis obſeruatum eſt. Hęc animæ emigrantis certiſſima ſunt argumenta. Lemnius.

Ebuli folia cum vino cocta, arthriticorum cru- 99
ciatus valde mitigant, ſi dolenti loco admoueantur. Sunt qui præferant, & miris laudibus extollant ſuccum expreſſum ex foliis radicibuſq; eiuſdem, coctis in vino, & butyro menſis Maii exceptum, ac vice linimenti affecto membro identidem inunctum, nimirum ter, quaterve in die. Ab experto hæc didici.

Succinum, ſeu ambram hunc in modum finges 100
& ſimulabis: Accipe cryſtallum in tenuiſſimum pollinem redactam, & ouorum album na, excluſis germinibus, tamdiu agitata & deſpumata, donec in aquam ſoluantur. illis ſupradictum puluerem immiſce, & coagita, addito momento croci

ſubtiliter puluerati, ſi luteam ambram tibi comparare ſatagis. Tum demum omnia hæc in fiſtulam arundinaceam, vel inteſtinum aliquod, ſeu ampullam vitream iniice, ac feruenti aquæ tantiſper committe, dum ſolidam & duram conſiſtentiam adepta fuiſſe deprehendes. Extracta, ſuper marmore expoli, & in quam viſum erit formam effinge. Si ſphærulas precarias habere ſatagis, aut gladii capulum, perfora ante quam ſicceſcant, poſtea Soli expone. Poteris pro concepto voto & arbitrio alios colores miſcere, & ita lapides precioſis affines perbelle mentiri. Sed tum ante coctionem percolanda erit materia, vt corpus gemmæ diaphanum ſit ac pellucidum. Ex ſecreto artificio cuiuſdam ingenioſiſſimi amici mei.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM

CENTVRIA VI.

1 ADmirationem ac fidem omnem ſuperaret quod anno 1539. accidit in quodam pago ditionis Epiſcopatus Eiſtettenſis apud Germanos, Fugeſtal nomine, niſi oculati & certæ fidei teſtes ſpectaculo adfuiſſent. In eo pago Vlricus Neuſeſſer agricola, crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum excruciatus, ſubito clauum ſub illæſa cute manu deprehenſum, facta inciſione a chirurgo detraxit. Nec tamen dolores ob id ceſſabant, ſed in dies magis ac magis recrudeſcebant. Quare, cum nec aliud doloris remedium fo-

reſu-

re suspicaretur miser ille, quam mortem, arrepto cultello miserrime sibi guttur abscidit. Itaq;, dum tertio die mortuus ad sepulchrum efferretur, aderant tum Eucharius Rosenbader ex VVeissenburg, Noricorum oppido, ac Ioannes ab Ettenster chirurgi, qui astante magna hominum frequentia demortui agricolæ ventriculum inciderunt. In eo (res mira & prodigiosa) lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim serræ instar dentati, ac duo ferramenta aspera reperta fuerunt: quorum singula spithami longitudinem excedebant. Aderat & capillorum inuolucrum globi instar. Credibile sane est hæc in ventriculi cauitate congesta fuisse non alia arte, quam dæmonis astu, & dolo. Autor Ioan. Langius parte prima suarum Epist. medicinal epistola 38. De prodigiis & præstigiis dæmonum in morbis.

Si libram vnam vini præstantissimi, & salem 25
quantum manu prehendi potest, cum fæce vini generosi in chymicum & stillatorium organum miseris, & aquam ex iis materiis manantem exceperis, omnium ardentissimam esse experieris. Ex quodam chymista acceptum tibi trado.

Capitale fuisse apud Ægyptios felem sponte, vel casu occidisse, Diodorus perpulchra demonstrat historiâ, suos oculos ac fidem in testimonium adducens, ne putetur esse fabula. Quum ætate Ptolemæi, inquit, inita esset amicitia cum Romanis, & Romanorum quispiam præter voluntatem animi, felem occidisset, Ægyptii facta impressione, eius domum agminatim obsederũt, eum ad pœnam poscentes, neglecta magnitudine Romani nominis, & amicitiæ recenter initæ memoria: idq; præstitissent nisi rex & præfecti re-

gii eum præſenti periculo ſubtraxiſſent veriu
quam liberaſſent. Hæc ille.

4 Auri puri & obryzi limatura in electariis idone
deglutita, fertur conſeruare immunes ab eleph
tiaſi qui ea vtuntur. Et lamina ex auro impoſi
linguæ illorum qui cauſonis, ſeu ardentis febr
æſtu excruciantur, febrilem ardorem refrigera
Langius.

5 Cum graui morbo decumberet Ariſtotele
medico ſuo multa vetanti, & non pauca citi
morbi cauſam edicenti, fertur ſcite reſpondiſſ
Ne me cures vt bubulcum & foſſorem, ſed priu
cauſas ediſſere, & ita me præceptis tuis facile m
rigerum reddideris, Ælianus & Polybius.

6 Antidotus reddens ſumentem tutum a peſt
& venenis, accipit baccarum iuniperi drachma
duas, terræ Lemniæ veræ tantumdem, & obolo
inſuper duos, ſeu ſcrupulum vnum. Vbi in pulue
rem redegeris, melle excepta, in vaſe mundo a
vſum reſeruabis. Dabis ex aqua mulſæ cyathi
duobus ſeu vnciis tribus, quantum eſt auellana
Hac antidoto Rex Nicomedes vtebatur, ſi quan
do ſuſpectos habuiſſet, qui eum inuitarant. Nan
ſi nullum ſubiit venenum, quieta manet: ſin adſi
nauſeam concitat, & vomere cogit, ita vt vene
num quoque cum antidoto eiiciatur.

7 Teſtudo viperæ morſu ſaucia, cunilæ paſtu
quam bubulam ſiue origanum appellant opem ſibi ad
fert medicam. Et vrſæ cum ſomnifera mandrago
ræ poma degustarunt, formicas melle contritas
lambunt. Plin. & Ariſtoteles.

8 Antiocho Regi cognomento Soteri oſtenſum
fuit in ſomnis ſignaculum ſub figura triplicis pen
tagoni ex diuina reuelatione. Quo cum vteretu

in

n veſtibus militum pro bellica teſſera, de Galatis inſperatam adeptus eſt victoriam. Sic Iudas Machabæus accepto ab Angelo ſacri tetragrammatis ſignaculo, Antiochum Eupatorem feliciter proſtrauit. & Conſtantinus ille magnus prævio crucis charactere, Maxentium tyrannum apud pontem Miluium debellauit. Auctor Euſebius.

Si æris ramenta aqua forti diſſoluantur & in ea 9
ferrum tingatur, æris colorem induet modo fuerit defæcatum & mundum. Præterea ſi argentum viuum ſublimatum digitis pertractetur, & mox argẽtea vaſa, vel numiſmata iiſdem manibus verſentur, & circumducantur, ita inficientur, vt adulterina ac falſa eſſe videantur. Bapt. Porta.

Sal in aqua eliquatus, aut loco eius muria, præ- 10
ſentanea vi dolorẽ cum feruore ambuſtis mitigat, ſiue is fuerit ex puluere bõbardico, vel oleo, pice, aqua feruida, prunis, ferro candente, aut aliunde. Præſertim, ſi tenui linteolo ſalſugine imbuto, partes præuſtæ foueantur, relicto ibidẽ linteolo. Valet etiam plurimum ad id remediũ ſalſugo incumbens butyro ſalem expertõ, fomenti loco adhibita. Autor Lemnius.

Si volueris ſcire an debeat liberari qui peſtilen- 11
ti anthrace corripitur, exhibe ei pauluum ſelectæ theriacæ cum vino albo, ſi non febricitet: eademque theriaca anthracem inunge. Si ilico aduritur & fixa manet nihil hinc ſubleuato ægrotante, peſſimum erit ſignum. Si contra, & leuamen ſentit, optimum. Arnaldus Villanouanus.

Lampyrides, quæ & nitedulæ & cicindelæ vo- 12
cantur, vitreo vaſculo, quod diligenter opertum ſit, immiſſæ, & fimo equino dies aliquot obrutæ, in liquorem ſoluuntur, qui cum æquali portione

hydrargyri, vt decet, purgati, vitrea phiala pellucida & munda inclusus, mediisque ædium laquearibus appensus, tantum lucis refundet, quantum sublustri nocte Diana. Puto ex magia naturali Ioan. Baptistæ Neapolit. decerptum.

13 De Iaspide expertum est quod sanguinis fluores cohibet: aiunt etiam partum iuuare, ac gestantem castum reddere, & cor exhilarare. Sic gagates hydropicis confert, fluidos dentes firmat, & suffitu per inferna a mulieribus exceptus, vel etiam impositus, menstrua prouocat. Albertus.

14 Canis rabiosi qui hominem momorderit dentes in corio ligati & armo suspensi, defendunt gestantem a morsibus rabiosi canis, Dioscorides. Addo quod quædam est species telæ araneæ spissæ & candidæ, quam si humero suspenderis, a quartanis defendet, vt tradit Albertus. His attexendum erit, quod quidam collo suspendunt radices oxalidis contra scrofulas, necnon arnoglossi, successu sanequam probato.

15 Serpentes per somnium interimere, victoriam significat: vela videre, malum: dentes omnes habere sanguinolentos, mortem somniantis: dentes extrahi, mortem alterius: aues intrare domũ, iacturam: flere, gaudium: nummos tractare, iram: mortuos videre equos, felicem rerum euentum. Ex Artemidoro, & aliis.

16 Fascini sola organa non sunt oculi, sed & vox & quorundam hominum maledica lingua. Nam reperiuntur in Africa, Gellio autore, hominum familiæ, quæ si impensius forte laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes cultu & pastu opimas, hæc omnia tabescant & emoriantur, nulli

interea

interea motis causæ obnoxia. Vnde inoleuit consuetudo, vt quidpiam laudaturi, ne verba nostra obsint, bene ominando addamus, vt Deus id conseruet. Autor Aristoteles in Problem.

Goritienses mulierculæ, inquit Matthiolus, ægre parturientibus vltimo remedio argentum viuum potandum præbent scrupuli pondere. Nec desunt qui ad interimēdas alui tineas illud etiam puellis propinent ad duorum granorum milii quantitatem, citra vllam molestiam, modo prius debite perpurgatum fuerit. 17

Lithanthrax, seu lapideus carbo fossilis, mixto oleo emolliri potest. Quo si viticolæ suas illinant vites, interficientur vermes qui illarum oculos ac gemmas prærodunt. Autor Seuerinus Gœbelius. 18

Carbunculis & bubonibus, aliisque pestiferis tumoribus, ruta cōtusa percommode adhibetur, ex acri, salsoque fermento, vna cum ficubus, cantharidibus, cepa & scilla tostis, adhibitaque viua calce, sapone, ammoniaco, & theriaces momento. Hoc emplastrum parti affectæ admotum, delitescentes tumores illico perrumpit: sed roborato prius corde. Lemnius, assentiente experientia. 19

Si salem ammoniacum & oui cortices simul trituraueris, & ex iis aquam chymico organo exceperis, in eaque æs ignitum extinxeris, mirā suscipiet albedinem. Adde, quod ex antimonio extractum hydrargyrum, seu viuum argentum, æs eximie dealbat, si super eo proiiciatur, vel defricetur. Quod non facit fossile & metallicum, a Plinio vomica perpetui liquoris nuncupatum. 20

Ad ambusta quæquæ summe prodest linimentum factū ex smegmate, seu sapone vulgari, cum melle & butyro. Adhæc aqua decoctionis rapo- 21

rum, quæ paulo efficacior erit, si nonnihil calcis viuæ in illam lixiuii modo dissoluas, & per vasis inclinationem excipias: sic enim absque morsu disiccat, & ardorem compescit.

22 Si pinguedine, vel cera liquefacta, ouum, ferrum, aut silicem obduxeris, & quidquid voles desuper scripseris, vel insculpseris, ita vt subiectum corpus attingat, deinde in acetum acerrimũ pernoctare dimiseris, scriptum ac cælatum inuenies, quidquid apertum, & aceto peruium fuit: sunt qui addant salem & æruginem. Sed puerilia hæc, vt multa alia, pueris tractanda relinquemus.

23 Azurum vt vocant transmarinum sic ementieris: Accipe vnc. vnam argenti calcinati cum aqua forti, salis ammoniaci drachmas duas cum semisse, & aceti q. s. misceantur, & tamdiu quiescant, donec materia in fundo subsidat. Deinde vbi acetum supereminebit, sensim auferatur, & materia ad fundum relicta in vitrea cucurbita probe obturata, per dies 25. sub fimo equino sepeliatur, & habebis cæruleum, vel azurum Indicum & transmarinum pulcherrimum. Ex antiquissimo lib. M. S.

24 Aliquis rubetam defixe aspiciens vtcumque optime coloratus, pallore tanquam ictericus afficitur. Et rursus aspiciens charadrium seu galgulum (de quo aphorismo *1.* Centuriæ *3.*) liberatur. Autor Philes. Addo quod moscho vtereri inserto, dysurias curari tradit Galenus.

25 Adamas, qui etiam incudes, Plinio teste, respuit, mollescere ac solui fertur sanguine calide hirci, modo aliquandiu ante vinum biberit, ac petroselinum, vel montanum siler comederit. Cæterum, sanguis huiuscemodi ad conterendum in vesica lapidem, valde efficax habetur. Albertus.

Semen

Semen agreſtis croci manu tritum, vel collo ſuſ- 26
penſum, plurimum pollet aduerſus ictum ſcorpionum. in quam rem etiam prodeſſe aiunt radicem lauri & ireos. Sic pæoniæ radix, præſertim maſculæ, collo epileptici pueri appenſa, ei valde commodat: ſimiliter & pyrethrum, & pilus canis ex toto nigri, Lemnius.

Monachos videre inter ſomniandum mortem 27
vel calamitatem portendit. pingues videre boues rerum abundantiam. oculum vel dentem amittere, amici, aut affinis alicuius mortem, vel infortunium: mutũ eſſe, celerem lętitiam: boues arare, lucrum: eoſdẽ aquas ingredi, malum, Artemidorus.

Herbam quam alyſſum vocant, alii in manus 28
accipientes, alii ſolum aſpicientes, a ſingultu liberantur, vt tradit Plutarchus. Fertur eadem ouillo & caprillo pecori ſalutaris eſſe, prope caulas & ſepta eorum conſita. Valet etiam certo experimẽto aduerſus canum rabiẽ, & ob id Galeno & Aëtio teste ab ἀλύσση, id eſt rabie, alyſſum nominatũ.

Noui mulierem, inquit Andr. Mathiolus, quo- 29
tidie fere per annos multos vuluæ ſtrangulationi obnoxiam, quæ ex illo morbo optime conualuit hauriendo ſemel per hebdomadam ſub lecti ingreſſum, vinũ album, in quo vncia radicis bryonię efferbuiſſet. Et hoc medicamẽto per annum integrum vſa, hinc nihil amplius incommodi ſenſit.

Leporum carõ, omniumq; animalium oblon- 30
gas auriculas habentium, ſanguinem gignit melancholicum, vt Galeno placet. Addo quod cerebro leporis perunctæ paruulorum gingiuæ, facilius dentes emittunt: & quod leporum cibo ſomnolentos fieri Cato arbitratur: cenſetque vulgus, ſed ioco friuolo, hinc corpori gratiam ac ve-

nustatem totos dies septem conciliari, vt ex Martialis epigrammate constat.

31 Iosephus gloriatur se præsente Vespasiano Imperat. & eius filiis ac tribunis, vidisse in exercitu Elezarum Iudaicæ factionis sacerdotem, applicuisse naribus cuiusdam a dæmone obsessi annulum, cuius signaculo radix a Solomone reperta subdita erat (multi putant, sed falso, eam esse quæ hodie sigillum Solomonis nuncupatur) & dæmonem per nares odorãtis extraxisse. Qui cum repẽte in terram concidisset, cãtico coniurationis Solomonis, idem Elezarus dæmonium proscripsit.

32 Si argenti pusillum forti aqua dissolueris, eique tantum salis ammoniaci & tartari dilueris, vt strigmenti crassamentum induat: deinde ex ea materia orbiculos seu sphærulas formaueris, siccaueris, & cum illis æs, cuprũ, vel quid aliud simile, crebra digitorum contrectatione, & saliuę complexu defricueris, audebit ad argenti decus aspirare superbum. Sed materiæ adhunc modum argentatæ, ab acribus, vt aceto, lotio, succo limonum & similibus, defendendæ sunt, ne prodatur fucus, & color vanescat. Acceptum fero cuipiam Picardo, multis rerum experimentis celebri.

33 Pelles ex iis animalibus detractę quæ in frigidis regionibus degunt, suffulciendis tegumentis multo præstantiores habentur iis, quæ paratæ sunt ex animalib. in calidis regionibus versantibus. Nam pilorum defluuium contracta cute & addensata non patiuntur nec agnoscunt. Lemnius.

34 Dum pestis grassaretur in Syria multi, vt tradit Galen. epota pueri vrina liberari sibi visi sunt. Sic plerique, vt scribit Gesnerus, puluere rubetæ aridæ, aut bufonis, pestilenti buboni imposito, venenum

uum mire extraxerunt. Alii ranam viuam eidem appoſuerunt, & ſi interibat, aliam ſuppoſuerunt, idque toties repetiuerunt, donec ſuperſtitem vnam remanſiſſe viderunt, felici ſucceſſu & remedio. Quemadmodum in noſtris contra peſtem auxiliis oſtendimus.

Febricitantis caput & maxime paruulorum, la- 35
cte mulieris ſæpius inunctum, valde iuuatur. Et ſi quis ventris profluuium patitur, os hominis collo appenſum ferat. Scriptum eſt præterea a Plinio, ſi bene memini, tertianas, quartanaſque febres ſanari menſtruo muliebri in lana arietis nigri, argenteo brachiali incluſo.

Si pani in clibanum mittendo inſerueris nu- 36
cem viuo ſulphure, ſale petræ, & hydrargyro oppletam, ac diligenter clauſam, vbi incaluerit, videbis panem ita ſalire, vt iucundum ac plauſibile ſpectaculum preſentibus omnibus exhibeat. Rem eam ab experto accepi.

Proditum eſt felem, Lunæ (cuius ſideris bene- 37
ficio naturæ pars multa conſtat) notas & imaginem quandam, præſertim in oculis referre. In quibus ad quotidiana luminum Lunæ incrementa, decrementaque augeri pupulas ac minui conſtat: adhæc in tenebris lunaris modo fulgere: & quod maximum eſt, fertilem ac vegetabilem Lunæ naturam fœcunditate ſua adæquare. Marcell. Vergilius in Dioſcor.

Aduerſus quartanam, accipe vniuerſum loti- 38
um quod laborans vna vice reddiderit acceſſionis tempore: & cum eo farinam pinſe, coque, & cani famelico exhibe. Vbi id ter repetiueris, ſanabitur patiens, ac pro illo canis laborabit. Sed pro maſculo ægrotante, maſculus canis, pro fœmina

vero, eiusdem sexus eligi debet. De frequenti cuiusdam Itali experimento, vt dicebat.

39 Ossium humanorũ puluis ex vino rubro astringente, dysentericis propinatus, sanguinolentũ fluxum cohibet. Et fruticulus, seu virgultum quod viscum appellant, maxime in quercu & ilice natum, comitiali morbo vi mirifica medetur, puluisculo suo ex meracissimo vino assumpto. Quod multis experimẽtis sibi probatũ esse scribit Leuin. Lemnius. medicus & philosophus præstãtissimus.

40 Aquilæ per somnium supra caput volantes, infortunia portendunt: suam faciem in aqua contemplari, vitam longam: apes sectari, lucrum: nuptiis interesse, aliquem ex affinibus e vita migrasse: Deum adorare, lætitiam: speculum contueri, sobolem: oleo perfundi, gaudium. Michael Scotus, Artemidorus, & alii.

41 Ludouicus Viues scribit memoriâ patrum suorum sepulchrum erutũ fuisse, in quo lucerna ardens inuenta fuit, ibidem condita, vt inscriptio testabatur, ante annos 1500. Ea vt manibus contrectata fuit, extemplo in puluerem resoluta est. Hæc Ioan. Langius.

42 Equos & mulos rabie affici, perinde atque canes, lupos & vulpes, autores sunt Aristoteles & Auicenna. Sed in prioribus raro contingit, nisi a rabidis animalibus demorsi fuerint. Cæterum hic admonendæ mihi sunt matronæ diuites, ne suis catellis, quos in maioribus habent delitiis quam proprios liberos, cibum, iusculumve piperatum, aut zinziberatum exhibeant. Nam cum hæc caliditatis, siccitatisque modum excedant, eadem ratione qua ingens æstus & feruor, illos rabidos efficere possunt. quod obiter dictum sit.

Clyste-

Clyſterum vſus apud Ægyptios adeo frequens erat, teſte Herodoto, vt ſingulis menſibus triduo purgarent ſe vomendo, atque inteſtina diluendo, ſanitatis gratia, quod etiam a Diodoro Siculo traditum eſt. 43

Alexander Trallianus a Meſue per antonomaſiam Medicus vocatus, aſſerit imaginem Herculis Leonem ſuffocantis annulo incluſam, colicis (forte cholericis) mederi. Sic aduerſus cruciatum dentium, M. Varro hæc verba collo appendi iubet, Strigiles falceſq; dentatæ, dentium dolorem perſanate. Sed hæc ridicula omittimus, vt meliora ſequamur. 44

Placet Muſæo poëtæ antiquiſſimo, quod amoris fundamenta iaciant oculi, præcipui ad amandum illices. Vnde ex aſpectu amorem naſci dixit Diogenianus. Et paſtor Vergilianus inclamat, Vt vidi, vt perii, &c. nam in incognitũ non fertur amor. Ex quo mirandum videtur Iuuenalis illud de quodam amãte, Qui numquam viſæ flagrabat amore puellæ. Recte itaque ſcriptum eſt, Cupidinem in oculis excubare, & illinc ſua tela ac faces iaculari, quibus miſera amantium præcordia lædat & vrat. 45

Si nimio colore tingatur aurum, & ob id quidpiam ex illo detrahere ſatagis, in vrina aliquot dies demerſum, ſuper candente ferri lamina ſemel atq; iterum verſa ac ibi perfrigerari dimitte. Ex quodam aurifabro & chryſopœo ingenioſiſſimo. 46

Pelles ex quibus in hybernos vſus regumenta conficimus, æſtiuis menſibus vt paulo ante dicebamus, vel flante auſtro detractæ ab animalibus, pilos habent defluos, & blattis ac tineis, nec non putredini maxime opportunos. Inconſulte itaque faciunt, qui vigente auſtro, veſtes, lectos & 47

laneam supellectilem aeri exponunt, ac ventilant: quum id potius fieri debeat flante aquilone vel subsolano. Nam hi rara densant, & corpora quæque a putredine vindicant: Ille contra, densa relaxat & corruptioni obnoxia reddit.

48 Si calchantum (vitriolum & copparosa vulgo dictum) in aqua rosarum dissoluatur & rursus iteratis tribus vel quatuor vicibus cogatur, deturque oboli pondere obsesso a peste, vomitum concitabit, qui contagionem ac morbum soluet. Valebit etiam in eum vsum, ac sane quam efficax erit antimonii calcinati vnum alterumve grani pondus, pro corporum modulo & viribus. Sed rite calcinatum esse oportet: quale ad me misit superiore anno ex Bohemia, insignis medicus, & mathematicus incomparabilis D. Thaddæus Hageccius, vna cum metoposcopicis aphorismis, & mathematicis aliquot libellis a se haud ita pridem editis. Pro quibus, publica ista commemoratio gratiam tantisper apud eum demereri postulat, dum referendi opportunum dabitur tempus.

49 Semen ex prima fœtura pæoniæ masculæ, nigricans & orbiculare (nam angulosum & rubicũdulum inefficax habetur) epilepticos summe recreat, si quidpiã triti sumatur cũ oxymelite scillitico, & syrupo de stœchade, ac pauxillo nucis muscatæ: quod verissimum esse restatur Lemnius.

50 Tradunt stercora murium, cum cineribus muscarum & auellanarum, addito rosaceo & pauco aceto, locum glabrem pilis egregie vestire Adhæc vrticam viridẽ horis 24 in lotio decumbentis maceratam, eius salutem præsagire, si ibidem viridis perstat, sin contra, mortem vel ingens periculum.

51 Porrum cum sale tritum, & fractis, luxatisve

membris

membris appositũ, illa plurimum iuuare fertur. Et sanguis gallinacei galli siccatus, pulueratus & vino aqua diluto mixtus, aquam supernatare cogit, Ex relatione ingeniosi monachi.

Pontem fractum inter somniandum transire, timoris præsagium est: capillitio caput priuari, amicorum mortem significat: manus mundare, molestiam: easdem sordidas videre, damnum, & periculum: agnos pascere, dolorem: muscas captare, iniuriam. 52

Tradit Alexander Neapolit. mulierem Venetam acum crinalem qua cirrhi capillorum intorquentur, quatuor digitorum longitudine (quã obdormiscens glutiuerat ore contentam) decimo tandem mense eminxisse. Altera in gynæcio ducis Iuliacensis virgo, dum se adornaret, perterrita clandestino ducis aduentu & ingressu, quinque acus ore mordicus detentas itidem deglutiuit, & per vrinam, dies aliquot post, illæsa reddidit, vt aphorismo tertio Centuriç primæ scripsimus. 53

Si experiri voles an mulier sit grauida, fac vt lotium reddat in vase æneo, & noctem vnam acum ferream & perpolitam in illud demerge. Si prægnans erit, maculis rubris distinguetur: sin minus, nigrescet, vel ferruginea, aut æruginosa euadet. Expertum fuisse intellexi. 54

Campas hortenses, quæ chenillæ nobis vocantur, fugabis & euinces, vt scribit Palladius, si fasciculos allii sine capitibus per omne horti spatium combusseris, & nidorem locis pluribus excitaueueris. Si vero vitibus consulere volueris, allio trito falces putatorias inunge. Subscribunt Palladio Democritus & Africanus in Geopon. 55

Si verus lapis aetites, in aquilarum nido reper- 56

tus, femori parturientium admoueatur interna parte non procul a pube, expeditum facilemque partum illis procurabit, nulla propemodum enitendi difficultate. Quod se expertum fuisse in quadam heroina tradit Leuin. Lemnius. Et nos aphoris. *10.* Centuriæ quintæ id ipsum proposuimus & repetere non grauamur.

57 Mirandum est felem, seu ælurum marem, vt Horo placet Apollini, Solis vices sentire, mutareque pupillas oculorum sideris cursu: siquidem diluculo in exortu protenduntur, eædem meridie contrahuntur in orbem, & occasu Solis obscuriores hebetescunt.

58 Si aurum a suo colore degenerauerit, sic illud emēdabis ac reparabis. Ex sale ammoniaco, chalcantho, nitro, & laterculorum puluere, fac cum vrina spissamentum, & eo obductum, opertumque aurum lento igni impone. Idem fiet ac multo leuius si cum sale ammoniaco ærugine & tartaro, tamdiu in aceto ferueat aurum, donec deperditum colorem recuperet. Gratis mihi nequaquam acceptum, tibi tamē gratis, vt alia multa exhibeo.

59 Orpheus in libello de Lapidibus iubet sponsum ceruinum cornu gestare, sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram cōcordiam pollicetur. Addo quod si cerui pellis & pedes dextri affigātur portę, prohibēt ingressum cuiuslibet animalis venenosi, Galenus. Sic boues & equi aliquo non prementur morbo si illis cornu ceruinū appēderis. Absyrtus.

60 Nonnulli elephantiasi ac lepra inquinati morbum vicerunt, frequēti ranarum palustrium vsu, nimirū mitigato sanguinis feruore, ac melancholica adustione emendata. Quod de ranis intellige quæ saliunt, & non repunt, aut lente progrediuntur, nam venenatæ sunt. Am-

Ammoniacum ſal tritum & aquæ miſtum, literas albas & a papyri colore nihil diſtantes reddit: ſed ſi igni admoueris, nigreſcent. Ad hunc modum aluminis puluere ſcripta non apparent, niſi chartam, dum voles legere, in aquam demerſeris. Aſcribendum, vt puto, Bapt. a Porta. 61

Quidam medici admiſcent ſperma ceti (holoſanthon plerique nuncupant) his medicamentis quæ dari ſolent præcipitatis ex alto, aut caſu grauiore concuſſis: ad diſſoluendos ſanguinis grumos & rupta conſolidanda, ad hunc modum. Accipe mumiæ, tormentillæ, oculorum cancri, rhapontici, ana drachmam vnam, ſpermatis ceti (ſeu balænę) ſcrupulum vnum, miſce, fiat puluis, cuius drachma ex vino bibatur. Autor Vvolphgangus Meurerus Lipſienſis medicus. 62

Nigidius ſcriptum reliquit canes tota die conſpectum eius fugere, qui e ſue ricinum euulſum & adalligatum geſtauerit. Autor Plinius. Qui etiam tradit canis latratum auerti, lingua canis in calceo pollici ſubdita. 63

Si vis ſcire an triticum anno quopiam vileſcet, necne, & qua parte anni, quibuſve menſibus id fiet, Calendis Ianuarii 12. grana tritici forte elige, foculum verre, & ignem in eo accende. Deinde puellam, vel puellum e domeſticis, aut vicinis accerſe, & iube vt granum vnum ſuper emundatum & calidum foculi ſolum imponat. Id vbi factum erit, obſerua diligenter, an maneat, diſſiliatve. Si manet, precium manſurum pronuncia: ſi parum reſilit, parum: ſi vero multum, plurimum vileſcere tibi perſuade. Si ignem verſus fertur, carius erit primo menſe: magis, minus, pro maiore aut minore acceſſu ad ignem. Secun- 64

dum granum, de secundo mense, nimirum Februario, quo dictum est modo presagier, & ita de reliquis tibi iudicandum erit. Ex quodam libro antiquiss. quod etiam Baptistam a Porta adnotasse arbitror, audioq; a nonnullis expertum esse.

65 Si aqua distillationis cerasorum non multo ante ex arbore decerptorum, vi mediocris ignis extracta, in os epileptici mittatur, quoties eum paroxysmo corripi contigerit, impetū morbi violentissimi inhibebit. Dosis erunt drachmæ quatuor, vt scribit Ioan. Manardus multorum experimento id edoctus.

66 Lini semen radicibus raphani immissum, & mox terræ optime stercoratæ mandatum, plantam draconi similem producit. Cuius gustus acetum ac salem præ se fert, & ob id mire expetitur in acetariis. Nam ea præsente, nec aceto, nec sale opus est: quemadmodum mihi retulit regiorum hortorum præfectus quidam.

67 Corallium berberiorum succo, vt vniones aceto, colliquescit. De cuius liquore cochlear assumptum, dysenteriam curat. Vtrumque astringit & refrigerat, sanguinis exscreationes coercet, & stomachum laxum, languidumque roborat, vt Dioscor. Galenus & medici omnes testantur.

68 Inter canes nulla est cibi societas: nam inter se non secus ob os quodpiam digladiantur, quam propter Helenam Paris & Menelaus. Solos vero Memphiticos in medium rapinas proponere aiunt, & communiter viuere, Ælianus.

69 Sanguis ex quacunq; parte corporis immodice fluens ilico sistitur, si subtili & raro bōbace inuolutū stercus suillū adhuc calens, in nares, pudēdum muliebre, aut locū alium sanguine manantē intrudatur. Quod rusticis, potius quā aulicis scriptū erit, vt similes habeant labra lactucas. Ex-

70 Experimento certiſſimo compertum eſt bituminis ſuffitu, ſiue crudum ſit, ſiue vratur, mulieres vtero ſtrangulatas extemplo reuocari. Quamobrem nonnullę hoc morbo obnoxiæ, lana exceptum illud collo appendunt: vt crebro olfactu ſuffocationis paroxyſmum arceant. Langius.

71 Tradunt Ariſt. & Auicenna, ex orbiculari breuiq; ouo marem gigni & excludi: ex oblongo vero & acuto, fœminam. Si autē voles oua incubari abſq; gallina, tepido fimo illa ſepeli, ita vt turbinatior pars ſurſum vergat, quintoque vel ſexto quoq; die, nouum ſubſtitue fimum, quod gallinę calorē ſuo tepore imitetur. Sed meminiſſe oportet quod inuertenda erunt oua, donec excludantur pulli, gallinæ mox committendi. Sunt qui tepēte clibano idipſum perficiant, ſubſtratis gallinarum plumis, vna cum earundem fimo puluerato.

72 Lapis alectorius e ventriculo caſtrati galli, ſeu capi exemptus fabæ magnitudine, robur virile in geniali thoro adauget, fortitudinemque & in rebus aggrediendis confidentiam adfert. Viris præterea fauorem conciliat, & geſtantes gratioſos reddit apud mulieres. Lemnius.

73 Franciſcus Marchio Mantuæ comprehenſam habens vocem, ita canem inſtruxerat, vt in vocandis quos vellet ex curialib. eo facile vteretur, non ſecus quā optimi famuli miniſterio, Autor Blondus. Addam ex Xenophonte, quod ſi canes excidantur, ceſſant a relinquēdis heris, nec fiunt hinc ad cuſtodiam aut venationem deteriores.

74 Artemiſia in aqua roſarum macerata, tremulas manus emendat, ſi inde lauentur. Et dens lupi cum turturis corde geſtatus, ludentem fortunare fertur, Albertus & Raſis. Non inepte huic

loco accommodabitur ex Plinio, quod sola animalium mulier & equa grauida coitum patiuntur: Aristoteles addit suem. Sed ridendum, quod hic mulier inter animalia numeretur.

75 Sic facies candelam inextinguibilem. Imple cannam puluere sulphureo & panniculis minutissime fractis. Deinde cera quidquid id est inuestito ac incendito, nullo flabello aut vento extinguetur. Preterea, si ex libra vna ceræ, & vnciis duabus viui sulphuris, calcisque viuæ tantundem, addita olei nucum vnciola, formetur candela cum bombace, & in aquam mittatur, vbi primum calx ardere incipiet, reliquas materias ignis seminaria agnoscentes, ad eundem incendii actum promouebit, etiam in mediis aquis.

76 Oculi qui in hominũ fabrica postremi omnium perfici creduntur, prima in extrema vitæ periodo, adempta mobilitate & extincto vigore, certa mortis argumenta proferunt, ac præ ceteris emoriuntur: quod spiritus visorii resiliant ad cerebrũ, principium videndi & mouendi: seq; in illud, ceu ad extremam anchoram, recipiant derelictis oculis. Lemnius.

77 Galli gallinacei qui allium degustarint, ferocissimi fiunt ad pugnam. Ideoq; viatores libẽtissime illud identidem arrodunt, nec nõ qui bella & castra sequuntur, quod eis agilitatẽ addat, vires firmet, ac animum faciat. Datur etiam equis, ex pane & vino hora bellici conflictus, vt ferociam & laborum expeditam tolerantiam promoueat.

78 Ad experiendum euentum alicuius ægrotantis, computa dies a principio infirmitatis eius, & radicem plantæ quæ tot folia habuerit, quod numerabuntur dies, illi annecte, aut suspende: si cura-

rabi-

rabilis erit infirmitas, plurimum recreabitur: sin minus, tristabitur. Si forte herbam tot foliorum non inueneris, aggrega radices plurium herbarũ: quarum folia ad vnguem expleant numerũ dierum ægritudinis, & vtere vt prius. Acceptum a quopiam Italo, qui id verum esse profitebatur.

Vngula Alcis magna vi pollet aduersus comitialem morbum. Nam eius particula annulo inclusa, & digito qui proximus est minimo ita commissa, vt in palmam cõuertatur, collapsos in ipso paroxysmo plurimum recreat, & confestim excitat. Idẽ efficit portiuncula eiusdẽ nuda, & manui in pugnũ complicatæ inserta: repente enim morbum expellit, & prostratos erigit. Quod vno & altero experimẽto se probasse tradit Lemnius. Nos portiuncula eiusdem in aurem sinistram missa, & aliquandiu veluti scalpendo, mota, idipsum feliciter experti sumus in vere epileptico, idq; miraculi loco habitum est. Ioan. Agricola. Ammonius idẽ effici tradit suspẽsa vel gestata particula eiusdem vngulæ, modo cutim attingat. Quod ẽt amuletũ ad præcautionem morbi plurimum valere certus sum. Audio etiam ramenta, vel scobem aduersus eandẽ noxam in Polonia propinari. Ceterum eligẽda est vngula dextri pedis posterioris, cauendũq; ab impostorib. qui bubulas pro alcinis vendũt. 79

Extemporaneum & generosum sinapi condimentum, vbicumq; locorum fueris, sic tibi comparabis. Habe vncias duas seminis sinapi, cum semuncia vulgaris cinnamomi, quod officinæ cannellam vocant: Vtrumq; in pollinem detritum, & sufficienti aceto ac melle exceptum, in mazam seu pastam coge, & ex ea pastillos, vel sphærulas finge, & Sole, calenteve clibano desiccari permit- 80

te. Vbi vsus exiget, globulum vnum ex vino aut aceto, vel alio liquore, dilue ac dissolue, & habebis sinapismum paratu facilem, palato delectabilem, ac stomacho admodum vtilem.

81 Septimo post die quam in lucem editus est hircus, coire incipit: & quamuis sterile semen emittat, omnium tamen quadrupedum maturissime aggreditur coire, Ælianus. Tradit ille idem, hircum barbę fiducia gregem caprarum antecedere: & Florentinus in Græcorum geoponicis, illum eundem non fugere barbâ deronsa.

82 Radix polygonati, seu sigilli Solomonis, pallentes virginum genas solo affrictu rubicundas ac floridas efficit. Et decoctum herbæ quam hippurim vocant, scabiei vesicæ, malo intolerabili medetur, facta in multis experientia.

83 Nulla Romanarum mulierum aurum olim nouerat, præterquam in vno digito, quem sponsus oppigneraßet anulo pronubo: adeoq; in vxores vini bibulas seuere animaduersum est, vt Cn. Domitius legem pronuntiauerit, si mulier clam viro plus vini bibisset, quam sanitatis causa exigeret, dote mulctaretur. Tertul. Valer. Plin. Gell. & alii.

84 Vt pili cadant ex quocumq; loco, nec amplius renascantur, efficiet stercus felis siccum, tritum, & forti aceto ita mixtum, vt fiat veluti spissamentum. Quo locus pilosus multoties in die defricabitur ac inungetur, & in pauco tempore glaber, depilisq; euadet. Expertum a rustico.

85 Perhibent Barbarię venatores pātheras carnib. aconiti veneno delibutis (q̄ ob id pardalianchem vocant) inescari. Quibus degustatis, nisi hominis stercus ederint, repente strangulantur: nam illis efficax est alexipharmacū. Autores Theophr. Cicero, Plut. Plin. Ælianus.

Si ſal ammoniacum, alumen & nitrum pari 55
pondere miſceantur, additaq; argenti pauca ſco-
be, igni admoueantur, vt feruefcant, vbi fumare
deſierint, puluere illorum aſperſo, vel ſaliua oris
madefacto, confricetur æs, vel cuprum, illico ar-
genti nitorem induet. Ioan Bapt Porta.

Refert Alexandr. Iouiano Pontano autore, ſe 56
vidiſſe hominē grauiter a ſcorpio percuſſum, qui
ſtatim liberatus fuit ebibito thure cōtrito, in quo
cælatum fuerat ſcorpii ſignum. Debet autē ſculpi
in lapide annullari, aſcendente ſcorpio, dū Luna
ibidem agit cardinaliter cōſtituta: eodemq; ſigil-
lo aromatica imprimi, hora qua Luna in ſcorpio
cardinalis inuenietur. & quo dictū eſt modo exhi-
beri, ex aqua, vino albo, aut alio idoneo liquore.

Si lapis Aëtites, ſeu aquilaris non adulterinus, 57
collo appendatur, aut pectori vel brachio allige-
tur ea parte qua corde verſus digitum annularem
arteria decurrit, fœminis lubricum vterum ha-
bentibus, vim concipiendi adfert. Et ſi geſtatio-
nis tempore in partibus incumbat. fœtum fulcit,
vt nulla ſit illius excutiendi trepidatio Lemnius.

A cane rabido morſi, quadragesimo die aut 58
paulo ſerius, rabie & hydrophobia, ſeu aquæ pa-
uore tentari ſolent. Quorum vulnus cicatrice ne-
quaquam obduci debet, vt etiam in carbunculis
& bubonibus peſtiferis. Nam ſi vel ſcintilla con-
tagii intra corpus migrarit, omnia ſunt ſæuiora.
Quocirca ſinapiſmo virus eſt eluendum, vt pla-
gam hiantem retineat & venenum foras ducat.

Placidiora quæque animalia minus fellis, ti- 59
midiora plus cordis, ſalaciora plus iecoris, lætiora
plus ſplenis, & magis vocalia plus pulmonis ha-
bent. Nam vt Iuſſo fertur dimetro:

Cor ardet, pulmo loquitur, fel commouet iras:
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

91 Recentiores quidam non indocti, illos quorum vxores corpus inuulgant, & pudicitiam prostituunt, non inepte hircorum appellatione deformant, fortasse quod animalium soli hirci, vt putant, sui generis fœmellas ipsis intuentibus iniri facile ferant, Cælius.

92 Aiunt equorum soleas factas ex ferro quo aliquis occisus fuit, agiles equos reddere. Et si ex eodem, morsus ephippiorum concinnentur, tractabiles & obsequiosi fiunt, etiam si rebelles essent, morosive, ac mordaces: Rasis & Albertus.

93 Acetum illico tibi comparabis, si in fictile nouum & semicoctum generosum vinum infuderis, & diligenter opertum in aquam feruentem miseris. Addo quod alba vina in rubra absq; vllo detrimento statim conuertes, si puluerem mellis ad lapideam consistentiam decocti & siccati in vinũ album proieceris, & transfusando miscueris. Idem & minore negotio præstabit radix omnium lapathorum, si recens, vel sicca in vinum mittatur.

94 Chelidonia cum felle hominis distillata, lachrymantes oculos, & eos in quibus nebula consistit, plurimũ iuuare fertur, vt tradit Geber. Qui etiam addit quod cancer & fistula perfecte curantur, si cum stillatitia aqua sanguinis humani aliquoties abluantur, purgato prius corpore.

95 Virorum submersorum cadauera, supina, fœminarum vero prona fluitare solent, contrario quam nascantur modo. Sed quibus exemptus est pulmo, non emergunt. Ceterum, contingit plurimum submersa corpora enatare intra septimum aut nonũ diem. Causa est apud Lemnium.

Si

Si medullæ ceruinæ drachmæ duæ vel tres, 96
pro corporis & ætatis modulo, includantur in linteolo mundo & raro, postea pudendo muliebri inserantur, filo extra pendēte, vt retrahi possint, mensium suppressionem emendabunt, ac solitos effluuii riuulos aperient: modo se tūc offerat opportunum ac statum purgationis tempus, & præparatum fuerit corpus, imperataque victus ratio idonea. Res multis experimentis confirmata.

Puluis vitri ab Abenzoare in hunc fit modum: 97
Frustum vitri crystallini densum & perspicuum terebinthina resina illinitur, & prunis imponitur donec incandescat. Aqua extinctum, iterū illinitur, excoquitur & restinguitur. Vbi id septies iteratū erit, in subtilissimum puluerē atteritur. Ex eo pōdus aurei, vel drachmæ vnius ex vino albo, calculos efficaciter cōminuit, vt Gal. & Auic. docent.

Ælianus autor est Locrenses capitis suppli- 98
cio cauisse, ne quis ægrotorum vinum inscio medico biberet, aut quispiā ad illis ministraret, absq; medici præcepto. O legem vere auream! quæ vtinam atq; vtinam hodie apud nos locum haberet. Hinc sane ægrotantium innumeræ quotannis myriades, ab orci faucibus eriperentur. Sed nobis non tam licet esse beatis.

Memorabile est quod Lampridius scripsit de 99
Heliogabalo Imperatore. Is, inquit, ceruos quatuor iunxit ad currū in quo vehebatur, totidemq; canes, se Dianam appellans: & quatuor tygres, se Bacchum dictitans: & quatuor Leones, se Cybelen vocans. Licet non tam venationis & ferarum studio id faceret, quam religionis, & deorum hominumq; contemptu: quum etiam quatuor fœminas ad currum iunxerit, vt Sesostris Rex Ægypti, reges quatuor.

100 Si scobes, aut puluis e cranio masculi, viro & e calua fœminæ, mulieri, ex vino vel oxymelite scillitico, diebus aliquot ieiunis exhibeatur præsentaneo auxilio epilepsiæ succurret, sicuti salutari multorum experientia probatum est. Ex naturali magia Hermetis.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM

CENTVRIA VII.

1 ADmodum memorabile & admirabile censebitur, quod a Matthia Cornace Regis Roman. Maximiliani II. medico præstantissimo scriptum est. In Bohemia inquit rusticus quidam inter venandum ictus fuit lato venabulo ad stomachum, sub eius orificio. Vulnus hoc lethale & amplum, nulla arte vel consilio solidari potuit. Vnde labia eius ita occalluerunt temporis progressu, vt vulneratus annos plures superuixerit. In linteolis & lineis panniculis hiatum vulneris ita infarciebat, & vsque adeo artificiose obturabat, vt cum vellet, stomachum per superiora elueret, ac cibos nocentes, & potus ingurgitantes ex ventriculo per vulnus educeret, quando liberet. Cuius rei, inquit ille, testis esse potest vel sola Cæsarea maiestas, quæ, vt ex illius ore audiui, vulnus hoc diligenter inspexit. Hæc ad verbum fere ex quadam responsione Matthiæ Cornacis ad Ægidium Hertoghe medicum, quærentem vtrum secanda

esset

ffet mulier, per tredecim annos fœtum gerens
i vtero mortuum, vt Aphorismo 23. centuriæ
rimæ ostendimus.

Mira est sympathia & amicitia inter croco- 2
ilum & trochilum auiculam, ac ingens antipa-
hia & discordia cum ichneumone, quem multi
ndicum murem esse contendunt. Vtrumque
ic ostendit Plinius. Saturum cibo piscium croco-
ilum, & semper ore esculento in littore somno
latum, parua auis quæ trochilus ibi vocatur (rex
auium in Italia) inuitat ad hiandum, pabuli sui
gratia: os eius primum adsultim repurgans, mox
dentes, & intus fauces quoque, ad hanc scaben-
di dulcedinem quam maxime hiantes. Qua volu-
ptate somno pressum conspicatus ichneumon,
per easdem fauces vt telum aliquod immissus, il-
lius aluum erodit.

Cardamum, seu nasturtium, omnem tellu- 3
ris humorem in confinio exsugit. Vnde quæ pro-
pe consita sunt, facile marcescunt, subducta hu-
moris alimonia. Quod Socrates apud Aristopha-
nem conqueritur.

Passerculus troglodytes vocatus, qui omnium 4
auicularum, excepto Regulo, minimus specta-
tur, & iuxta sæpes ac muros victum quæritat, vo-
latumque perbreuem facit, naturalem vim ad-
miratione dignam habet. Sale enim conditus, &
crudus in cibo acceptus, concretos calculos lotio
expellit, & ne renascantur prohibet, ac morbum
perfecte sanat. Conditur optime pennis euulsis,
atque inde largo sale adobrutus arefactus come-
ditur. Si plures adfuerint, coqui possunt more
aliarum auicularum. Possunt etiam non deplu-
mes vivi in olla operta, & cinis vnius viti, cum

pauco pipere & cinnamomo exhiberi. Sunt qui viuum pennis præuulsis sale condiant, quod melius est. Alii assatos edunt integros, ita vt nihil ex eis præter pennas abiiciant. Qui plura volet consulat Aëtium & Paulum Æginetam.

5 Artaxerxes quum in fuga direpto commeatu, ficis aridis & pane hordeaceo vesceretur, Dii boni, inquit, cuiusmodi voluptatis hactenus fui expers! Sic Darius cum aquam turbidam & cadaueribus inquinatam sitiens bibisset, negauit se vnquam bibisse iucundius, Plin. & Plutarch.

6 Proximum miraculo est trifolium herba hyacintho similis quando flores vere emittit, & semen habet cnico siluestri simile. Hæc enim decocta multum, & morsibus phalangii, aut viperæ ex aquæ fotu admota, illis medetur, & dolores statim sedat. Eodem vero fotu in alio non morso, parti sanæ sensum similem, & dolores similes his, quos morsus inuehit, omnes excitat: morsus itaq; sanat, & ferarum modo partem affligit, Autor Iacobus Syluius medicus & philosophus excellentiss. quo annis aliquot vsi sumus doctore, immortali memoria dignissimo.

7 Scribit Simeon Sethi, fel perdicis arteriis temporum illitum semel in mense, ita tamen vt penetret, plurimum prodesse ad confirmandam memoriam. Et si quis manus dealbare voluerit, misceat stercus passerum cum aqua tepida, & eas inde lauet: vel coquat vrticæ radices in aqua, & ea manus eluat. Expertum trado.

8 Quum Florentię mulier quædam intolerabilibus ventriculi torminibus diu vexaretur, nec medici vllam opem adferre possent, en repente oblongos & recuruos clauos, aneasq; acus, vna cum

cera

cera & capillis glomeratas euomuit: & postremo ingens carneum ientaculi frustum, quale nec gygantis fauces deglutirent, eructauit. Autor Beniuenius de admirandis morborum causis. Sed mulierem eam spiritu maligno obsessam fuisse tradit.

Acetum validum & forte i*co reddes, si in illud recentis hordeacei panis frustula iniicias, nã intra biduum valde acescet. Modos alios in superiorib. Centuriis hinc inde tibi sparsim proposuimus. 9

Puluis eius nucis quam gallam vocant proiectus in aquam manibus lauandis prolatam illas summe denigrat, tantum abest vt dealbare queat. Remedio erit cortex, aut succus mali aurantii. Nõ erit absurdum his addere, quod albumen oui agitatum cum puluere mastichis, labiorũ & manuum fissuras emendat, si eo illinantur vnguine. 10

Tradunt ceruos in Creta, vel capras, vt volunt Cicero & Plutarchus, virulentis telis saucias, dictamum herbam degustare, & hinc spicula subito a se excutere. Adhæc hirundines læsis pullorum suorum oculis, chelidoniæ succo illis mederi. Nec non angues membrana hiberno situ oculis & corpori obducta, degustato fœniculi surculo, spolium, visus impedimentum exuere, aciemque pristinam recuperare, & tunc nitido corpore vernare. Aristot. & Plin. 11

Si gagatis lapidis puluisculus in tenuissimum pollinem redactus, ieiunæ mulieri ex vino albo exhibeatur, statim manifestabit si sit incorrupta, vel puerperio, aut aliter maculata. Nam si ilico lotium ei promouerit, corruptæ virginitatis indicium erit: sin minus, contrarium pollicebitur. Idem etiam præstabit succinum album, seu ambra, 12

bra, quo dictum est modo parata & exhibita. Ex Ioan. Bapt. Porta, vt reor.

23 Lunam, seu argentum, ita dealbabis. Accipe salem ammoniacum, alumen rochæ vocatum, & plumæ, salem gemmæ, tartarum, & vitriolum Romanum, singulorum partes æquales. In puluerem redacta simul misce, & in aqua limpida dissolue. Deinde Lunam quandiu visum erit ibidem feruere permitte: videbis eam ad miraculum vsq; dealbari. Ex secretis & experimentis cuiusdam chrysopœophili.

24 Ouum in salsugine, aut aqua aluminosa demersum fluitat, non ea parte quæ in aluũ depressa est, sed erecta, resupina & vtrinque turbinata. Quemadmodum etiam succinum forma ouali in precarios globulos concinnatum. Sed hæc leuissima sunt, ideo suspenso calamo exaranda.

25 Excrementum pueri aridum cum melle Attico tritum præstantissimũ est remedium ad columellæ inflammationes quæ suffocationem minitantur. Sed puer ille pascendus est biduo lupinis cum optimo pane satis fermentato & salito: eiq; vinum vetus bibendũ mediocriter, vt quã optime concoquat. Tertio die sumptum excrementum desiccandum est, & quo dictum est modo vsurpandum. Gallinarum & perdicum caro, in iure elixa posset exhiberi, nisi excrementum magis fœtidum redderet. Hoc Galeni secretũ est, a quopiam precibus magnis impetratum vt ipse scribit.

26 Inter celebres illas Ægypti pyramides, vna a trecentis & sexaginta hominũ milibus spacio 20. annorum constructa fuit: & in raphanos allia ac cepas quibus operæ vescebantur, mille & octuaginta talenta impensa. Quæ si ad nostrates aureos num-

num mos reuocare velis, nascetur summa 648000 aureorum: quales Budæus Galliæ nostræ ornamentum vsurpare voluit.

17 Vrina murium, soricumve pilosum locum depilem reddit. Restituitur vero ac emendatur talparum sanguine, aut earundem pelle, si ei affricetur. His adde carbonem eius vitis quæ nondum fructum tulit, dentifricium præstantissimum cōponere si pauco melle excipiatur.

18 Cum Alexander solitos obsoniorum artifices ablegasset, longe commodiores se circumferre dixit: nempe matutinam profectionē ad condiendum prādium; & ad cœnam, prandii tenuitatem. Sic ferunt Socratem dum ad vesperam contentius ambulasset quæsitumque esset ex eo, quare id faceret vt melius cœnem, respōdit. Sitis enim & fames obsonii condimentique vice esse solent. Plutarch. Cicero, Laertius.

19 Si aurum candens & ignitū in vino generoso sæpius extinguatur, præcipuis membris & vitalibus robur cōciliat, naturalesq; facultates firmat, ac morbidā partē vigore ac vitali spiritu imbuit. Idem liquor pestis tempore admodum præstans censetur. Et si cū tātillo tartari misceatur, omnes maculas quālibet fœdas, ex quauis parte corporis abstergit & cohonestat: imo vero faciē leprosā ac rubicūdū nasum & verrucosum emēdat. Lēnius.

20 Vinum peruersum & turbidum sic emendabis. Accipe aliquot ouorū albumina, quæ vbi diu ac multum agitaueris & despumaueris, in dolium proiice & moue. idem assequeris si perustos iuglandiū nucleos duodecim, filo transfixeris, sub cineribus coxeris, & dum adhuc calent, pendulos in vino demerseris, tandemq; dimiseris donec solito colore accepto, vinum tibi arriserit.

Nam tum demum excludendi erunt. Secretum hoc cuiusdam est œnopolæ.

21 Portiuncula vmbilici infantis in annulo gestata, pollere fertur contra morbum caducum & capitis, coliq; dolores. Et resegmina vnguium ægrotantis, in linteolo alligata collo viuentis anguillę, illa sic in aquam dimissa & relegata, quartanas creditur abigere. Ex Gebero & Alberto.

22 Semen cardui pecuarii (vel potius benedicti vocati) plurimum valet contra pungentes laterum dolores, & intestinorum strophos. Addam quod multi dysenterias exitialiter grassantes curauerunt hausto decocto radicis alceæ ex vino, si quidem febris aberat, vel plantaginis, hordeive, si præsens erat. Id fuisse inter arcana doctiss. cuiusdam Hispani medici, pro certo accepi.

23 Aciem gladii, ensis, vel alterius instrumenti præstantissimam ad hunc facies modum. Mitte in libram vnam lotii adolescentulorum, tantũ fuliginis quantum manu prehendi potest, additis quatuor vnciis olei lini. Confusa omnia simul ferueant: & dum inter cudendum incandescit gladius, ensis, vel quid aliud ad scindendum parabile, in hoc miscellaneorum decocto intingatur, & vt artis est, probe temperetur. Eximio cuidam machęropœo id acceptum fero.

24 Si canis ossibus duntaxat pascatur, excrementũ durũ & minime fœtidum reddet. Hoc si aridum reponatur, & vsus tempore ad anginas cõteratur, aliisq; eidẽ affectioni idoneis auxiliis misceatur, præstantissimum adfert præsidium, nec nõ ad vlcera maligna, si modicum eius pulueris probatis pharmacis admisceatur. Prodest etiam dysentericis, si in lacte cum fluuiatilibus calculis ignitis decocto, propinetur. Gal,

Con-

Contra ſingultum obtura vtramq; aurem digi- 25
tis & aduerſus podagram vnge dolentem pedem
leporino ſanguine adhuc ex animali calente. Sic
contra capitis ichores, ſeu tineam, diſſolue ſtercus
aſini in forti aceto, & eo caput diligenter præfri-
catum inunge His addere liceat quod gummi ce-
raſorum in vino albo ſolutum, contra calculum
profuiſſe, certo experimento compertum eſt

Ciconiam ægrotantem origano ſibi mederi 26
tradunt, & aprum hedera, aut cancris ab æquore
eiectis. Ceruos quoque affirmant cinaræ, ſerpen-
tiumque eſu, virulento pabuli veneno reſiſtere,
ac vermes inteſtinorum inuolucris implicitos (vt
antea diximus) necare, Autores Plin. Ariſtot. Lu-
cret. & alii.

Varii coloris naſcentur equi, ſi tantiſper dum 27
maſculus init fœminam, ſtragulo diſcolore illa
operiatur. Nam quales oculis equi ineuntis colo-
res obieceris, tales procul dubio referet pullus.
Autor Abſyrtus. Illud ipſum etiam in canibus ex-
periri poteris ac aliis animalibus.

Inter ea quæ barbam emoliuntur, & mentum 28
venuſta lanugine cohoneſtant, paſſimq; obuia
eſſe ſolent, ſtatuitur butyrum ſalis expers, ſuccus
cepæ rubentis, axungia melis ſeu taxi, radix bryo-
niæ, betæ, raphani & liliorum alborum. Ex quibus
linimentum confici poteſt, & eo abraſum men-
tum identidem oblini. Leuinus Lemnius.

Si mulieres grauidæ exterreantur, ſolent 29
ducere manum per faciem, ne fœtus ſignum ali-
quod præ ſe ferat. His adde ex Plinio quamquam
diſſimile, quod oua infra decem dies edita incu-
bari vtiliſſimum eſt: nam vetera & recentiora in-
fœcunda ſunt.

30 Nonnulli contra dentium dolorem appo-
nunt allii nucleolum cum sale tusum arteriæ car-
pi eius manus quæ est in regione & latere crucia-
tus ac doloris. Licebit etiam admonere ex quo-
rundam experimento, quod nux iuglans pullo
inclusa, illum ad celerem coctionem perducit.

31 Nihil stirpibus nocentius, ac magis deleteri-
um quam nix, aut glacies liquefacta, si quando ra-
dices iis perfundātur, & mox frigus exasperatum
denuo liquorem conglaciet. Ne autem huiusmo-
di incommodo stirpes afficiantur, & se ab iniuriis
frigoris vindicent, soli superficies in quo iacebūt,
stramentis, & desuper inspersis cineribus munie-
tur. Nam eo modo insita caliditate terram foue-
bunt, & penetrationē frigoris prohibebunt. Pro-
fuit multis id consilii sub finem anni 1564. & per
initia sequentis, duabus integris Lunę reuolutio-
nib. In quibus hiemalis rigor vsqueadeo implaca-
bilis ac penetrabilis fuit, niuiumq; prouentus, co-
mite gelu, adeo frequens & copiosus, vt in Parisi-
ensi agro & vicinis hinc inde ad miliaria viginti,
plus minus, iuglandes fere omnes, cuiuscunq; es-
sent ętatis ac roboris, radicitus perierint, vna cum
ficubus & lauris. Nec ab huius tam diræ & calami-
tosæ labis iniuria, longe absfuerunt arbores aliæ
pleręq;, & maxime vites ac Cerealia omnia. Vnde
publica illa fundi Gallicani calamitas, & annonæ
penuria quæ in hunc etiam diem pauperū famili-
as longe ac late miserandum in modum exagitat.
Sed Dominus pietate sua dabit his quoq; finem,
Quando sibi factum viderit esse satis.

32 Si vas æneum amplum, rotundum, & vnico
apertum foramine, viua calce ac sulphure, æquis
partibus, exacte & integre adimpleatur, & fora-
mine.

men, ne quid expiret, ſedulo occludatur, & mox in fontem non excurrentem, vel puteum demittatur, aquam eius dies multos calidiuſculam conſeruabit, ac palam exhibebit. Expertum a multis.

Oleum de hyperico ad hunc fit modum. Ca- 33
cumina hyperici vino odorato infunduntur ſpatio trium dierum & noctium. Deinde in vaſe duplici ſeu balneo Mariæ perblande feruent, & paulo poſt leniter exprimuntur. Rurſus ſimilis quantitas cacuminum, eidem vino & expreſſioni diebus ac noctibus totidem maceratur, feruet & exprimitur. Tum demum adduntur vnciæ tres terebinthinæ Venetæ, olei veteris vnciæ ſex, & croci ſcrup. vnus: miſcentur, & in eodem duplici vaſe tandiu coquuntur, donec vinum inſumptum ſit. Quod ſupererit, vaſe vitreato, vel plumbato in vſum diligenter cuſtoditur. Admirandæ facultatis eſt oleum hoc, cum ad multa, tum præcipue ad vlcera cacoëthea, partes atrophia laborantes ac perfrigeratas, & alia ipſis etiam mulierculis perbelle nota.

Tradunt nonnulli radices aſparagi ſiccatas 34
& dentibus infixas, illos abſq; dolore eradicare. Et leporinos pedes dextro armo ligatos, non permittere vt canes allatrent, Raſis & Albertus.

Lampas vitrea admodum ſplendida & dia- 35
phana quæcunque ſuo lumine illuſtrabit, crocea reddet & lutea aut flaua, ſi puluere croci oleum ellychnio vicinum reſpergatur. De aliis coloribus idem erit experimentum: modo cubiculum aliud lumen non agnoſcat.

Ipſo die ſolſtitiali non ſolum folia in oleis, 36
populo, ſalice, & multis aliis arboribus circumaguntur, ſed etiam pleraq; malorum ſemina in po-

morum meditullio sese inuertunt. Plinius, Franciscus Picus, & alii. Mirum dictu, inquit Theophrastus apud Plinium, coctas vrsorum carnes si asseruentur, increscere per id tempus quo se illatebrant, Sed nos hunc Plinii locum in superioribus emendauimus, nimirum aphorismo 42. Centuriæ 2. nisi fallor.

37 Nonnulli ex Mercurio præcipitato, auri momento addito, pestis virus expiari tradunt. Addo quod membranæ, aut papyri in quib. bracteæ, seu folia auri excusa fuerunt, vires necandi pediculos hydrargyro pares habent, vt tradunt Volaterranus & Vitalis Cardin. & nos, vt puto, antea adnotauimus. Sed quæ pulchra, solent decies repetita placere.

38 Ælianus scribit aquilarum pennas halitu suo aliarum volucrum pennis admixtas, eas insumere. Et Boëtius post Appianum, tympana obducta operculo ex lupi pelle, alia cooperta ex corio agnelli dissipare & obtundere.

39 Oua quinq; sub vesperam in acerrimo ac forti aceto macerata, & diluculo, vbi exteriorem putaminis callũ intabuisse obseruabis, in fauces equi tussientis, lingua exerta, proiecta & deuorata, tussim illius curant. Ex cuiusdam Hippiatri secretis.

40 Aristoteles fatetur vulnera æreis instrumentis & gladiis inflicta, minus habere doloris, ac ocius curari, quam ab aliis illata, ob siccam exhalationem ab ære derelictam in vulnere. Hinc non temere finxerunt poëtæ Chironem medicum præstantiss. Achillis præceptorem, fœdum Telephi vulnus sanasse accepta ærugine de Achillis hasta, vnde, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit, vt a Nasone scriptum est.

Fortibus & violentis medicamentis non temere vtendum esse, nec corpus inconsulte mouendum præcepit Plato in Tim. & longe ante eum Hippocrates, qui Democritum amicum & familiarem helleboro & similibus curare noluit: scribens in quadam epistola ad suum ῥιζοτόμον Crateuam, eorum medicorum incertam esse cōiecturam, qui in purgationibus etiam caute procedunt. Nam nullum est medicamentum solutiuum quod non deprædetur aliquam partem de viribus & substantia nostri corporis. Ob id Auicenna recte ait, medicinas etiam si non sint venenosæ, eas tamen bibere naturæ laboriosum esse. Sed, inquiet aliquis, Cum sis ipse faber, quorsum fabrilia damnas? 41

Plinius tradit antiquos luporum rostra & capita portis villarum affixisse, ad arcenda fascini veneficia. Quod venatores pleriq; hisce temporib. obseruant, sed in quem vsum plane ignorant. 42

Scriptum est apud Ælianum, auem chlorida, id est luteam (sunt qui vireonem intelligant) suum nidum construere ex folis veri symphyti foliis: cuius radix magna cum difficultate reperitur, & reperta maiore eruitur. Quod videant chirurgi, qui eam se habere nugantur, ad consolidationem ossium fractorum & carnis agglutinationem. Hæc Langius. 43

Hydrargyrum forti aceto remixtum, vasa argenteis similia reddit, si eo illinātur. Addo quod cepacei liliorum bulbi in aqua decocti, faciei ruborem tollunt, si matutinis & vespertinis horis illinantur. Acceptum a quadam matrona, mangoniorum artifice ad vnguem facta. 44

Ononis, seu anonis (quæ & acutella & resta 45

bouis vulgo dicitur) contra calculos plurimum laudatur. Nam ab illorum cruciatu celerrime liberat, ac eos expedite educit, puluere ex cortice radicum eius hausto cum vino albo. Quinetiam excrescentes in vesica & meatu vrinario carunculas facile emẽdat. Quod expertum, probatumque intellexi ab iis, qui serio rerum naturas per experimenta quotidie scrutantur & profitentur.
46 Equus calcitrosus, vel quoduis aliud animal, patienter sinet se curari in stabulo, & ferreis apud fabrũ calceari soleis, si exiguum & rotundum silicem alterutri auriũ immiseris, & apprehẽsam auriculã manib. perstrinxeris, ac retinueris: sic enim stabit immotus, & quantumuis ferox, quiescet. Si in vtramq; aurem singulos silices intruseris, tam mitem habebis, quam est ouis. Expertum accepi a quodam equisone & stabulario regis Nauarræ.
47 Puluis taxi adeo cutem vlcerat, vt miserabiles & deplorandos reddat apud vulgum, qui eo vtuntur. Remedio est succus populi arboris cum aceto illitus. Vel vnguentum populeonis vocatum. His addere mihi licebit, quod lapides quiuis facile mollescent, si illos in sanguine calido bouis, & pinguedine veruecis, cum forti aceto pernoctare dimiseris. Arbitror traditum esse a Ioan. Bapt. Porta in suo opusculo Magię naturalis.
48 Ægyptii a suillæ carnis esu, ceu deo cuipiam dicatæ abstinuerunt: quod porci tellurem madidam Nilo, rostro velut aratro sulcare docuissent. Id Iudæos ab Ægyptiis didicisse refert Plutarchus. Vel ne lepræ, aut vitiliginis contagio inquinarentur, vt tradunt Cornel. Tacit. & Iustinus. Causas alias requires a theologis.
49 Scolymi, seu cinaræ radix graueolentes alarum

rum hircos, & reliqui corporis virosum odorem cocta & emplastrata emendat. Idem etiam potest decocta in vino & pota. Nam ita copiosam & graueolentem vrinam prolicit: eoq; modo virulentæ & Venereæ gonorrhœæ auxiliatur. Dioscorid. Oribasius, Paulus, & Langius.

Si palumbem marem cum gallina coire procurabis, aut perdicem, vel phasianũ, pullus emerget non iniucundus visu. Et albam sobolem dabunt pauones, phasiani, perdices, & alites huiuscemodi, si auiaria, vel caueas quibus includuntur, congrediuntur, pariunt, incubant & excludunt, susq;, deq;, & ex omni parte albis velaminib. obtẽderis & ornaueris. Artificium hoc acceptũ fero ornithothropho cuiusdã principis viri, licet etiam a multis descriptum fuerit sed nescio an probatũ. 50

Poma congelata si in frigidam aquam demergantur, ad naturam suam redeunt, totaque illa glaciata concretio liquescit ac resoluitur. Sic partes frigore affectę, modo ne prorsus rigescant, subsitque sanguis aliquis, aqua gelida immersæ, & subinde rigatæ, sensim calescunt. Autor Leuinus Lemnius. 51

Sunt qui certissimum veris indicium arbitrentur papilionis aduentum, adhoc aduenarum volucrium apparitionem. Addo quod cum morum germinare videbis, iniuriam frigoris timere non debes, vt Plinius in sua illa celebri veterum scriptorum Bibliotheca adnotauit. 52

Ouorum albumina viuæ calci admixta, & diu agitata, crystallinorum & vitreorum vasorum genus omne pulcherrime glutinant. Eadem cum croci puluere adeo dura euadunt intra mensem, vt topasii gemmam ementiri possint, si orbicula- 53

inclusa typo siccentur, exclusa perpoliantur, & annulo accurate committantur. Ex Italo quopiam.

54 Centipedæ in cellis vinariis repertæ, lotii difficultates egregie soluunt, si vino albo intritæ hauriantur: vel siccatarum puluis ex eodem vino exhibeatur. Constat experimento cuiusdam, qui sicuti id secreti libere mihi impertiuit, ita ego aliud ei candide commune feci.

55 Solem, seu aurum, sic a Luna, seu argento, separabis. Corpus rei deauratæ oleo lini inunge, & pulueres aluminis rochę vocati, ac salis ammoniaci desuper insperge: deinde calida omnia in aqua extingue, remanebit in ea aurum separatum. Ex quodam perito aurifabro.

56 Habe duos mures viuos, vel plures, quos in prealtum fictile missos, igni ex fraxineo ligno excitato expone, vbi concalescet fictile, iucundo spectaculo videbis ad pippitum & sibilum incarceratorum, mures e proximo omnes accurrere, & se in ignem recta præcipitare, ac si obsessis auxiliares venirent. Quod fraxini fumo adscribendum arbitrarer. Sic talpa fictili inclusa cum accenso sulphuris puluere socias ad se euocat alias, ceu flebili voce illarum auxilium implorans. Priscorum hæc sunt experimenta, quæ recentiores secretorum perscrutatores sibi falso ascribunt.

57 Radix Alcionii, quæ tertia videtur esse anchusæ species, appensa, vel alligata iis animalibus quorum vlcera vermibus scatent, eos sponte cogit decidere. Valet etiam contra serpētium morsus, non solum pota, sed gestata. Ex Dioscoride & eius interpretibus.

58 Ad quascunq; permissiones, etiam si fuerint cum vulnere, plurimum prodest succus foliorum

verbaſci illitus: ſed ſuperponenda ſunt folia contuſa, & blanda manu deliganda. Si vulnus adeſt, prius tepido vino lauari debet. Sed vereor ne aphoriſmus hic ex ſuperioribus Centuriis repetatur. Quod ſi fit, boni conſuletur, cum Hippocrates noſter, bis, terve eundem aphoriſmum locis diuerſis ſæpenumero repetat. Quod pro reliquis ſemel dictum velim.

Porci pabulo ſordido & ocio ſaginari ſcrophulas contrahunt, ac toto corpore grandinoſi euadunt, vulgus Gallicum meſellos appellat: fitque hinc, vt illorū caro inſalubris ſit ac vitioſa. Ex quo nihil mirum ſi Iudæis porcinam deguſtaſſe nefas erat, vt antea ſcripſimus. Huiuſce autem grandinis & lepræ ſigna in iiſce animalibus potiſſimum ſe proferunt in lingua: vt lanionibus & exploratoribus ad eam rem deputatis compertum eſt. 59

Luporum dentes maximi, equis adalligati, infatigabilem curſum illis conciliare traduntur, Plinius. Et ſi quis lupi dentem geſtet, impauidus erit, Raſis. Addo quod eiuſdem lupi oculus dexter ſiccatus, & puero alligatus, timores, pauoreſq; ab eo amolitur, Albertus. 60

Scrupulus vnus ſpermatis ceti (ambram grizeam vocat vulgus) in pomo aſſo acceptus, non parum adiuuat ægram ac difficilem ſpirationem. Confert etiam idem Ceti ſperma, ſed humidum & recens, ad colicos cruciatus, & omnes interaneos dolores, cum aliis quæ flatus diſſipent exhibitum. Sed cauendum ne quis eo vetere vtatur, aut nimio vſu illi aſſueſcat: nam alioquin periculoſum eſt. Ex quodam medico Germano. 61

Infantium oculos cæſios, ſeu glaucos emendabis & nigros reddes copioſo lactis vſu, maxime 62

si nutrix calidæ naturæ fuerit, & infans ipse loco subobscuro contineatur, procul a Sole & luculento igni. Sic luscioſorum & ſtrabonum oculos in obliquum detortos, in propriam & debitam reuocabis ſedem, inclinata in oppoſitam aduerſamque partem illorum acie: ita vt muſculi contrario obtutu in naturalem ſitum reducantur. Leuinus Lemnius.
63 Qui barbatuli videri affectant, ſegetem lanuginoſam verno potiſſimum tempore ſibi adimi patiantur. Nam ea anni parte calor vna cum humore in corpore augeſcit, atq; in elota & abraſa mẽbra facile diffunditur. Addam quod iuuenibus calida aqua & egelida barbã confeſtim elicit, prouectioribus vero canam præmature reddit. Quod vt effugias, vini auſteri momentum adiicito.
64 Fumus ſeminum portulacæ, vel foliorum perſonatæ, quam bardanam vocant, per infundibulum, vel aliter, in femineum pudendum tranſmiſſus, ſtatim mulierem ſi corrupta eſt, ad meiẽdum proritat; ſi non eſt, lotium continet, Ioan. Bapt. Porta.
65 Ad ambuſta, ceparum philuræ, ſeu tunicæ ſub cineribus calefactæ, efficaciter adhibentur, aut ſuccus earundem ceparum expreſſus & linteolo exceptus. Vel vitellum oui cum oleo diſſolutum, apertis poſtridie veſicis, vt ichor mordax effluat. Poſt hæc, locus inungendus eſt oleo expreſſo de vitellis ouorum in patella frixis.
66 Apud Lacedæmonios lege cautum erat, Plutarcho teſte, vt qui mulieres prolis generãdæ cauſa adirent, ſobrii aut vino modeſtiſſime delibato illis concumberent. Hinc nimirum quum Diogenes quendam ex temulentia deſipere videret:
Ado-

Adoleſcentule, inquit, pater ebrius te ſeminauit, Laertius & Plutarchus.

Si quis aqua diſtillationis vel decoctionis crabronum, aut veſparum cutem alicuius attigerit, ſic intumeſcet locus, vt hydropis, aut veneni magnæve alicuius ægritudinis ſuſpicionem ingerat, ſed abſq; dolore. Remedio eſt Theriaca pota, vel loco illita. Hac fraude meretriculæ quadã geſtationem vteri, etiam apud circũſpectos & cautos, artificioſe mentiri ſolent: & ſuam miſeriam credulæ plebi falſo atteſtari, qui ſtipẽ vicatim emendicant. Eſt id Ragoti Pariſienſis archimendici, & blitteorum, canariorum, oſtiariorum, templariorumq; ludimagiſtri incomparabilis & locupletiſſimi, artificium e multis vnum: a quodam eius contemporaneo & familiari mihi indicatum. 67

Viridis iaſpis appenſus, ſtomachum & os ventriculi iuuat. Quare & annulis inſeritur, inſculptum gerens draconem radiatum. Ego tamen efficaciam eius, etiam ſine hac ſculptura probaui, facta torque ex eiuſmodi lapillis, ita vt collo ſuſpenſi os ventriculi contingerent. Hæc Claudius Galenus. 68

Noui, inquit Geſnerus, qui bubulum ſtercus aridum in iuſculo ignarus bibit, & a coli dolore ſtatim euaſit. Audiui etiam a viris fide dignis, non paucos ruſticos eiuſdem potu liberatos. Quidam non ipſum excrementum, ſed expreſſum inde ſuccum bibunt, & melius habent. 69

Piloſella quouis modo equis adminiſtrata, hoc illis adfert præſidii, ne lædi poſſint dũ ferreas ſoleas a fabro recipiunt, hinc a nõnullis clauorũ herba nuncupatur. Addo quod ononis decoctum 70

vrinam iumentorum pecori illico promouet, si impedita fuerit, vel suppressa. Albert. & Dioscor.

71 Si in lingua & faucibus porcorum se proferant verrucosę pustulę, cum liuore venarum quæ sunt in illis partibus, indicium est viscera praua constitutione teneri. Huic vitio occurrunt baccæ lauri tritæ, & vinacea remista cibo temperato ex furfure & fermento. Nam his colliquescit grandinosa illa concretio & lues interna.

72 Si caput lupi in columbario suspendatur, feles, mustelæ, & si quæ alia columbis nocent, non ingredientur, Rasis & Albert. Qui etiam tradunt, quod si lupi cauda in villa sepeliatur, prohibet ab introitu eius lupos. Et si intra domum suspendatur, non intrabunt, nec aduolabunt in eã muscæ.

73 Mulier in somnis patrata narrabit facinora, vt Democritus sensisse videtur, si linguam ranę lacustris, aut anatis syluestris, bubonisve noctiuagi, super regionẽ cordis illius apposueris, ibiq; immorari permiseris, donec concalescat, interea percõtando quæ tibi visum erit. Ad quæ si minus respõdeat interrogata, iterare atq; reiterare oportebit. Res ea in mulieribus potius quam viris locum habet, quod natura ad loquendum ac respondandũ sint promptæ, & iam dicta animalia summe garrula, etiam per noctem: in hoc cum mulieribus, vt ita dicam, symbolizantia, [illegible].

74 Vt mordaces ardoris vapores intus concepti a rebus adurentibus, in halitum dissipentur, Platearius non temere suadet, vt in principio calida admoueantur: nam Theophrasto autore calidum vesicas efferuescere præpedit.

75 Si quis nolit pedes, vel manus frigore offendi, pinguedine vulpis inungat. Addo, etsi parergon,

quod

quod qui voluerit iucundo spectaculo ex ollis feruentibus pisa excludere, argentum viuum immittat, videbit rem pulchram, nisi labri ollaris excellens altitudo, vel ignis remissior obstiterit. Expertum tibi trado.

Glaucias prodidit cinaræ esum ad prolis masculæ conceptum valde conferre. Nil igitur mirum, mulieres carduum hunc adeo ambire, & diligenti cura in hortis alere. Sed de iis copiose in Alexikepo nostro, seu auxiliari horto. Scribit insuper Athenæus, imbecilles esse ad Venerea, qui assidue lactucis vescuntur. Hinc Callimachus allegoricôs dixit, Venerem suum amasium, Adonim inter lactucas abscondisse. 76

In nonnullis stagnis fæculentis, omni aqua exhausta & limo detracto, anguillę denuo generantur, si aqua pluuia effluxerit: quippe quod imbre viuant & alantur. Arist. Plutarch & Oppianus. His addatur quod scirpus siccatus, & vino lymphato immissus, quidquid inest aquosi ad se rapit, relicto vino. Quod ad exploranda vina dilutiora pulchrum erit & vtile. 77

Mulier grauida in pago non procul ab Andernaco Episcopi Coloniensis oppido, mariti carne vesci desiderans, illum, tametsi percharum, nocte occidit, & dimidia fere carne eius saturata, reliquum sale macerauit, vt ipsamet postea, cum malaciæ furor deferbuisset, & facti pœniteret, amicis maritum quærentibus confessa est. Autor Ioan. Langius in suis epistolis medicin. Hinc discant mariti sibi cauere a suis vxoribus grauidis, dum huiuscemodi malacia & pica, aut si mauis deprauato appetitu laborant. 78

Si nimis clamosus erit equus, alligetur capiti eius lapis perforatus, sic enim emendabitur. Ad 79

hunc modum asinus lapidem habens caudæ alligatum rudere non audet. Addo quod equus aures retro proiiciens plerumque est surdus, & qui numquam in turba aliorum hinnit, mutus, Autor Simoneta Cardinal.

80 Cauda lupi creditur inesse amatorium virus extremo atque exiguo in villo, quem dum capitur abiici tradunt, nec idem pollere nisi adhuc viuenti raptum fuerit, Autores sunt Plin. Solinus & Blondus.

81 Locus pilosus & lanuginosus glabrescet, ac diutissime ab omni pube immunis erit, si decocto viuæ calcis & auripigmenti in forti lixiuio illinatur. Id si voles experiri, mitte in dictum lixiuium catellum pilosum, & depilem extrahes. Sed medicamento hoc in animalibus potius quam hominibus, vtendum suadeo.

82 Radix zedoariæ non cassa, euanida & inodora, cum vuis passis & momento glycyrrhizæ, dentibus attrita & deglutita, illæsos seruat, qui peste affectos adire, vel alloqui coguntur. Et vsta auellanarum putamina, si in cineris speciem redigantur, cæsiorum oculorum pupillas infantibus denigrant, ex oleo sincipiti infusa, atque inuncta, Dioscor. Quod si ex superioribus fortasse repetitum erit, obliuioni ascribatur.

83 Succus ex acinis & cerasiis halicacabi expressus, & in vmbra siccatus, valet ad ciendam vrinam, & vacuandas hydropicorum aquas. Sic vnguentum ex pyretro & oleo ad ignem lente coctū, partib. a paralysi obsessis, summam adfert vtilitatem.]

84 Veterem anserem masculum triduana inedia macera: deinde illi obiice frusta anguillæ recenter occisæ, & excremēta eius collige. habebis præ-

præſens remedium ad quæuis apoſtemata. Ex quodam periti ſſimo chirurgo. Si vero poros aut verrucas abolere volueris, abſcinde caput anguillæ viuentis, & eas manante illinc cruore, defrica & inunge, deinde caput ipſius anguillæ profunde ſepeli. Vbi marcidum erit, omnes protinus decident. Puto eſſe Ioan. Bapt. a Porta.

Stercora gallinarum remiſta cibo canum rabioſorum, ab illis rabiem excludere traduntur. His, ſi placet, coniunge quod ſomnificorum & ſoporiferorum pharmacorum ſæuitiam retundit acetum, temporibus, naſo, carpis brachiorum & teſticulis illitum. Arnaldi Villanouani. 85

Qui eclipſin Solis exacte & abſque læſione oculorum videre ſatagunt, in vaſculo oleum habente, illam innocenter ac libere intueri, obſeruareque poſſunt. Nam humor pinguis non facile turbatur, & quas recipit imagines fideliter repræſentat. Adiiciam, ne mihi e memoria labatur, etſi atopon, quod qui cuprum cito fuſile & ductile habere volunt, equi vngulas inter eliquandum & fundendum vna ei addunt. Ex Italo & quodam experto fuſore receptum. 86

Si quod animal minxerit ſupra recentem lupi vrinam, nunquam cõcipiet, Pythagoras. Et quidquid pede lupus preſſerit, nõ viuet, Iſidorus. Præterea, ſi quis felle lupi cum roſaceo vngatur in ſuperciliis, diligetur a mulieribus, ſi attente ab illis inſpiciatur. Ex nugis Raſis, & Alberti eius ſimiæ. 87

Vt iumenta non lædantur a ſuis compedib. aut ab his læſa curentur, alliga collo eorum os dactyli perforatum. Et ſi vis vt animalis alicuius color in album conuertatur, abraſam partem crebro ſulphuris ſuffitu imbue. Idem experieris in floribus. 88

89 Brasauolus vim incredibilem tribuit pulueri seminis mespilorum ad deturbandos e renibus calculos,& ciendas vrinas. Addo ex Anton. Musa quod polemonii succus, multos peste correptos liberauit. Quam etiam vim pleriq; felicifs. experimento tribuunt plantagini,quouis modo exhibitæ.

90 Mulieres in mensa nihil edent, si ocimū ignorantib. illis sub obsonii patina, sub radicibus integrum reponatur. Autor Florentinus Geoponicus. Sed id experimento non respondet perinde atq; sequens documentum. Si quis pulnerem ex lapide aëtitis,subcineritio pani incoxerit, & suspecto furi quidpiam de eo comedendum obtulerit, præmansum bolum deglutire non poterit.

91 Erythrodanum,vulgo rubia tinctorum dictum, ossa pecudum rubenti & sandycino colore imbuit,si dies aliquot illud depasta sint oues,etiam intacta radice, quæ rutila existit. Res ea similiter perspici potest in carnibus huius pecoris elixis & assatis. Nam rubicundæ apparent, sicuti etiam oua in decocto eius radicis elixata: putamine enim rubello non minus hinc vestiuntur, quam si cum ramentis & præsegminibus brasiliani ligni percocta essent,vel cum radicibus anchusæ.

92 Sunt qui rubinum ad hunc fingant modum: accipiunt salis alcalis vocati,vncias quatuor, pulueris crystalli vncias tres,baritutiæ æris sic nuncupatæ in officinis Italicis, vnciam semis,& foliorū auri grana sex. Miscentur omnia,& fusorio aurifabrorum vasculo deliquescunt ad ignem reuerberationis appellatum. Vbi in ipsomet igne elanguescere [illegible] vasculum frangitur,& materia [illegible] lapidarioq; artifici formanda & ca-

& expolienda traditur, ac poſtremo includenda auro, celebri gemmario committitur. De quouis alio lapidis colore idem licebit tibi experiri, tantiſper dum variarum rerum iſtarum methodum & ſyluam a nobis aliquando accipies.

Quercus & olea tanto, tamque pertinaci odio 93
diſſidẽt, vt ſi altera alterius ramos attingat, incuruescant, ac retorti reſiliant, alioq; ſe inclinent Sic vitis lauri vicinitate abhorret: ꝙ vmbroſa ſit & ſua caliditate illius vbertati officiat, Leuin. Lemnius.

Si ita glabram & depilem velis habere par- 94
tem aliquam corporis, vt nunquam pilos rediuiuos emittat, tere formicarum oua cum hyoſcyami & cicutæ ſucco, aut veſpertilionis & teſtudinis ſanguine, & eo linimento locum inunge. Sunt qui aurea lamina candente pubeſcentem ſyluulam abſque vlla noxa ita perurant, vt pilorum ne vllum quidem veſtigium ſuperſit. Puto eſſe deſumptum ex Alexi Pedemontano.

Si quis interne vulneratus decoctum radicis 95
caryophyllatæ biberit, ſanabitur. Et ſi externa vulnera eodẽ colluantur decocto, ſummopere iuuabuntur. Valet pręterea ad lateris & pectoris dolores, necnõ ad internas cruditates diſcutiendas.

Vermiculi in medio echino plantæ dypſaci 96
reperti, aduerſus quartanas plurimum pollere traduntur, ſi in aluta clauſi brachio alligentur, aut collo appendantur. Proſunt etiam aduerſus paronychia, ſi viui affectis vnguibus circumligentur. Nam dolorem alioqui implacabilem, confeſtim tollunt. Expertum intellexi.

Mammas pendulas & flaccidas recolligit, ar- 97
rigitq; hederacea corona illis impoſita; vel ipſamet hedera contuſa & admota. Emendantur pre-

terea ouis perdicum ex linteolo receptis, & vberum fonticulis, ſed papilla excluſa, applicatis, & ſubinde mutatis ac renouatis. Ex quadam mangonii muliebris peritiſſima.

98 Corculum galeritæ femori adalligatum, ſumme prodeſſe fertur aduerſus colicum cruciatum. Nec defuerunt qui illud recens eam in rem etiam deuorarint optato ſucceſſu. Ex quodam Hiſpano, qui inſuper mihi affirmabat eupatorium in vino rubro aſtringente coctum, vulnerum, vlcerumque putrilagines & ſordes potenter detergere. Et folia contuſa, ac vulneribus male agglutinatis ſuperligata, illa denuo aperire.

99 Lupus neque a ferro, neq; a fuſte, ſed a lapide duntaxat ſibi timet. Et cornix quæ inciderit in reliquias comeſæ carnis a lupo, moritur. Ælianus & Philes. Addo, quod ſi lupi corio iungatur leonis corium, depilat ipſum, & alia ſimiliter coria quibuſcum fuerit. Raſis & Albertus.

100 Quæ ſequuntur de Luſciniis, eo libentius hic a me recenſentur, quod illarum ſuauiſſimo cantu dum hæc ſcriberem, aures meæ demulcerentur, & ſumme exhilareſceret animus. Luſciniis, inquit Plinius, diebus ac noctibus continuis 15. garrulus eſt ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium genere. Dignum miratu quod ſit tanta vox in tam paruo corpuſculo, & tam pertinax ſpiritus. Omnia tam paruis faucibus inſunt, quæ tot exquiſitis tibiarum organis ars hominum excogitauit. Ac ne quis dubitet id artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus, nec iidem omnibus, ſed ſui cuique. Certant inter ſe, palamque animoſa eſt contentio. Victa morte ſæpe vitam finit, ſpiritu prius deficiente quam cantu. Meditantur aliæ

iuni-

iuniores, verſuſq; quos imitentur accipiunt. Audit diſcipula attentione magna, & reddit, vicibuſque reticet. Intelligitur emendate correctio, & in docente quædam reprehenſio. Hæc ex Plinio, qui nobis hanc Centuriam claudet.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM CENTVRIA VIII.

1 MIratu & memoratu dignum cenſeo quod traditum eſt a Iouiano Pontano. Caietana muliercula, inquit, viro piſcatori nupta, cum quo annos multos rem veneream miſcuerat, vt Antonius Panhormita piſcatoris amicus nobis adoleſcentibus referre ſolitus eſt, poſt quartumdecimum annum e muliere in virum tranſiit, exorto repente in muliebris naturæ loco, virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet ſuæ, vt qui a viris pariter, mulieribuſque rideretur, e ciuili vita ad vitæ genus religioſum tranſiit, vixitque in monaſterio, in quo ipſi eum nouimus, vitæ ſuæ reliquum, ſepultuſque eſt Romæ in templo Mariæ ad Mineruam. Mulier altera nomine Æmilia nupſit Antonio Spenſæ ciui Ebulano, poſtque duodecimum nuptiarum annum in virum mutata eſt, hodieque cum viris conuerſatur, artes viriles exercens in patria: vtq; relatum nobis eſt, nuper etiam vxorem duxit. Hæc ille, Lib. decimo De rebus cæleſtibus, vbi a-

git de configurationibus quæ faciunt ſterilitatē & hermaphroditos.

3 Succinum ſeu ambra digitis ac ſi eſſet lutum, facile tractari poterit ac fingi, ſi in ceram efferueſcentem & deſpumatam proiiciatur. Nam illinc adeo mollis & tractabilis educetur, vt etiam in ſigillis commode vti poſſis, aut rebus aliis quas formare tibi viſum erit. Accepi a quodam ingenioſo plaſte & lapidario.

4 Lacerta viridanti ac porraceo tergo, mire geſticuloſa eſt conſpecto homine. Nam ei, vt canis, crebro caudæ motu pueriliter blanditur, illumq; a latitante, & inſidiante per herbas ſerpente, quantum poteſt tuetur, Leuinus Lemnius.

5 Lupi ſtercus in ſtabulis pecudum occultatum, non ſolum eas a conſueto cibo deterret, ſed etiam veluti œſtro quodam maleficii actas vltro, citroque exagitari, balare & continenter trepidare cogit, ac ſi præſens eſſet, aut cum eis diuerſaretur infenſiſſimus ac voraciſſimus illarum hoſtis lupus. Quem vel ex ſolo odore latitantis eius fimi ſibi inſidiari putant. Nec iis rebus finem faciunt, donec ablatum ſenſerint dictum ſtercus. Hoc ſane aucupio vidi quoſdam impoſtores circumforaneos, iactitantes ſe pecoris ægrotantis, vel aliter affecti, ſummos eſſe medicos, magna pecunia ſimplices ruſticos emunxiſſe, vel pro pecunia præpinguem ouiculam ſecum aſportaſſe. Idem poſſe lupi caudam tradunt Raſis & Albertus, imo vero quiduis ex eo animali ad caulas tranſlatum: tanta eſt eius antipathia & naturalis diſcordia cum ouillo pecore vniuerſo.

6 Canis cæleſtis exortum ſentiunt maria & terræ, multæ denique feræ. Tunc feruent æquo-

ra,

ra, fluctuant in cellis vina, ac mouentur ſtagna. Sentiunt & ſideris huius vires canes ipſi, quos eo toto ſpatio maxime in rabiem agi non eſt dubium, Ex Plinio.

Flos calthæ ſeu calendulæ, vt etiam cichorii, 7
& aliarum aliquot plantarum, exortu Solis aperitur, meridie totus explicatur, & occaſu clauditur. Ideoque Solis ſponſi quibuſdam vocantur flores huiuſcemodi, quod dormiant & expergiſcantur cum illo, crepuſculis ſopiti, deſiderio quodam redeuntis amici. Nec de flore ſolum, ſed etiam de folio circumactus ille cum Sole ſpectatur.

Cucumis quoties cælum tonat, veluti perterri- 8
tus timore, conuertitur. Qui vnus aquas mire amat, & ad illas ſe extendit: oleum vero fugit, & ad id ſe intorquet. His addo raphanum vitibus inimicum eſſe, ſicuti alibi oſtendimus ex Ariſt. Theophraſto, Plinio & aliis.

Quidam cum per æſtus nocte vehementer 9
ſitiret, e ſomno ſurgens, potu non inuento, obuium malum forte prehendit: id mandens, fauces ſibi quaſi manu præcludi, ſtrangulariq; ſenſit: ſimulque a ſubeunte dæmone iam obſeſſus, viſus eſt in tenebris videre ſe a prægrandi nigerrimo cane vorari. Quæ poſtea reſtitutus integra mente nobis ordine recenſuit. Hunc nõ pauci ex pulſu, calore, & ſcabricie linguæ febricitare, ex vigiliis & mente perturbatione iudicabant. Hæc Ioannes Fernelius, HENRICI Galliarum regis protomedicus, quo non præſtantior alter. In cuius auditorio, non minus diligenter quam attente ſedimus, & docentem magna animi voluptate auſcultauimus, dignum ſane qui ſuperaret longæuos Neſtoris annos.

10 Cynoſcephalus femina, præterquam quod non videt, fluxum etiam ſanguinis mulierum modo ex naturalibus emittit. Hoc autem fit cum Luna Soli coniuncta non cernitur. Idcirco ad cognoſcendum Solis & Lunæ coniunctionem, Cynoſcephalos nutriebant Ægyptii. Horus & Plin.

11 Teſtatur præſtantiſſimus & doctiſſ. vir Gaudentius Merula ſe vidiſſe in Augusta Taurinorum adoleſcentulam ſatis elegantem, & adeo libidinis auidam, vt quinque & triginta viros ordinis militaris ad coitum ſeriatim admiſerit. In hanc reuera appoſite quadrabat illud, *Delaſſata viro nunquam ſatiata receſſit.*

12 Pythagorei, vt Athenæus teſtatur a piſcibus abſtinebant ἐχεμυθίας ἕνεκα, id eſt ſilentii gratia, quod piſces muti ſint, & ſilentium quid diuinum dicerent. Addam ex Anton. Ludouico Vlyſſiponenſi medico præſtantiſs. quod Lampetræ peſtis tempore frequenter comeſtæ, innata vi contra tam diram luem ſumme efficaces habentur.

13 Oſtenti loco haberi poteſt quod accidit anno a Virginis partu 1310. cum Henricus Luxenburgenſis in Germania imperaret. Quo tempore Margareta Olandæ Comes trecentos ac ſexaginta filios viuos vno partu edidit: qui omnes baptiſmi charactere illuſtrati fuerunt. Autor Baptiſta Fulgoſus: cui tantum fidei adhibebitur, quantum quiſque voluerit.

14 Sargus piſcis, qui in Brunduſino viſitur æquore, omnium fertur eſſe ſuperbiſſimus, & caprarum mirus amaſius. Ad quas ſecundum littus maris paſcentes accurrens, facile capitur. Autor Gaudentius Merula. Qui etiam tradit ex Anaxilao, quod atramento piſcis Sepiæ tanta vis ineſt, vt

eo

eo in lucernis abdito, cæteris luminibus ablatis, aſtantes Æthiopas videri faciat.

In lacu Lario, qui nunc Comenſis appellatur, piſcatores per hyemem multas Ciconias velut extinctas reti in ſiccum trahunt. Quæ veluti ſimul iunctæ, mutuo roſtra ano inſerta habent, & thermis calefactæ, viuæ reperiuntur. Autor eſt Geruaſ. Tibelleſius, adnotante Merula. 15

Aërius, autore Apollonio, ſcribit pennas ciconiæ efficere, ſi eas quis domi habeat, ne pueri ſternutent. Adde quod noctua in Creta non viſitur, & ſi eo aduecta fuerit, e veſtigio moritur. Sic perdices nō tranſuolare Bœotiæ fines, lectum eſt. De quibus mirum videtur quod Archelaus tradit, nempe feminas in hoc genere, audita tantum maris voce concipere. Addit Theophraſtus omnes in Paphlagonia bina corda habere. 16

Magi putant rubetam fictili nouo incluſam, medioque defoſſam agro, arcere alites a ſemente. Verum inſtante meſſis tempore effodiendam eſſe volunt, & extra limites agri abiiciendam, ne fruges fiant amaræ. Plinius. 17

In inſulis Irlandia & Orcade, quibuſdam in locis quæ mari alluuntur, arbores ſalicibus ſimiles naſcuntur, in quibus ortæ quædam paruæ pilæ, paulatim creſcendo in aues anatum formam habentes effigiantur roſtro a ramis pendulę. Quę cum ad maturitatem peruenerunt, ſuopte nixu ex arborib. excuſſæ euolant, & in proximũ mare decidunt. Britanni vulgo Bernetas vocant. Ex hiſtoria & annalibus, nec non relatione eius gentis. 18

Cor maſculinæ coturnicis a viro geſtatum, & feminæ a femina, facit vt nec lites, nec iurgia poſſint inter illos oboriri, aut ſpargi. His accedet, 19

quod ſi in corio lupi deferatur cor turturis, geſtans non capietur illecebroſo appetitu rerum venerearum. Et ſi in ſanguine hirci & ſucco ſenecionis vitrum efferbuerit, aut maceratum fuerit, reddetur tam molle, quam eſt cera vel argilla: ſic vt quiduis ex eo fingi poſſit. Priori vero naturæ reſtituetur, ſi in frigidam demergatur. Hæc ſunt Geberi, & poſt eum Alberti, necnon ingenioſi cuiuſdam ὑαλουργοῦ, ſeu vitriarii Biturici, mihi olim ex animo amici. Qui paulo ante quam in fata concederet, me hoc eximio ſecreto, ceu mnemoſyno quodam amicitiæ noſtræ, vltro donare voluit. Cuius ego viciſſim te participem libenter & amice facio, vt noſtri quoq; memor viuas.

20 Albertus tradit ad compendium rei familiaris calceos optimos, & pene dixerim incorruptibiles fieri ex corio aſinino ea parte tergi qua onera baiulare ſolet aſinus Nam nullo temporis tractu atteruntur: neq; ſi per lapides quis perpetuo ambulet, aut per ſpinas: nimia tamen vetuſtate adeo dureſcunt, vt ferri non poſſint: quemadmodum ſcripſit Hieron. Cardan. Ex quo hic etiam addo quod radix cucumeris aſinini cum nitro pilos equorum nigros in albos commutat.

21 Apud Gratianopolim fons eſt qui quamquam calidas non habeat aquas, tamen ſimul cum ipſis aquis flammas perſæpe eructat: duobus eodem loco temporeq; , ſimul manantibus inter ſe contrariis elementis. Ex incolis loci acceptum.

22 Radix Hellebori nigri inſerta inter carnem & pellem iumenti a vipera demorſi, ipſum ſanat, vt tradit Hieron. Cardanus. Ex quo etiam non pigebit addere, quod vulpes decocta, & in fruſta diuiſa, ac gallinis in cibo exhibita, illas per bimeſtre

mestre temporis spacium a vulpibus securas reddit. Idem continget in anseribus & anatibus.

Ne mus araneus animal mordeat, mus ipse viuus captus creta circumdatur: quæ cum induruerit, suspenditur in collum, & sic non contingetur a morsu certissimum est, Vegetius. 23

Lippitudinem facile concipiunt qui cum tentato ab ea versantur: tãtam pernicei vim possidet oculus, vt in alterum iaculetur, vibretq; vitii rudimentum, Plin. Hinc scite admodum a Nasone scriptum est; 24

Cum spectant oculi lippum, læduntur & ipsi,
Multaq; corporibus transitione nocent.

Maxime mirandum est regulum auiculam, veru ligneo perquam tenui infixum, semetipsum torrere & circumuertere. Sed lignum illud ex corylo recenter extractum esse oportet: quod non adnotauit Cardanus. 25

Licet mespili arboris fructus astringentis sit naturæ, nihilominus puluis eius lapillos in renibus vehementer comminuit, & ab illis excludit. Cuius rei periculum felicissimo successu a se factum testatur medicus doctiss. Anton. Musa Ferrariensis. 26

Fulmina, tonitrua, grandinem & horridos ventos quandoque a dæmonibus excitari credidit antiquitas, putauitque vehementiore strepitu, ac male olentium graminum fumo dissolui. Quod etiam hodie pleræque rusticæ mulieres in Italia factitare solent. Nam tempestatibus imminentibus, diri odoris pabula sub dio comburunt. Sunt qui ad cymbala & nolas confestim aduolant, Thracum modo. Qui, vt veterum docent historiæ, quum horrida ingruebat tempestas, ar- 27

mati districtis ensib. & agitatis crotalis, in nubes horrendo clamore fremebant. Gaudent Merula.

28 Tradunt asinas tot annis sterilescere, quot hordei grana comederint menstruo infecta: & nouellas vites tactu eiusdem menstrui in perpetuum lædi: necnon apes illito alueo fugere, & alio coloniam transferre, Plinius.

29 Adeo venena plerumq; venenatis sunt venena, vt aconitum ex vino tepido datum percussis a vipera aut scorpione, salutiferum esse expertum sit a nonnullis medicis præstantissimis.

30 Qui aliquando morsi fuerunt a cane rabido, abstinere debēt per annum integrum a quorundam lignorum contactu, præsertim corni arboris, vel sorbi, vt quibusdam placet, ac sanguineæ virgæ: quam attractylida esse putant multi. Siquidem, vt testantur qui experimento rem compertam habent, si harum arborum virgæ tandiu manibus teneantur, quousque concalescant, ilico demorsi, rabie exagitantur, Autor Andreas Mathiolus.

31 Refert Abēnzoar ex Arabum collegio medicus præstantissimus, quandoq; in suis regionibus eo calamitatis ventum fuisse propter famem, vt cadauera mortuorum e sepulchris eruerēt homines, quo ossium musculosa carne exutorum medullas sugerent. Res vel solo auditu horrenda: quam vt a nostris nepotibus & nobis auertant superi, precor & opto.

32 Scribunt M. Varro, & Cato, quod si amurcam ad medium coxeris, & ex ea fundum, angulosque ac pedes arcæ inunxeris, vbi aruerit, vestes aut res alias in ea conditas a tineis vindicabis.

33 De omnibus volucribus columbarum colle-

gium

gium maxime fœcundum esse solet. Nam in omnibus 46 diebus columba prægnans est, parit, fouet, incubat & enutrit: tantum cessans ab hiberno solstitio ad vernum vsque æquinoctium. Sed nigrarum columbarum mira est natura: nam maribus vita functis, ad secunda carnis desideria nullis illecebris adduci possunt. Quæ etiam amicitia maribus inest erga defunctas feminas, Aristot. Plin. & Albertus.

Illud peculiare sibi vendicauere maiores gallæ, quas glandiferæ arbores pariunt, vt quotannis aut bellum, aut annonæ sterilitatem, aut pestilentem auram prænuncient. Nam si aperiantur quæ integræ sunt, musculam, araneolam, aut vermiculum intus exhibebunt. Si muscula euolat, futuri belli erit præsagium: si repit vermiculus, penuria annonæ figurabitur: si cursitat araneola, pestilentium morborum prouentum indicabit. Hæc rusticorum est astrologia, multis seculorum obseruationibus pro Sibyllæ foliis habita. 34

Mirum est quod digitus magnus dextri pedis, cinere stellionis cum oleo, vel melle inunctus, late sufficere potest iis qui ætate, vel aliter, mortuum fere habent penem, & rebus Venereis peragendis parum sunt idonei. Autores sunt prisci illi rerum naturæ indagatores solertissimi, cum plerisq; recentium. 35

In sacris ethnicorum, hedera & myrtus, vt scribit Diodorus, vitibus longe præferebantur. Quod hæ folia amittant, illæ continuam seruent viriditatem. Addo in libris Aruspicum traditum esse, Seruio autore, abietem e cælo fulmine tactã, domini, aut dominæ interitum prædicere. 36

37 Albertus magnus autor est, in Gothorum tra-

ctu fontem adeo gelidum esse, vt omnia in illum proiecta lapidescant. Cuius rei experimentum a Friderico primo factum fuisse asserit, missa in fontem eum ex chirothecis altera, cui, ne falleretur, sigillum proprium in cera impresserat. Huius itaque dimidia pars fonti demersa, in lapidem induruit, reliqua manente integra.

38 Pentaphyllum Iouiali potestate venenis resistit: Cuius folium vnum, bis quotidie, mane nimirum & vespere ex vino bibitum, ephemeram febrim curare traditur: tria, tertianam, & quatuor quartanam, Marsil. Ficinus.

39 Cancri fluuiatiles morsis a rabido cane mirifice prosunt. Sed ii post canis sideris exortum, Luna 14. cum Sol Leonem est ingressus, viui in patella sunt adurendi, & in puluerem tenuissimũ atterendi. Cuius cochleare vnum ex aquæ cyatho propinatur, dũ adhuc recens est morbus, augendaq; quantitas, si inueterauerit. Eo remedio vim adeo efficacem inesse scribit Galenus, vt nullos periisse dicat, quibus in tempore exhibitum fuit.

40 Narrat Rondeletius medicus præstantissimus in libro De piscibus, ranam vulpeculæ per noctem in littore vagantis, pedem corripuisse, ac retinuisse vsq; ad auroram, quo tempore illam prætereuntibus commisit. Quod de marina rana intelligendum putarem: quæ exenterata, si inducatur candela accensa, horrendo spectaculo translucet. Si de alia accipis, quid occultum fateberis.

41 Mensibus laborans mulier, si nuda segetem vel hortum ambiat, erucas, vermiculos, scarabeos, & noxia cætera animalcula cõcidere tradunt, vt infra paulo fusius explicabimus. Et si in defectu luminarium, menstrua mulierum illuuies descendat,

ſcendat, irremediabilem eſſe aiunt. Nec non coitus ſilente Luna agitatos, maribus exitiales fieri ac perniciofos. Gaudent. Merula.

Gallinæ vinaceis ſterileſcunt, hordeo vero ſemicocto numeroſiora pariũt oua, ac maiora. Addo quod ſi pediculis infeſtentur, vt etiam anſeres, vel alites aliæ, illitu olei ex lino facile curabũtur. Autores ſunt priſci Geoponici Græci & Latini. 42

Accipitri amica ſunt ſaluia atque mentha, & ex arboribus abies ac ſalix. Huius plumas ſi mutare voles, carnes muris cum piſciculorum puluere illi exhibeto: aut pulpamentum gallinæ, ſerpentium carnibus educato. Ex quodam regio aucupe & falconario, vt vocant. 43

Ælianus tradit taurum manſueſcere, ſi dextrum ipſius genu faſcia deligetur. Accedet ex Seneca quod ſicuti tauros rubicundus color excitat, ita mappa alba vrſos ac leones proritat. Ceterum ſi ſanguis vel pinguedo vrſi, in ſcrobe aut vaſe ſub lecto ponatur, conuenient eo loci pulices, ac morientur, vt ſcribit Arnaldus a Villa noua. 44

Africanus ex Geoponicis vnus, affirmat frumentum ſupra menſuram incremẽtum acceptũrum, ſi nitrum & eius ſpumam triueris ac tenui terræ miſcueris, aceruiſq; frumentariis immiſcueris. Eadem res illæſum ac integrum diu ſeruabit. 45

A tuberculis elephantiæ & faciei leproſæ multi liberati ſunt ſola lotione aquæ diſtillationis fragorum, illis prius in vaſe vitreo ſub fimo putrefactis, Conrad. Geſnerus. His addatur quod fructus balſaminæ adeo pingui abundat, vt ſi maturus in vaſculo ſepeliatur, ſponte in oleum tranſeat, ad multa efficaciſſimum. 46

Quum ſegeti, arboribus, aut vitibus, nebu- 47

lam, siue rubiginem timebis, sarmenta vel palearum aceruos & euulsas herbas per vineas, campos-ve incendito. fumus medebitur, Plinius post Græcorum Geoponicos.

48 Vt arma & instrumenta quæuis ferrea, aut chalybea ab ærugine & ferrugine vindicentur, ac splendida maneant, illinantur aceto alumini mixto, aut cerussa, vel cerui medulla: nam hæc oleo præstantiora habentur. Sed omnium præstantissimum fuerit ac vtilissimum, si plumbi scobem tenuissimum in plumbeo aut ferreo mortario diligenter subegeris, addito pauco oleo de spica (quod vltra conceptum scopum ad odoris gratiam plurimum faciet) & eo veluti vnguine, ferrum aut chalybem illeueris. Hoc modo etiam per aquas & vaporosum aërem, arma quæuis ab omni æruginis & ferruginis labe immunia portabis. Ex quodam armorum perito fabro.

49 In capite cancrorum reperitur lapillus figura planus, qui acerrimo aceto immissus, motū manifestū habere deprehenditur. Huius puluere audio multos feliciter vti ad cōterendos renū calculos.

50 Credebat antiquitas verbascum tusum cum sua radice, & vino aspersum, folioq; inuolutum, ac ita in cinere calefactum & strumis impositum, eas abigere, si hoc fecisset virgo ieiuna, ieiuno & supina manu tangens dixisset,

,, *Negat Apollo pestem posse crescere,*
,, *Quam nuda virgo restinguat.*

Atque ita retrorsa manu hoc dicendū erat, & ter despuendum, Gaudent. Merula ex Plinio, vt puto.

51 Si quis, vt Democritus attestatur, cerui caudam vstam & tritam cum vino aliquantulum tepido illinat testibus ac peni, Veneris titillationes expe-

experietur intentiores. Soluetur hic impetus olei inunctione, Rasis & Albertus. Sunt qui idem polliceantur de pudendo lupi. quod matrimonio copulatis scriptum sit.

Radix pæoniæ, quod solaris sit, eruta Sole tenente Leonem, die & hora Solis: nec non Luna crescente lumine, portantem ab epilepsia liberat, vt scripsit Marsil. Ficinus. Addo ex Dioscoride, quod qui tres quam minimos punicæ arboris cytinos deuorauerit, eo anno nullam lippitudinem patietur. 52

Rubeta cocta & pro emplastro cynanchicis imposita adeo prodest, vt Hier. Cardanus affirmet quendam, cui, ceu moribundo, iam accensæ fuerant candelæ, hoc auxilio a se liberatum fuisse. Fortasse & filum quo suspensa rubeta interierit, idem præstare poterit. 53

Pauonis caro assata, vt D. Augustinus se expertum fuisse tradit, per integrum mensem sic seruatur, vt neq; sapor, neque odor deterior reddatur. Per annum quoque id fieri experimentum aliquando produxit: nam corrupta non est, quin potius contabuit & emarcuit. 54

Si testes anserum, mensibus sedatis, ilico a muliere comedantur, non solum ad excitandam libidinem conferre dicuntur, sed etiam ad sobolem procreandam. Idem etiam effici ab vtero leporis lectum est. Rasis & Albert. 55

Quid illud, inquit Gaudent. Merula, quod per hanc etiam nostram ætatem Venetiis publica Censorum tecta nullũ muscarum genus ingreditur? Quid quod Toleti, quæ Hispaniarum est ciuitas celeberrima, musca duntaxat vna, nec plures, toto anno in publico macello spectatur, vt 56

tradit Leo Bapt. Albertus? Si modum requiris, auro multo ab aliis tibi comparandum, gratis a nobis illum accepisti Aphorismo 98 Centuriæ 3.

57 Vrsina quamquam insalubris, tamen apud Germanos in precio habetur, sed manus præcipue, quas vel principes viri appetunt, vt scribit Michael Herus. Hinc sane mirandum non est, si per hiemem, qua tota se illatebrant vrsi, eas auide sugunt, tamquam alimenti quippiam inde percipientes, sicuti in superioribus docuimus.

58 Lachrima vitium, quæ velut gummi in caudicibus earum concrescit, ex vino albo pota, renũ calculos mire dissoluit; illita vero lichenas, psoras & lepras curat: sed prius nitro perfricari debent. Pro experto mihi communicatum & traditum.

59 Baptista Fulgosus refert iuxta Sirminum vrbem Pannoniæ, capreolos vere aureos in vitibus quandoq; repertos fuisse, ex quibus percussa fuit aurea moneta. Quod etiam multi præstantes viri temporib. nostris viderunt, inquit Gaudent. Merula. Vide Aphoris. 1. Centuriæ 2.

60 Olaus Magnus in historia Gothica tradit, saxa magna non alia re facilius rumpi, quam lardo accenso. Addo, etsi parergon, quod si quispiam dormiturus penes se apposuerit ramusculos canabis humidæ, a culicibus minime infestabitur. Res multis experta & probata.

61 Si quis caput conspergat cinere collecto ex cremata anguis senecta, dũ Luna plena lumine, fuerit in prima parte Arietis, somnia terribilia videbit. Si ex eodem in aqua macerato faciem lauet, formidabilem apparere faciet: si sub planta pedis habuerit, gratiosum coram magistratib. ac principibus reddet. Cardanus.

Cimi-

Cimices lectularii septem, folliculo vuæ maioris, aut pruni spolio excepti, & ante febris accessionem viui deuorati, non solum quartanariis remedio sunt, sed etiam percussis ab aspide, Dioscor. 62

Ossiculum hominis quodcumq;, appensum vt carnem attingat, doloribus ventris qui certa periodo repetunt, prodesse existimatur. Et annulus ex bubalorum cornibus concinnatus ac gestatus, guttam grampam, vt vocant, hoc est masculorum suræ conuulsionem impedit. Idē etiam præstat, idque certo certius, vngulæ alces portiuncula nuda, vel annulo inclusa & gestata. De qua scriptum est a nobis Aphorismo 79. Centuriæ 6. 63

Ne formica arbores conscendat, lupinus cum fracibus teritur, eoque ima linea circumlinitur. Easdem ne vexet rubigo, palearum fumus prohibet dum intempestiuum vrget frigus verno tempore. His addatur, quod si equæ, (vel asinæ, vt quidam scribunt) sed non virginis, caluaria intra hortum ponatur, quæcumque spectabit, sua præsentia fœcundabit, Ex Græcis Geoponic. Columella item, Plinio & Palladio. 64

Aureum colorem metallis ac lapidibus sic induces. Accipe salis ammoniaci, calchanti albi, singulorum partes quatuor æquales: salis lapidei & æruginis partes treis ex vnoquoq;. His in tenuissimum puluerem redactis, annulum, lapidem, aut metallum quoduis ita adobrue, vt a dicto puluere circumtegatur. Postea sic in ignem per horam impone, & extractum recenti vrina immerge, ablue & deterge. Ex cuiusdam ingeniosi artificis experimento. 65

Plerique nascentes in ipso momento terræmotus, semper pauent. In tonitru, languidi fere 66

sunt, ac meticulosi: ardente cometa, velut amẽtes rapti: interlunii tempore, aut nõ viuunt, aut debiles fiunt, & sæpenumero, vt scribit Arist. atra bile laborant, vel supra modũ melancholici euadunt.

67 Arcus aquarius, vel, si mauis, iris, in quas veluti procumbens, deflectitur arbores, mira odoris suauitate eas replet, dulci hiatu cælitus inspirato, Plutarch. Addo, nonnullos absque igni, oua fundæ imposita, celeri ac multa agitatione, dum vrget necessitas, excoquere. Quod Babylonios fecisse leges apud Cæl. Rhodiginum.

68 Tradunt eum qui in picato vase biberit, comitialem morbum expugnaturũ. Et qui in pelle ouina dormierit, vera somnia visurũ. Existimantur præterea fœtus in vtero contineri, si vermis qui in gramine reperitur, antequam terrram attingat, viuus collo suspendatur, Ex Plinio.

69 Animalium pili, succo foliorum cucurbitæ per calores imbuti, non paruo rei miraculo, animalia ipsa a muscarum iniuria, alioquin illis permolesta, vindicãt ac defendunt. Res multis expetita, & equitantibus apprime vtilis ac necessaria.

70 Lamina auri super cerebralem suturam gestata cerebrum roborat. Eadem e regione cordis appensa, palpitationem illius curat, lætitiamque auget. Super renes posita, illos confirmat, refrigerat, & nephriticos dolores sedat. Sed pro his ego illam optarem ex purissimo auro, Sole in Leone versante, & Iouem feliciter intuente cum Luna, fabricari ac percuti, vt antea monstrauimus. Ex Hermete, Arnoldo Villan. & Alberto.

71 Vt puteus perennitatis fidem habeat, tunc effodiendus est cum Sol vltimas partes Virginis obtinebit, ante æquinoctium autumnale. Nam

eo

eo tempore explorantur vires aquarum putealium & fontanarum, cum ex longa ſiccitate æſtatis terra humore pluuiali careat. Architectorum hæc ſunt documenta.

72 Ictus a venenoſo reptili, ſiue a rabioſo cane demorſus, diligenter cauere debet, ne animal cuius cauſa laborat, intueatur ante adeptam priſtinam valetudinem, etiam ſi conualeſcere incipiat. Aiunt enim medici Hebræi, illum aut interiturum, aut recidiua periclitaturum.

73 Irrumpentes vi tonitrus aquas fœcundas eſſe autor eſt Plutarch. Nec non eas quæ coruſcante fulgetro demittuntur. nam frugum altrices eſſe prædicant agricolæ, vt ille idem ſcribit.

74 Aëtius conſulit canem ſumma diligentia ſepeliendum, qui morbo ab homine cōtracto perierit. Nam graues pleroſq; affectus homine liberato, in eum transfundi certum eſt.

75 Tradit Rondeletius poſt Plin. exprimento compertū eſſe ſquatinā piſcem mammis mulierū ſuperpoſitum, illas adeo conſtringere, vt virginum mammis aſſimilentur. Poterit & genitalibus partibus earundem ſimiliter facere. Arrigant aures mulierculæ cultui & voluptati ſtudentes.

76 Si dederis epileptico tribus diebus ſequentem antidotum dum Luna Ioui coniungitur, eius ſaluti plurimum conſules. Accipe maceris, ſeminis pæoniæ ac radicis eiuſdem, drachmæ dimidium, foliorum caryophyllatæ, & primulæ veris (quæ quibuſdam eſt bellis) drachmam vnam: tere, & cum vino albo ieiuno exhibe.

77 Volaterranus eſt autor, ſuo tempore inuentum eſſe ruſticum, qui cum per fœniſecia aperto ore in agris dormiret, & ſerpentem per fauces hiantes intra corpus admiſiſſet, ſeſe ſtatim alliis

commanducatis, ceu præſenti amuleto, curauit. Virus tamen vxori in coitu (res mira) inſtillauit, & morte comite, transfudit.

77 Aiunt bugloſſum illud quod tres emittit thyrſos, cum ſemine & radice tritum, potumq; contra horrores tertianæ febris valde prodeſſe: quod vero quatuor, quartanarios iuuare in vino coctum & potum. Autor Dioſcor.

78 Ebur verum cum in terram cadit, facilius frangitur, cetera oſſa tenaciora ſunt. Geſnerus. His addo, etſi parergon, quod quo acrior eſt equus, eo amplius in bibendo nares mergit, Plin. Et quod contra grandinem, noctua pennis & alis patentib. extenſa vtiliter ſuffigitur, vel ferramenta ſepo vrſino inunguntur, vt tradit Palladius. Quod pro arboribus, & vitium putatione accipiendũ duco.

79 Boum morbis commendatur ſulphur viuum allium ſilueſtre, & ouum coctum. Omnia hæc trita ex vino ſunt exhibenda, aut vulpinus adeps, Plinius. Non omittatur, quod fœminæ omnes quæ duplices habent pupillas, vbiq; viſu nocent, Cicero.

80 Rana alicui loco pectore multum incubans, indicium eſt aquæ ibi latentis. Et ſemel a ſcorpionibus percuſſi, numquam poſtea a crabronibus, veſpis, apibuſque feriuntur. Adde, ſi placet, quod bufo, ictus ab araneo, vel ſerpente, admorſa plantagine ſibi medetur, Plinius.

81 Si quis velit maſculum generare, liget pedem ſuum dextrum faſcia alba infantis: ſi fœminam, ſiniſtrum faſcia nigra, & mulierem ineat. Sunt qui in eam rem dextrum teſticulum pro gignendo maſculo, ligent: & ſiniſtrum, pro fœmina. Alii oppoſitum profitentur. Sed quidquid illud eſt,
ſicuti

ſicuti coniugatis experiundum relinquimus, ita ſuſpectum cenſemus.

Ferunt lapides inuentos & comprehenſos, in cortice arboris, remedio eſſe ad continendos partus, Plin. Ex quo etiam addo quod herba vrinâ canis irrigata, & ſine ferro euulſa, luxatis medetur. 82

Verrucas foliis ficulneæ contactas, aboleri aiunt ac vaneſcere, ſi folia ipſa ſepeliantur. Sunt qui idem aſcribant cordi columbino. Alii ſingulas ſingulis ſalis grumulis tangunt, quæ poſtea in clibano comburunt. Serapio idem præcipit de ciceru m granis, ſed poſt attactum, retro proiiciendis, maxime in ipſis menſium calendis. Puto ſuperiora eſſe Arnaldi Villanouani. 83

Vineas plantaturus debet querneam glandem contuſam & eruum fractum ſimul miſcere, plantarumq;, & propaginum locos inde aſpergere. Hæc enim ad radicationem, vini vetuſtatem, & fertilitatem plurimum conducunt. Autor Africanus in geoponicis. 84

Cynocephalus mas (Ægypti fera canino capite, vnde nomen habet) vſque adeo ſilentis Lunæ vices dolet, vt nec videatur, nec manducet, dum illa lumine orba deliteſcit: ſed tanquam raptum ſidus lugens demiſſo in terram vultu inſolentem fateatur triſtitiam. Fœmina vero abſentis refricans deſiderium, eodem interlunio mœret. Inde concita oculorum cæcitate non prius liberatur, quam menſtruus ſanguinis curſus erumpat, vt dictum eſt Aphoriſ. 9. Centuriæ huius. 85

Neque morbus ſacer, neque dæmon, neque fulmen, locum infeſtat, in quo eſt laurus: vnde boni genii plantam, laurum Romani vocant: cuius rami, ſi in aruum defigantur, rubiginis noxam 86

in illos conuerti scripsit Apuleius, autore Berytio in Geopon.

87 Raphanus detractis foliis iucundior est, quemadmodum & rapum. Cui ne noceant pulices, aut bestiolę ei adnascentes, eruum interserendũ præcepit Theophrastus. Qui etiam tradit, eundem raphanum vitibus esse inimicum. Nam si in vicinia earum seratur, diffugiunt: vt alibi docuimus.

88 Adamas in tantum dissidet cum magnete, Indico præsertim, vt iuxta positus, vel, secundum Albertum, suppositus, aut superpositus ex quorundam sententia, ferrum nõ patiatur ab eo abstrahi & rapi: vel si apprehenderit, auferat. Quo argumẽto probari poterunt veri adamantes ab adulterinis, qui hodie multi sunt. Sed eam antipatheian hodierna negat experiẽtia: nisi omnino falsi sunt adamantes, vt paulo plenius infra dicemus.

89 In alio animali par opus libidinis non reperias quam in perdice. Nam si contra mares steterint fœminæ, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque superuolantium afflatu: sæpe voce tantum masculi audita, Autor Plin.

90 Si gallinacei florem vuæ in cibis degustauerint, vuas non attingent. Sunt qui ad œnanthen siluestrem id referant, quæ cibo incocta, & illis proiecta, fastidium gignit vuas appetendi. His addam quod brassicæ & rutæ tanta est inimicitia, vt iuxta seri nolint, Fracastorius.

91 Vbi animal quodpiam pilosum, aut lanigerum, vel etiam homo ipse, ob acceptum vulnus vel aliter, vermib. scatebit, si ex pilis eius, vel lana quidpiam ante Solis exortũ occultaueris sub cortice eius arboris quam vulgo Tremblam vocant (populi nigræ species est) & aliquot dies id facere

perſeueraueris, videbis miraculo quodã vermes decidere, vel emori, aut ſtationem deſerere. Sunt qui betulæ id etiam aſcribant, nec non radici ſilueſtris cichorii, in modum crucis collo appenſæ. Quod nos in cane obſeruatum vidimus, cui a vermib. exeſa erat propemodum altera auricularum.

Dens taxi, vel eius pes ſiniſter brachio dextro 92
hominis alligatus, memoriã eius roborat. Et ſcobes ex pudendo cerui cum aqua ſtillatitia cardui benedicti pota, pleuriticos ſummopere iuuat. His addatur, quod lupi cauda alicubi ſepulta, vel ſuſpenſa, hinc muſcas arcet. Albertus & Cardanus.

Verbena columbis gratiſſima herba, in natali 93
D. Ioannis ſe redimunt mulierculæ, & ruſtici, putantes per eum annum a dolore capitis immunes fore. Sed in eam rem potius colligi debet ante Solis exortum, Caniculæ aſtro emergente, & Luna non aſpiciente. Ex Marſil Ficino.

Experimento certiſſimo probatum eſt, vſtis 94
coriis quæ veteramentorum ſunt, ſerpentes efficaciter fugari: neque eos ſolum qui in agris & domibus oberrant, ſed qui in hominum corpora ingrediuntur, dum aperto ore in campis dormiunt. Quod Marc. Gatinaria medicus celebris ſcribit ſuo tempore cuidam homini accidiſſe. Cui cum fruſtra adhibita eſſent innumera remedia, de omnibus præſtantiſſimum fuit veteramentorum fumus & nidor, per infundibulum ore exceptus & in corpus tranſmiſſus. Nã cum primum immanis fera (erat enim vipera prægrandis) fumi nidorem præſenſit, viſa eſt a circumſtantibus egredi per anum, magna omnium admiratione & ſtupore.

In vulturibus natura concipiendi ſingularis 95
eſt, & a cæteris diſcrepans. Nam illi, vt D. Am-

brosius adnotauit, nullo fruuntur cōcubitu, nulloque masculi semine concipiunt, sed citra coniunctionem generant. Vnde vultures omnes fœminas esse scribit ex Ægyptiorum experimentis, Horum secutus, & eas Euro grauidas reddi, aut flante Borea: vt apud Hispanos equas, zephyro spirante. Quamquam Aristoteles testatur, Vultures facie aduersus austrum exporrecta volare, atque sic prægnantes fieri.

96 Raphani in salis cumulos & salinas proiecti, vel consepulti in aqueam salsuginem, massam totam deliquescere ac resolui cogunt. Ex quo multi aduersus calculum & tophos arenaceos in corpore concretos, aquā ex corticibus, vel toto corpore raphanorum expressam, cum vino albo, & puluere terebinthinæ ex adustione, vel resiccatione ad Solem, salubriter, & successu admodum felici exhibent. Res probata, & nullo auro æquiparanda.

97 Omnia quæ crescente Luna gliscunt, augentur, & succulenta euadunt, ea deficiente marcescunt & exsucca fiunt. Quamquam in quibusdam est antipathia. Nam cepa, vt autor est Plutarchus, Luna decedente reuirescit ac congerminat: & ea adolescente marcescit, proindeq; Ægypti & maxime Pelusiotæ, a cepis religiosissime abstinebant: quod solæ ex cunctis oleribus contra Lunæ augmenta & damna, minuendi & augescendi, sicuti repetit Gellius, vires habeant contrarias.

98 Qui marinos pisces cursoriis equis in vrbes vehunt, sepes leucacanthis seu albispinis florentibus vestitas, cane peius & angue deuitant, vel mira celeritate effugiunt: quod piscarias equorum sarcinas vel in ipso transitu repente labefactari longa & sola experientia intelligant, quemadmo-

dum adnotauit præſtantiſſimus medicus & philoſophus, Ioannes Ruellius, alterum Galliæ noſtræ decus & ornamentum.

Saxo Grammaticus in hiſtoria Regum Da- 99
niæ tradit, in oppido Rugianorum, viribus & præſtigiis cacodæmonum olim effectum eſſe, vt mares cum fœminis coeuntes, canum more cohærerent, & ita agglutinarentur, vt diuelli nõ poſſent, niſi perticis vtrinque appenſi, ridiculum ſpectaculum populo exhibuiſſent. Sed tam obſceni coitus, inquit, diabolicæ fraudes detectæ fuerunt, ceſſaruntq; demolitis & dirutis ſtatuis dæmonũ, qui ludibrii huiuſcemodi autores erant ac præſides. Ex Ioan. Langio in Epiſtolis medicinalibus.

Si aſini cicutam liberalius depaſcantur, ſo- 100
mno profundiſſimo & torpore inexpugnabili corripiuntur, ita vt non tantum ſtupidi, ſed plane mortui videantur. Quod ruſticos rei huius ignaros fefellit. Nam dum aſinis, quos ob id mortuos credebant, pellem ad vſum detraherent, accidit vt in medio fere operis aſini experrecti ſint, magno excoriantium terrore, & ingenti ſpectantium riſu, vt tradit diligentiſſimus & doctiſs. medicus Andreas Matthiolus ſuis in Dioſcoridem Commentariis.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI MEMORABILIVM CENTVRIA IX.

1 VAlde memorabile, & in primis admirabile existimabis quod a Ioanne Lãgio insigni medico scriptum est in quadam epistola ad Achillem Gassarum. Mulier quædam, inquit, ex oppido Eberbach fœtum viuentem aliquot menses in vtero gestauit, ac tandem in matrice computruit. Et quum anno post decimo, miseranda illa profluuio alui ob intestini exulcerationem laboraret, ossa de cruribus & cerebello infantuli denigrata carieque obsita (incredibile dictu, ait ille, sed verissimũ) tandem excreuerunt, nõ per vuluæ ostiola, sed per anum. Quod fieri posse, & nouum non esse, his verbis ostendit Oribasius Iuliani Imperatoris medicus præstantissimus: Sciendum, abscessum vteri quandoque rumpi & purgari per vuluæ ipsius os, quandoque per vesicam, ac sæpe etiam in rectum intestinum abire.

2 Quidpiam de vmbilico infantis recenter nati in argentea capsula, vel annulo inclusum, & ita gestatum vt carnem attingat, aduersus coli cruciatus summe prodesse certissimo experimento multorum accepi. Nec non plantam eam quæ rubia tinctorum vocatur, diu manibus contentam, lotium tingere. Ex quo ictericos iuuare superius ostensum fuit. Si forsan repetitione vtimur, memineris prouerbii, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.

Fo-

Folia filicis cimices necant, & ſerpentem non recipiunt. Ideoque filicem plantare aut ſternere in his locis quæ ſerpentibus ſunt obnoxia, vtile admodum eſt. Solus etiam nidor combuſtæ, illos fugat & abigit. His addemus, quod filum madefactum, aut intinctum oleo in quo ſemina ſtaphys-agriæ attrita fuerunt, pediculos necat, ſi capiti circumdetur. Albert. Dioſcor. & alii pleriq;. 3

Ex abſinthio, fumaria, paſſis vuis purgatis, myrobalanis citreis, potio fit commoda contra pruritum & ſcabiem. Adde quod illud idem abſinthium cum cortice citrii, aceto aut vino incoctum, oris fœtorem a gingiuarum & dentium putredine, & materiarũ corruptela in ventriculo, mirandum in modum emendat, Ioan. Meſue. 4

Lapathi folia ventrem cient, ſemen vero aſſumptũ ſtringit. Galen. Præterea primum blittorum decoctũ cum felle bubulo & oleo tartari, qualcũque maculas veſtimentorũ, abſq; vlla iactura deterget, etiã ſi ex oleo fuerint. Sed poſt deterſionẽ aqua tepida lauari debet locus. Res nota & facilis. 5

Teſtudinis quauis fide, quo voles modo attemperata, ſi ei correſpondentem in altera teſtudine attemperas, intendendo & remittendo, cum ſonum edet ſimilem ſono alterius tibi antea non audito, altera illa velut exultans concutitur, tamquam ſimili ſuæ attemperaturæ ſono gaudens & harmonia. Eam vero concuſſionem feſtuca tenuis illi ante impoſita, aperte declarabit: adeo vt etiam ſaxeus homo admiretur ſonis ipſis, aut corporibus ſonoris inter ſe tantam eſſe cognationem, & ſympathiam, vt ſibi ſimilibus delectari videantur. Autor Iacob. Syluius ex Boëtio, ſicuti antea, vt opinor, ſcripſimus. 6

8 Apibus summæ sunt inimicitiæ cum vespis, crabronib. mulionibus, hirundinib. (vel vt alii legunt hirudinibus) ranis, ouibus & cancris. Sic cameli naturale odiũ gerunt aduersus equos, & hircinus sanguis cum adamante, Plinius & Aristot.

9 Tradit Olaus Magnus Gothos concitato in nubibus fragore & tonitru, consueuisse excutere ex arcubus sagittas in aëra: vt ostenderent se velle opem ferre suis diis, quos tunc temporis ab aliis oppugnari putabant, imo vero sibi revera persuadebant.

10 Ligatum a quopiam malefico sanare creditur picus auis comesta: adhæc suffitus ex dente hominis mortui & si corpus totũ inungatur felle coruino & oleo sesamino, ex Cleopatra. Vel si argentum viuum in calamo, aut auellanæ nucleo vacuo cum cera occlusum, sub puluinari maleficio læsi collocetur, aut sub limite ostii, per quod is in ædes vel cubiculum intrat. Hæc Ioann. VVierus medicus illustrissimi Ducis Cliuiæ, libro 4. De præstigiis dæmonum, & incantat. ac veneficiis.

11 Non desunt impostores, vt autor est Brasauolus Ferrariensis, qui lapidem amianthum simplicibus mulierculis ostendant, & plerumque magno vendant pro vero ligno crucis Seruatoris nostri, id quod facile credunt, cum igni non comburatur, quodq; ligni modo constet plurimis lineis intercursantibus.

12 Hiemato lacu fluctibus glomeratæ voluuntur anguillæ, in tantũ mirabili multitudine, vt in excipulis eius fluminis, ob hoc ipsum fabricatis, singulorum milium globi reperiantur. Plinius.

13 Instrumentorum fides seu chordulæ minutim excisæ, & carni recens coctæ (siue elixata fuerit

rit illa siue assata) inspersæ, eã vermiculosam, putrem ac insalubrem esse, discumbentib. iucunde mentiuntur. Quisquis rei huius conscius erit, vtili impostura solus pro arbitrio vesci poterit. Sic leporis sanguis desiccatus, & in puluerem attritus, sanguinolẽtas & saniosas esse carnes perbelle imponit: adeo vt illas omnes nauseabundi, auersentur ac reiiciant, exceptis iis qui doli participes facti fuerunt.

Si pilos aut barbam cito nasci voles, cinere com- 13
bustarum apum, & soricis stercore cum rosaceo linimentum cõpone, & locum pilis vel cæsarie vestiendũ ac decorandũ dies aliquot inunge. Poteris addere cinerem corticis auellanæ, castaneę, dactylorum, vel fabaliũ. Ex Ioan Bapt Porta, nisi fallor.

Lapidem ex bufone (qui Gallis vt diximus, 14
crapaudina vocatur) ad hunc modum eliciunt nonnulli. Bufo in quampiam caueolam cum panno puniceo detruditur, Soli ardentissimo dies aliquot exponitur, ibique tantisper retorretur, ac siti excruciatur, donec onus capitis per os deponere & euomere cogatur: quod per medium caueæ foramen, vasculo supposito, excipi debet vel aliter detrahi, idque celeriter, ne ab eo resorbeatur. Sunt qui paulo tutius ac facilius rem eam exequuntur, bufonem pertuso multis locis fictili immittendo, & formicis depascendum in myrmecia exponendo. Sic enim fit, vt excesa eius carne, lapis ipse cum ossibus relinquatur: sicuti frequenter a nobis, & aliis plerisque expertum fuit.

In hæmorrhagia narium nonnulli accipiunt 15
recentia porra nouẽ aut decem, filo media transfigunt, folia extrema amputant, eaque circumdant collo, sed obuersis ad nares foliis, & deor-

ſum capitibus conuerſis. Vtile eſt etiam olfacere caphuram in aceto diſſolutam: adhæc, linguæ ſubiicere radicem pæoniæ. Iacobus Hollerius.

16 Plinius ſcribit leonem vbi ſæuit, in viros plus, quam in feminas fremere: veluti natura eum docuerit, mulieres mitius quam viros eſſe tractādas. Quod etiam Ariſt. innuiſſe videtur, quærens. Cur mulierem interficere iniquius ſit quam virū: cum naturæ ratione, mas femina multo ſit præſtantior. Addam ex Poëta: quod feminea in pœna nullum eſt memorabile nomē. Quod audiant vxorum ſuarum carnifices quidam & tortores.

17 Obſeruatum, expertumq; audio, vaccam, ouem, aſellam, canem, ſuem, felem, & ſimilia feminei generis animalia domeſtica & manſueta, dum vtero gerunt abortire, ſi mas ex quo conceperunt, occidatur: tam valida & vehemens eſt illorum inter ſe concors ſympathia.

18 Pulchras imagines, vaſa, effigies, & alia in hunc modum, parua impenſa tibi comparabis. Cortices vlmi, & populi cacumina decoque, & dum feruebunt, puriſſimam calcem immitte, donec formā coagulati quaſi lactis acceperint omnia. Deinde marmor candidiſſimum, & tenuiſſime detritum cribratumq; adde, & in quas volueris formas materiam eam iniice, tum demum in vmbra deſicca Hieron. Cardanus.

19 In Apennino Italiæ iuxta Bononiam & Piſas, exorta tempeſtate mulieres turmatim foras procurrunt, eam elatis manibus conſignantes caſeo in die Aſcenſionis Domini preſſo, & decuſſatim ſignato fune, crucis modo. Ibidem ouum in ipſomet Aſcenſionis die excluſum adſeruant, ſummoque alligant tecto: atque hoc modo ſuas

ædes

ædes a tempeſtatis iniuria tutas fore exiſtimant, Autor Ioan. VVierus medicus & philoſophus eximius, in opere ſupra dicto.

Si ſemen inuentum in pilulis & globulis lappæ minoris, in leuiſſimum puluerem redigatur, & cum pauco vino albo, eoq; generoſo exhibeatur, renes ab arenulis efficaciſſime repurgabit: ſed aliquanto celerius, ſi cum aqua vitæ hauriatur. Accepi ab experto. 20

Crapaudinam, ſeu bufonium lapidem, de quo paulo ante, legitimum eſſe experieris, ſi in illum præoſtenſum vel obiectum, ſeſe ita attollat bufo, ac ſi vellet contingere & ſaltu præripere: vſque adeo lapidem eum homini inuidet. Ex relatione cuiuſdam medici Regii, qui id vidiſſe nobis affirmabat. 21

Qui in deplumem & exenteratum caponem ignitum chalyben iniecerit, & tam accurate vno, alterove mantili obuoluerit, ne calor vaneſcat, eſui aptum reddet, etiam inter equitandum, modo meminerit ſubinde alitem verſare. Verum enimvero tetro inficietur odore, ſed ferẽdo ac pergrato famelicis. Archimagiri cuiuſdam inuentum. 22

Si nigro cani dum viuit alterum oculorum erueris, & tecũ portaueris, faciet ne alii canes tibi allatrent, etiam ſi inter illos ambulaueris. Sed res ea paulo certior erit, ſi quidpiam de lupi corde ei addideris. Sextus Platonic & Albertus. Quod fortaſſe a nobis ſuperius etiam adnotari potuit. 23

Illud ſane non ſolum eſt memorabile & admirabile, ſed etiam dictu viſuque horrendum, quod in Theuren. Iuliacenſis ducatus oppido crebro accidit: vbi ęgroti in templo ante diuæ Annæ altare, & venerandum caput eius ſupplices pro- 24

strati, frusta & fragmenta vitrorum, vrceolorum & ossium de piscibus, quæ humana gula & stomachus deglutire nõ posset, ac loculos cum nummis euomuerunt. Autor Ioan. Langius in epistola de prodigiis & præstigiis dæmonum in morbis.

25 Aqua stillatitia ex floribus tiliæ, epilepticis pueris mirandum in modum confert, quocumque modo ministretur. Sunt qui ei socient viscum quercinum, successu admodum felici & optato. His licebit attexere, quod succus polygoni cum septem granis piperis ante accessionem quartanæ haustus, eam abolet. Sed aiunt colligendam esse plantam, & exprimendum eius succum, die Iouis, Luna decrescente. Ex quodam libro Secretórum, manu Iani vel Fauni cuiuspiam descripto ob insignem vetustatem.

26 Oleum in quo decoctæ fuerint ranæ vsq; ad separationem carnis ab ossibus, plurimum valet ad omnes neruorum & articulorum affectus, perfrigeratq; membra, si eo calente vngantur. Adde quod lũbrici ex aceto triti sacro igni perbelle medentur. Decerptum ex eodem libro superiore.

27 Si equi dysuria, seu meiendi difficultate laborent, foliatis sambuci ramis vndique illorum corpus diu, ac blande verbera, & tum demum folia ipsa collo eorum & capiti, nec non corpori vniuerso coapta. Nam iumentorum impedimentis arbuscula hæc maximopere confert. Simoneta Cardin.

28 Lupus hominem prior videns, ei vocem præripit, & tanquam victor illum despicit. Si autem se præuisum senserit, ferociam deponit, & currere nequit. Autores D. Ambros. Virg. Plato, Sextus Platon. Albert. & alii.

Mute-

Murenis ſpiritus vitalis in extrema parte caudæ latet, qua perimuntur potius, quam contuſo capite. Piſcis genus hoc, ſi in vaporario ſiccetur, faculæ aut funalis accenſi commoditatem exhibebit. Etenim neruus qui ſpinæ loco illi per tergum producitur, ellychnii, ſeu contorti funiculi vicem præbet. Sed id poſt vtrumque æquinoctium tentandum eſt, quo tempore adipoſæ ſunt murenæ, Lemnius. 29

Allia trita cum axungia ad vnguenti craſſamentum ſubacta tuſſientes ac perfrigeratos valde iuuabunt, ſi plantas pedum, vna cum vertebris dorſi ante focum eo vnguine illinant. Quod ruſticis potius quam vrbanis ſcriptum erit. 30

Calendulę aquam omnibus oculorum morbis conducere, tradunt: adhæc capitis dolores tollere ſuffitumq; ex eius floribus pudendo muliebri per infundibulum, vel aliter exceptum, ſecundas morantes facile euocare, & profugas reducere. Hoc ſecreto vetulam quandam obſtetricem mira arte emunxi, dum mea egeret opera, in enixu puerperii cuiuſdam locupletis matronæ. 31

Populus nigra exciſa, & in eius ſcobem ac præſegmina, aqua cum fermento ad truncum infuſa, fungos producit qui minime ſunt peſtilentes. Idē fiet ſi ſuper reliquias vſtorū ſarmentorum aquam ſparſeris. Acceptum a quodam qui ſe id experimento compertum habere dicebat: a Plinio ſcriptum, vt reor, & Cardano adnotatum. 32

Si voles experiri an muſto remixta ſit aqua, ouum imponito: ſi ſtatim deſcendit, aquoſum eſt: ſin contra, purum. Præterea, ſi vini in dolio feruentis impetum frangere voles, minimam caſei particulam in illud proiice, vel immitte: vide- 33

bis rem miram. Cur autem id fiat, docebit Georgius Valla Placentinus.

34 Compertum est nostra & auorum memoria, nōnullos effracto capulo reuixisse. Quamobrem lege cautum est, ne ante triduum loculo includātur præpropere, qui apoplexia, epilepsia, & vteri strangulatione suffocati sunt. Nam in illis anima nonnunquam delitescit, quæ rursus corpus spiritu, vitaq; imbuit & illustrat. Quæ res effecisse fertur, vt Christus captata occasione Lazarum quatriduanum in vitā postliminio reuocarit: ne quis calumniari posset illum non fuisse mortuum: sed animi deliquio, aut epilepsia, vel apoplexia correptum, ex emētita morte reuixisse. Hæc Lemnius lib. 2. De occultis naturæ miraculis.

35 Lupi valde amantur a psittacis, & ericium summe fugiunt ac timent, Æsculapius. Tradit insuper Albertus, quod lupus hominem non edit, nisi fortuito prius hominis cadauer gustarit: nā tunc non dubitat periclitari inuadendo hominem.

36 Ex vrtica & oleo factum linimentum cum pauco sale, tuetur partes corporis ab atrocissimo frigore. Valet etiam ad vlcera omnia a gelu contracta. Sed vereor ne ex superioribus repetatur. Addam, quod decoctum plantæ eius quæ dens leonis vocatur, glutinandis vulneribus summe efficax habetur. prodest etiam rupturis, ac interna vulnera solidat.

37 A taxo arbore veneficam vim deponit æreus clauus trunco infixus. Et rhododaphnes ramus cum suis foliis tusus si in scrobem demittatur, muscas omnes illic congregat. Præterea suffitus hederæ vespertiliones fugat, Autores Anatolius & Africanus Geoponici.

Mentha

Mentha ferrum abhorreſcit, vt etiam ruta 38
&ocimum. Quæ ſi vulnerato fuerit exhibita, non facile conualeſcet. Si lacti miſceatur, deinde auferatur, & tum demum coagulum immittatur, nunquam lac illud cogetur, vt tradit Florentinus in ſuo Georgico.

Superioribus annis mulier quædam me vſa eſt 39
medico, cui in tantam molem intumeſcebat vterus, vt non videretur illa geſtando oneri ſuffectura. Decurſo anni dodrante ſeu nouem menſium ſpatio, ingenti conatu maſſam quandam informem enixa eſt: cui vtrinque anſæ duæ in brachiorum longitudinem annexę erant cum palpitatione. Tum demum ex vtero eiuſdem delapſum eſt monſtrum adunco roſtro, longo, teretiq; collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, & eximia pedum agilitate. Id poſt primum lucis intuitũ conclaue ſtridoribus implens, atque hinc inde excurrens, latebras perſequebatur & captabat, niſi mulieres puluinis impetentes illud ſuffocando peremiſſent. Poſtremo mulier plus ſatisdelaſſata, non ſine ſummo vitæ diſcrimine prolem maſculam edidit, a monſtro ita excarnificatam, vt a ſacra lotione quã minimũ vitæ ſupereſſet. Hæc Leuinus Lemnius medicus Ziriʒæus diligens ac doctus.

Si quis pleuriticus, empiricus, vel ſuppuratus 40
ſcrupulum pulueris ſeminum vrticæ cum ſyrupo violaceo, aut alio quopiam ex iis quos pectorales vocant, paulatim & veluti lambendo deglutiuerit, viſcoſum humorem ac tenacem nullo negocio expectorabit. Secretum cuiuſdam non vulgaris medici Pariſienſis.

Rumpi tradunt equos qui luporum veſtigia 41
ſub equite ſequantur, Et ſi equi trahentes qua-

drigam lupi calcaneum conculcent, sistentur, ac si cũ quadriga cõglaciassent, Petr. Gillius ex Æliano.

42 Mures prægnantes in vtero parentis repertas fuisse apud Persas, autor est Aristoteles. Quinetiam tradunt magi, muris iecinore dato porcis in fico, sequi dantem id animal. Addit Plinius fibrarum numerum crescere & decrescere in iecusculis murium, cum Lunę lumine. Sed de his paulo plenius philosophaturi sumus in nostra quadrupedum medica Historia.

43 Sanguis leporinus siccatus (vti etiam eius coagulum) dysenterias, & alias ventris proluuies quantumuis effrenes compescit. Similiter faciunt ossa humana ad læuorem puluerata, & ex vino rubro subaustero sumpta. His accedet, quod iusculum ex decoctione fragariæ herbæ cum sua radice, ab icterico ieiuno dies aliquot haustum, illum perfecte sanat. Secretum hoc cuiusdam est monachi, ex quo ingentes pecunias corradebat.

44 Vpupa si cecinerit antequam vites germinent, futuram vini copiam præsagire aiunt: nec non suem si capite ad cælum verso portetur, nequaquam grunnire. Addam quod serpentes inclusæ circulo herbæ, quam betonicã nuncupant, exire non possunt, quin se flagellando potius interimunt, Plinius, & Græcorum geoponici.

45 Leo viso igne mirandum in modum expauescit, nec re alia facilius domatur. Eius autem ossa simul collisa, ignem concipere aiunt. His accedat quod ceruus ita arietem perhorrescere fertur, vt eius conspectum non sustineat, Aristot. Plinius, Albertus, & alii.

46 Percussus a Scorpione si super asino rectus desideat respiciens ad caudam, pro ipso dolebit asinus

aſinus ac torquebitur. Curationis ſignum erit, quod pedendo emoriatur aſinus, Autores ſunt Apuleius, Diophanes, & Zoroaſtes.

Si herba batrachion dicta, ceruici lunatici vel epileptici ex filo rubro deligetur, Luna decreſcente in prima parte Tauri, vel Scorpionis, magnum ac inſperatum leuamen hinc ſentiet. Sunt qui eius radicem in vino maceratam peſte infectis propinent ad ſudorem eliciendum. Quod valde periculoſum puto, ſi febricitent: ſi contra, opportunum, modo vires conſtent. 47

Quum latronem aut furem ligare volueris & domo tua arcere, Figura imaginem viri ex ære, aſcendente prima facie Arietis, & Luna ibidem verſante. Dum vero id fit, dicas, Alligo & abigo omnem hominem furem ab hac domo per iſtam imaginem in æternum. Tum demum obuolue illam in panno nigro, & ſepeli in medio domus, & non intrabit in eam latro, aut fur, quandiu ibi fuerit. Ex lib. Ptolem. De imaginibus, nondum, quod ſciam, alicubi impreſſo. 48

Succino marino (quod Ceti ſperma vulgus nuncupat) ea vis ineſt, vt ſolidas etiam pyxides quibus aſſeruatur, penetret, ac roſido quodã madore, ſudoriferiſq; guttis irriget, modo legitimũ fuerit. Adde, ſi placet, quod delphinus piſcis incredibili amore ducitur erga homines, & præcipue impuberes: quibus miris blandimentis gratificari, & colludere geſtit. Plin. Ariſtot. & alii. 49

Horus Apollo tradit lupũ maximopere lapides pertimeſcere. Idcirco dũ per lapidoſa ire cogitur, ſuſpenſo pede ſemper incedit. Læſus .n. vel minimo lapidis ictu, vermes gignit, a quib. tandẽ abſumitur. Ideo inſultãte cũ lapidib. viatore, aufugit. 50

51 Mustelę cerebrum siccatū, & ex aceto potum, epilepticis medetur. Illud idem ex hirundinibus acceptum, suffusionibus multum conducit, si cum melle oculis illinatur. Quod ēt præstat aspidis exuuium tritū cum eodē melle, sed præter id, visum acutissimū reddit. Autor Claud. Galen.

52 Trebius admonet clauum vel cuneum quanta vi libeat in arbores adactum, in quibus nidum habet picus Martius, statim exilire, cum is cuneo vel clauo insederit. Alii ad herbam referunt a pico ad id auxilii & negocii conquisitam. Cui fabulantur vires inesse ad aperiendas seras quascumque. Plinius, Albertus, & alii.

53 Cum omne animal peracta Venere tristari soleat, solus gallus gallinaceus exhilarescit, & cantu alacritatem spiritus testatur. Ille idem decrepitus æstiuis mensib. sub exortum Caniculæ ouū parit forma orbiculari, luteum, luridum, & versicolor: ex quo multi opinantur basiliscum produci, perniciosiss. ac pestilētiss. serpentem: maxime si quando a bufone educatum & fotum fuerit ouum tale. Quod an fabulosum sit, viderint alii. Sic ex spinæ humanæ medulla putrefacta anguem generari quempiam proditum est. Lemnius, si rite memini.

54 Si sanguis hirci & cineres vitri æquis portionibus mittantur in acetum, deinde chymico organo distillentur, & in exceptam aquam vitrum maceretur, plicatile, cereum ac ductile euadet. Indurabitur vero, ac priori naturæ reddetur, si in frigidam mittatur, vel eadem lauetur. Ex secretis cuiusdam ingeniosissimi vitriarii.

55 Oues eum sequi solent, vt scripsit Didymus, qui vellere illarum aures obturauerit. Addit eas-

dem

dem, vt etiam capras, comesta conyza herba extingui. Poteris addere ex Florentino geoponico, & Zoroaste quod hirci fugitiui non erunt, si barbas illis prçcideris.

Crateuas Hippocratis vt diximus, herbarius, 56
tradit aspersu plantæ œnotheræ ex vino omnium animalium feritatem, nedum hominum mitigari. Quod de radice intellexit Theophrastus. Sic Ælianus œnuttam ceruos & canes inebriare scribit.

Sunt qui cancros treis cremari iubent in arbu- 57
stis, vt vredo & carbunculus illis non noceat. Etsi rubeta nouo fictili in media segete obruatur, aiũt tempestates ibi noxias non esse. sicuti Archibius, Plinio autore, ad Antiochium Siriæ regẽ scripsit.

Tradunt Aphri quod si quispiam eo die feria- 58
tur a scorpione, quo ocimum ederit, ægre sanari. Quinetiam volunt, ad manipulum huius cum cancris decem marinis vel fluuiatilibus tritum, conuenire scorpiones a proximo loco omnes. Adde ex Diodoro, idipsum in cibo frequenter sumptum, pediculos creare.

Cessabit ranarum garrula coaxatio, ac no- 59
cturnus vlulatus, & clamor plerisque ingratus ac molestus, si lacuum & fluminum ripis, vbi inhabitant, accensa adhibeatur vna lucerna, vel plures, pro loci amplitudine, & ranarũ copia, quemadmodum Africanus in geoponicis testatur: & nos Parisiensi cuipiam Præsidi de illarum molestia conquerenti, certo & optato experimento confirmauimus.

Volentibus experiri victurus sit ęger, nec ne, 60
præcipiunt radicis chamæleontis albi diluto eum triduo perfundi: ternas vices qui pertulerit mo-

ritorum negant. Autor Theophraſtus. His accedat quod eiuſdem chamæleontis radix ex farina hordeacea cum aqua & oleo ſubacta, canes enecat, nec non mures in polenta.

61 Aiunt nonnulli leucacanthum, ſeu albiſpinum, vt etiam laurum, fulmine non ici, nec vnquam de cælo tangi. Adhæc baccas illius ex vino albo ſumptas deturbandis calculis admodum efficaces eſſe. Gallicum vulgus Senellas vocare ſolet. Experimentis ruſticorum notum.

62 Sues ſumpta herba hyoſcyamo præſenti periculo conuelluntur, niſi copioſa aqua ſe ſtatim foris & intus proluerint, Ælianus. Addatur ex Plinio, quod illi idem ſues candida indumenta, perinde atque elephantes, impenſe oderunt: boues vero & tauri purpurea. Quod multi ſub hoc habitu, ſuo ſummo malo quandoq; experti ſunt.

63 Auicula linaria, Gallis linotta nuncupata, exoriente Canicula obmuteſcere incipit, nec non ægrotare, ac plumas vellicando excutere. Quod cõtingit circa mediũ Iulii, ſicuti toto decẽnio experti ſumus in vna & altera: & hinc certũ canicularis ſyderis exortũ multis indicauimus. In galerita ſeu alauda idẽ etiam obſeruauimus in exortu Arcturi cum Sole. Nec dubiũ eſt quin aliæ itidem aues & animãtes ſuũ habeant quæq; peculiare ſidus, a quo mouentur ad cantum, taciturnitatem, mœſtitiam & hilaritatem. Quod vt obſeruent ſeduli arcanorum perſcrutatores, eximie rogo & peto.

64 Icta fulmine corpora, incorrupta manent: quapropter fulminatorum cadauera veteres neque vrebant, neque terra obruebant: vt omnibus perſpicuum eſſet, illa nullam quidem corruptionẽ ſentire. Adde quod canes & aues ab huiuſmodi

cada-

cadaueribus abstinent. Ex quo falsi mihi videntur qui scribunt Phaëtontem fulmine tactum, in vallib. cōputruisse. Sed de his plura in nostra Meteorologia, & aëris Ephemeridibus legere poteris.

Syderatam vitem cognosces quando foliorum pinnas subrubras habet. Curabis si terebro alte perforaueris tunicam, & per foramen quernum paxillum indideris. Alii trunco & radicibus humanum lotium affundunt. Ex veterum rei rusticæ autorum Commentar. 65

Elephantes de omnibus animalibus murem maxime oderunt: adeo quod si pabulū in illorum præsepio positum ab eis attingi viderint, aut senserint illud fastidiunt & respuunt, Plinius 66

Lapides pretiosos cuiuscumque coloris ad hunc finges modum: Candidissimi corporis silices tandiu in figulorum, aut vitriariorum fornace torrentur, donec in puluerem atteri possint. Cuius pars vna per setaceum excreta, vel aliter, miscetur partibus tribus minii plumbi a sordibus repurgati, & vasculo aurifabrorum, crucibulo dicto, imponitur, sed non ad eius complementum. Additur nonnihil limaturæ auri puri, vel foliorum eiusdem, si topasium, vel hyacinthum fingere voles: aut tantillum rasuræ chalybis, si smaragdum: vel quidpiam azuri legitimi, si sapphirum, aut amethystum, & ita de aliis coloribus. Tum demum forti & valido igni, reuerberationis nuncupato, omnia cōfusa & mixta tandiu exponuntur, dum colliquescant, & mellis spissamentum induant. Vbi in ipsomet igne sponte euanescente refrixerint, effracto vasculo, lapidea materia sanequam elegans sese prodet, a perito lapidario in quas tibi visum erit formas incidenda expo- 67

lienda ac tractanda, & postremo per solertem artificem annulo inserenda. Sunt qui vstos & torrefactos silices atterant pistillo ferreo in mortario eiusdem metalli, pro smaragdo fingendo: & cupreo pro topasio, absq; alia colorum mixtura. Si pro silicio puluere, crystalli calcinati puluisculo vti voles, omnia habebis multo elegantiora, pretiosiora & duriora, sicuti plus centies sum expertus.

68 Mira est arundinis & filicis discordia. Nam radix vtriusque attrita & imposita, stirpem alterius corpori infixum, ceu inimicum deiicit. Hinc arũdinem exarari præcipiunt, filice vomeri apposita, nam ita non excrescet. Tamen huic optime conuenit cum corruda vnde asparagi fiunt: quapropter illa vbi adsunt arundines, seri debet. Plinius, & Geoponici cum Græci, tum Latini.

69 Atramentum librarium diluto absinthii temperatum, literas a murib. tuetur: herba vero ipsa vestib. inserta, tineas arcet, Autor Diosc. His accedet ex African. Commentariolis, quod qui caprinum pulmonem tostum erit, ebrietatem nõ sentiet, etiam si bibendi certamine prouocetur.

70 Vino quod acorem conceperit medetur ollula aquæ bonæ plena, vt tradit Tarẽtinus, modo operta sit diligenter, & in dolium vini demergatur Posttriduum enim si pristinum robur resumserit, aqua olebit, & vinum perplacebit.

71 Thapsia, autore Theophrasto, sugillata & liuentia illustrat. Qua ex re, Nero imperii sui initio dignitatem ei dedit, nocturnis grassationibus conuerberatam faciem ea illinens cum cera atq; thure, & sequenti die, contra famam, cutim sinceram referens, Autor Plinius.

Capri-

Caprifici cauliculi, vna cum bubulis carnib. 72
elixati, magno lignorum compendio eas celeriter coqui adigunt. Et ramus eiuſdem collo taurorum quantumlibet ferocium circumdatus, fertur eos ita compeſcere, vt immobiles maneant. Quod etiam ad ficum tranſtulit Plutarchus.

Piſces maximi expetunt radices ariſtolochiæ 73
rotundæ Itaq; ſi contuſas admixta calce, mari vel fluuio ſparſeris, cupiditate mira aduolabunt piſces, continuoq; exanimati fluitabunt: vt Plinius coram ſe factũ teſtatur. Ob id piſcatores in Campania, venenum terræ ariſtolochiam nuncupabant. Nunc & cyclamini radici idem contingit.

Supercilia concreta & ſe contingentia, omni- 74
um ſunt peſſima: notant enim maleficum, plagiarium, & nefariis artibus editum. Id quod Ioan. de Indagine frequenter ſe obſeruaſſe dicit in vetulis ſagis quæ ad incendium ductæ, huiuſcemodi præferebant ſupercilia, ſicuti adnotauit præſtantiſs. medicus & mathematicus Thaddæus Hageccius in ſuis metopoſcopicis Aphoriſmis.

Si icthyocollæ & aluminis ęquales partes ac- 75
ceperis, ac inuicem miſcueris, hiſq; acetum ſuperfuderis quidquid ea miſcellanea illitum in ignem proieceris, non comburetur. Et ſi trito malua viſco, cum ouorum albumine, manus illeueris, atq; alumen ſuperinduxeris, ignem abſq; læſione tractare poteris. Autor Albertus: ſed credere mallem quam experiri.

Palladius tradit vitibus hanc eſſe naturam, 76
vt ſi alba vel nigra in cinerem redigatur, & vino imponatur, ei vnamquamq; formam ſui coloris immittat. His addo ex Georgic. Africani, quod ſemen rumicis, ſeu ſilueſtris lapathi, ſiniſtro brachio alligatum, ſterilitatem in mulieribus emendat.

77 Allium, Luna sub terra latente, si seratur, & eadem rursum posita sub terris euellatur, odoris fœditatem exuere fertur, Autor Sotion Græcus, & post eum Palladius; qui etiam tradit dulciora effici allia, si in plantando nucleos oliuarum illis circumposueris: vel allia ipsa contusa plantaueris.

78 Aduersus animalcula quæ solent hortis nocere, præcipiunt Græci ventriculum veruecis statim occisi, suis sordibus plenum, in loco vbi illa abundant sepeliendum, & terra modica obruendum. Nam post biduum animalcula quæq; ibi cõgesta videbis. Hoc dum bis, vel ter feceris, genus omne noxiarum bestiolarum ibidem coges, & vna adobrues, vel extingues. Expertum fuisse intellexi.

79 Tradit Aëtius ex Pisone, perdicem vociferari, & cortem in qua alitur lacerare, vbi sagacitate quadam naturæ senserit medicamentum quodpiam letale, vt venenum, intra ædes parari.

80 Accipiter internecinum bellum gerit cum aquila, cohærentesq; sæpe prehenduntur. Eidem aquilæ pugna est acerrima cum dracone, multoque magis anceps in aëre: nam multiplici nexu eius ligans alas, ita se illi implicat, vt simul decidant ambo. Plinius & Albertus.

81 Tradit Pythagoras quod si qui morbi humano corpori acciderint florente aproxi, quamtumuis sanati admonitionem eorum sentiunt, quoties illam florere contigerit. Tradit præterea & frumentum, & cicutam, & violam, similem conditionem habere idem Plinius.

82 Aduersus improbitatem alitum sparsa semina depascentium, coctum allium ne posthac renasci possit, mirandum in modum prodesse fertur, si illis proiiciatur. Nam quæ deuorabunt, ma-

nu

nu capientur. Alia in eam rem auxilia multa leges in nostris hortorum Secretis.
Vesica ouilla, aut caprina, cremata, & ex posca bibita, vel leporis testiculus ex vino odoro coctus & potus, iis qui vrinam inuiti reddunt benefacit. Sic miluii caput deplume vstum, & quantum capi potest tribus digitis cum aqua sumptum, podagricis auxiliatur: perinde atq; lumbrici terrę, cum cerato rosaceo illiti: nam illorum inflammationes ac dolores mitigant. Autor Galenus. 83
Si cranium hominis senis in peristerotrophio, seu columbario suspendatur, multiplicabuntur ibi columbæ, ac quiete viuent. Idem præstabit lac mulieris puellam a bimatu lactantis, si in vitreo vase ibidem suspendatur, Albertus. His addamus ex Dioscoride, quod frondes lauri, vestes & libros quibuscum miscentur, a tineis, vermibus & corruptione tutos ac immunes reddunt. 84
Vsu frequenti tuberum epilepsiam & apoplexiam gigni, autor est Simeon Sethi. Porro cum cælo affinitatem maximam illis esse credidit antiquitas, nec nisi tonante Ioue nasci: vnde Iuuenalis illud, Facient optata tonitrua cœtus. 85
Mirabilis & cito parabilis aqua, nullo auro comparanda, ad hunc fit modum. Aqua pura & limpida in vas nullo antea liquore imbutum mittitur. Vbi efferuescit, ilico in viuam & recentem calcem, alteri vasi nouo impositam effunditur: ac ibi tandiu quiescere permittitur, donec detracta spuma, clara & pellucida appareat, subsidente ad imum vasis calce pultis modo diluta. Tum demum aqua supernatans excipitur per vasis inclinationem, sed calce immota & phiala munda, aut alio vasculo diligenter obturato, ad 86

vſum reſeruatur. Vix credi poſſit quantum habeat energiæ, & miraculi in vlceribus quibuſuis, & maxime a lue Venerea obortis. Nam fotu ex linteolo in ea repente madefacto, & vice emplaſtri poſt hæc vlceri impoſito, ac ſubinde renouato, ſaniem deterget, dolores ſedat, vlcus carne replet, ac inflammationes pauco tempore extinguit: non abſq; ingenti miraculo, cum ſui caloris vehementia alioquin incendat calx viua. Fruere hoc excellentiſſimo ſecreto, quod multa prece, precioque multo, multis recuſaui.

87 Capræ lac multum facient, ſi dictamnum circa ventres ipſarum ligaueris. Autores ſunt Africanus & Florentinus. Tradit inſuper ille, arietem non incurſurum nec impetum facturum, ſi cornua ipſius prope auriculas perforata ſint.

88 Theophraſtus ſcribit quod ſi quis in bullientem vini vrceum, pumicem iniecerit, illius feruorem ſtatim ſedabit. Addatur ex Alberto quod viſcum quercinum ſilphio coniunctum, & ad arborem quampiam cum hirundinis ala ſuſpēſum, aues ad ſe congregat

89 Græci aſſerunt fabæ ſemina caponum ſanguine macerata, ab aduerſantibus herbis immunia eſſe. Quæ ſi pridie aquæ ſimplici infuſa fuerint, citius naſcentur: ſi nitrata aqua reſperſa, difficilem coctionem non habebunt.

90 Si ſcorpium vſſeris, reliquos ex vicinis locis vel coges, vel fugabis. Idem etiam formicis cōtinget ac reptilib. aliis, autore Democrito. His accedet ex Didymi ſententia, quod ſi quis miliarem panem pręſumpſit, numquam a veneno noxā incurret.

91 Si pedes magnæ rubetæ, ſeu bufonis viuentis, abſcindātur quando Luna vacua ad Solis coniunctio-

iunctionem properat, & collo patientis strumas circumdentur, adeo prosunt, vt persæpe a morbo liberent. Autor Hieronymus Cardanus.

Mercurium, vel, si mauis, argentum viuum, vna eademq; via, fixum & tinctum, sic habebis: Sume salis, nitri, & vitrioli Romani, vtriusq; vncias tres, mitte in vas distillatorium, seu chymicum organum, vt aquam elicias: priorem abiice, posteriorem serua. Ea est quæ stillabit dum alembicum, vt vocant, rubescere incipiet. Hæc absque vlla difflatione sedulo tibi custodienda erit. Vsus sic erit, Accipe Mercurii optimi, & vt par est, purgati, vnciam vnam, sulphuris vncias duas, & aquæ prædictæ vncias tres: permitte omnia simul stare donec aqua limpida euadat. Hanc cum sua hypostasi & sedimento rursus distilla, & in fundo alembici reperies Mercurium extinctum, fixum, rubrum & completum. Audiui a quodam, quem huius secreti participem feceram, se absq; secunda distillatione Mercurium reddidisse, qualem hic proponimus, nisi quod plus satis rubicundo tingebatur colore: erat nihilominus corpore adeo duro & fixo, vt nec igni, nec malleo vinceretur, quibus illum examinandum præbuerat. Ac si bonus iste vir me serio consuluisset & rogasset, saturatum ac profusum colorem cum vna & sola coctione facile emendasset, ac diluisset. Hic qui habet aures audiendi eas arrigat, & pro tam gratuito arcano mihi gratias saltem agat, partemq; lucri hinc emersuri, in pauperes libenter eroget.

Vina in doliis florentem in sua vite botrum quadantenus sentiũt, ac de coloris & saporis mutatione occultam cum vinea sympathiam attestantur apud multos. Sic obseruatum est quo 94

tempore apri in Venerem furiosque ruunt, apri-
nam multos ante dies vel menses salitam, colo-
rem ac saporem mutare. Ab experto venatore
acceptum tibi trado.

94 Sonus quem echo reddit fugare apes existi-
matur: ideoque sedes earum esse oporret, vbi illa
non resonet, vt tradit M. Varro. Apud quem et-
iam lego fabas diu incolumes seruari in vasis o-
leariis cinere oblitis, nec non & cetera legumina.
Addit præterea fabam ipsam ad coquendum fa-
cilem reddi, si dum seritur aqua respergatur. quod
etiam paulo ante adnotatum fuit.

95 Antonius Musa inter medicos Italiæ valde
celebris de colocynthide, seu agresti cucurbita
hæc scribit. Mihi vsu euenit, vt dum colocynthi-
dem tractarem, & præsentibus sorore ac matre
manibus illam aperirem, ego solo illius attactu,
illæ vero odore adeo soluti fuimus, vt nullus no-
strum fuerit cui venter decies magna perturba-
tione cõmotus non fuerit. Ex quo vehementissi-
mum pharmacũ esse constat, ac venenosissimum,
etiam quãtumuis correctum ac frenatum fuerit.
His mihi licebit addere ex cuiusdam medici certo
experimento, quod rubeta discissa & renibus su-
perposita vrinam vehementer proritat, adeo vt
nõnunquam hoc remedio liberati sint ea hydro-
pis specie laborantes, quam ascitem vocant.

96 Ægithus auis minima cum asino valde dissidet.
Hic enim spinetis obulcera sese scabendi causa at-
terens, illius nidos dissipat. Ex quo fit vt voce ru-
dentis asini audita, nõ solum oua ille abiiciat, sed
etiã pulli, si qui sint, metu cõsternati cadant. Itaq;
aduolans ægithus vlcera asini rostro vellicat, vt
hinc deinceps illum abigat, Ex Aristot. Plinio, &
Oppiano.

Serpen-

Serpentes capitali odio fraxinum oderũt: adeo 97
vt ne matutinas quidem, occidentalesve vmbras
eius, quam sunt longissime exporrectæ, serpens
attingat, sed procul admodum fugiat. Quin experti prodimus, inquit Plinius, quod si gyro ex ea fronde claudantur ignis & serpens, in ignem potius, quam fraxinum fugiet ille: mira naturæ benignitate, quæ prius quam serpentes prodeant, sicuti florere fraxinum permittit, ita ante conditos, folia nequaquam deponere sinit, Plinius.

Si febricitanti infantulo (ac paulo adultio- 98
ri) paris lõgitudinis coaptatos cucumeres dormienti addideris, & quasi condormire feceris, statim sanabitur. Nam calores omnes febriles in cucumeres transibuut, quemadmodum ex Quintiliorum obseruationibus scriptum & adnotatum est apud Cassium Dionysium Vticensem.

Aristolochia rotunda cum campestri rana 99
diligenter trita, addita atramenti scriptorii parte aliqua, facit vt serpentes ceu mortui ilico subsistant & hæreant, si ex ea miscellanea aliquid scribatur, & coram illis proiiciatur, autor Albertus. Qui etiã tradit, quod si talpas accipere voles, illorum foraminibus & ostiolis allium, porrum, aut cepam debes obiicere. Nam foras, ac si stupidi essent, confestim prosilient.

Magneti cum allio, vt alibi diximus, tanta 100
est discordia & antipathia, vt si eo confricetur magnes, vim omnem trahendi deponat, vel imbecilliorem agnoscat: adeo vt ferrum potius a se abigat, quam rapiat, Autores sunt Ptolem. Plutarch. Albert. & ex neotericis Hieron. Cardanus, cum Ioann. Bapt. Porta. Qui postremus non tantum id approbare videtur, sed etiam cepis accom-

modare: ſcribens, nautas qui cepas ederint excludi ab obſeruatione Buxulæ (ſic nauticam vocant pyxidem) quod illam hinc inebriari dicant. Eandẽ antipathiam Druſianus ſuis in artem paruam Galeni comment. non ſolum tueri, ſed & cauſam eius reddere ſatagit. Verum & illi, & reliquis omnibus manifeſta refragatur experientia, rerum incertarum magiſtra certiſſima. Quare ad allium noſtrum id nequaquam referendum erit, quin potius ad aliud quodpiam, quale eſt fortaſſe Ægyptiacum, de quo apud Dioſcor. Idem ſentiendum erit de adamante, quo præſente magnetis vim ne minimum quidem hebetari obſeruauimus, contra multorum opinionem: fortaſſe quod veri & legitimi adamantes nobis ſint rariſſimi, vt antea monuimus. Quod huic Opuſculo colophonem imponet.

CENTVRIARVM MIRABILIVM
ANTON. MIZALDI
FINIS.

APPENDIX SECRETORVM EXPERIMENTORVM, ANTIDOTORVMQVE CONTRA varios morbos, ad Antonii Mizaldi CENTVRIAS, ex optimis quibuſque auctoribus collecta.

GVILIEL. ANTONIVS

GVERTHAEVS BENEVO-lo Lectori S.

CVm celebris & diligens typographus Ioann. VVechelus Antonii Mizaldi CENTVRIAS *in nouem Aphorismos pulcre digestas ab omnib. auide expeti, nec vlla amplius exemplaria in Germania prostare animaduertisset; rẽ gratam se omnib. studiosis facturum arbitratus, si eas aptiore forma, & minutioribus characteribus, cum minore precio parabiles, tum quocunq; se conferre vellent, itineris comites suauissimos haberent; rogauit me vt eas recognoscerem, & ab erratis si qua irrepsissent, vindicarẽ, nonnullaq; Secreta & Experimenta quæ ad hasce maxime facerent, adiicerem. Itaq;, etsi plurimis negotiis typographicis districtus, verebar vt satis huic rei facerem, tamen qui meus est erga eum & rem litterariam amor, honestæ suæ petitioni deesse nõ potui. Accipe igitur cãdide lector hanc* APPENDICEM, *tam ex manuscriptis codicibus, quam ex impreßis bona fide, non sine labore hinc inde, sed quasi per satyram, Mizaldũ sequuti, collectam; quam, si tibi non ingratam futuram intellexero, animum nobis addes ad alia aggredienda. Si vero in hac nonnulla repereris quæ Ciceronis aut Terentii elegantiam non sapiant, auctoribus ex quibus desumsimus, imputandum erit; memor illius,* Ornari res ipsa negat, contenta doceri. *Vale, nostrisq; laborib. faue. Francofurdi, ex Museo Ioannis VVecheli, M. D. LXXXIX. Calendis Septembr.*

CATALO-

CATALOGVS AVCTOrum ex quibus hanc APPENDICEM desumsimus.

Albertus Magnus,
Arnaldus De villa noua,
Antonius Fumanellus Veronens.
Antonius Brasauola
Auicenna,
B. Londrada, a Portu,
Christophorus Encelius de Metallis,
Conradus Gesnerus,
Cornelius Petrus Leidensis,
Georgius Agricola,
Herodotus,
Hieronymus Cardanus,
Hieronymus Rubeus Rauennensis,
Hieronymus Brunsuicensis,
Hieronymus Mercurialis,
Iacobus VVeckerus,
Ioannes Marinellus,
Ioannes Spiringus in celebri Louaniensi academia professor,
Leuinus Lemnius,
Marbodæus Gallus,
Magninus Mediol.
Nicolaus Cusanus in Staticis suis,
Petrus Andreas Mathiolus,
Petrus Bellonius,
Raymundus Lullius,
Theophrastus Paracelsus,
VValtherus Reyffius,

APPENDIX REMEDIORVM, ET EXPERIMENTORVM AD ANTONII MIZALDI APHORISMOS, EX optimis medicorum libris tam impressis quam nondum in lucem editis, collecta.

AVri essentia ad tria grana in vino sumta, comitialem curat. Nihil præsentius corde lupino siccato in epilepsia pellenda, vel ciconiæ corde vtantur. Alii felle canis rubri aut agni, vel oleo succini aqua betonicæ diluto, & ceruice illita: sed, vt dictum, cor lupinum primas tenet singulari quadam sympathia. Siccatum enim suaui odore tum cerebrum & vitalem spiritū recreat, moschi odore suauiter fragrans.

Cor fortificant mire macis, ebur, vnio, inula, quæ præ ceteris cor exhilarat, ac claritatem, depellendo caliginem, adfert, & cordis substantiam, vt & rosmarinus, adauget, nec minus buglossum, borago cor reficiunt.

Aurum vero reliquis præstat; vsus eius est, vt sæpius in vino extinguatur, colatum bibatur: roborat cor, & humores prauos calore suo absumit, vitales spiritus clarificat; hepaticis, sua fortitudine & virtute plurimum prodest: prolongat vitam; synceros spiritus procreat, proinde leprosis vtile. in summa, vires totius corporis renouat.

Vt efficacius agat, potabile hoc modo præparatur: Sumito fauum mellis cum tota substantia, ac in vitreo vase imponito, supponendo optimam aquam vitæ siue ardentem, probe obturato in fimo vel balneo mariæ digeratur, donec resoluatur, postmodum ador-

adornato, ad diſtillationem, aquaque prolecta, atque rectificata in aurum diſſoluitur.

Alius experimẽtator vetuſtiſſimus atq; indagator naturalium hãc rationem adhibet: In aquã rectificatam vitæ imponit fauum mellis, ac poſt digeſtionem elicit ſecundum artem aquam: in hanc rurſus recentem fauum imponit, atq; rurſus diſtillat, hoc ter iterando, relictis ſemper fecib. hanc poſtremã aſſeuerat poſſe integrum ſua efficacia ducatum reſoluere. hæc ex manu ſcripto. Porro in hac arte exercitati, prius aurum præparant in igni macerãdo, id eſt, vt vtar eorum verbo, calcinando argento viuo & ſulphure donec euaneſcat, tum aurum aqua calida eluũt. nec deſunt qui ſulphuri & argento viuo oleum oliuarũ addant vt ad duos vel tres digitos emineat. Sunt qui prius oleo tartari tantis per aurũ ignis ardore detineant, ſubinde oleum affundendo donec rubeſcat aurũ alii aurũ prius per ſtibiũ transfundunt. Cardanus putat conſultũ vt limatura plumbi aurũ torreant donec plumbũ abſumptum ſit; aſſerens non tantum reſolutũ iri in prædictis aquis, verumetiam calore ſtomachi hominis hac ratione crematum poſſe diſſolui. quod ſi res ita ſit, viderint. Alii ſucco limonum vtuntur, vt limones vna cũ corticib. contundantur, & ſuccus expreſſus ad puritatem coletur, tum modicũ frumenti iniiciunt: poſtquam vero ad ſynceritatem hic liquor redactus fuerit, aurum per ſtibium fuſum reſoluit, qui plura deſiderat conſulat Chymicorum libros, in quib. tamen hæc non inueniet; ſed hæc dicta ſufficiant.

Ad cor confortandum aurũ hoc modo præparant: ℞. magnetis drac. 2. auri vnc. 4. argenti drach. 4. aniſi vnc 2. macis, cinnamomi drach 1 ſacchari candi lib. 2. ſuperfunde generoſum vinum q. ſ. de quo parũ bibat poſt digeſtionẽ; eſtq; regiũ medicamentũ & rarum.

Ioannes Mathesius in sua Sarepta concione 4. vbi de auro agit fol. 59. se nouisse asserit metallarium spiritibus mineralibus fere enectum, postquam nulla medicamẽta auxilium tulissent, appensum aurum circa cordis regionem omne venenum partim absorpsit, partim energia sua absumpsit, & ita sanitati restitutum esse.

Ad ossium corrosionem & corruptelam prodest essentia serpentum, tum etiam aqua ex immaturis nucibus distillata si bibatur, & subinde linteis sæpius siccatis, applicetur. Ad idem valet oleum camphoræ.

Iuuenis quidam tribus annis prominentem habuit tumorem, siue durum apostema in mento. frequenti masticatione persicariæ liberatus, & in integrum restitutus fuit.

Mulier quædam consumpta morbo Gallico ex potione essentiæ melissæ, curata fuit.

Magnus vir laborãs colico, multis remediis frustra adhibitis, tandem alius exhibuit deplorato vnc. 2. mannæ cum olei amygdalini vnc. 4. in iure gallinarum, ilico sanatus fuit, & ingenti honorario medicum donauit.

Quidam habebat stomachum tumidum & eleuatum vltra pomi granati quantitatem, qui olei vitrioli potione restitutus a medico est.

Formica miliaris optime curatur decoctione rubeæ tinctorum: item si sæpius fricetur foliis plantaginis, vel vnguento basiliconis linatur.

Verrucæ tolluntur si linantur aqua in qua infusum fuerit vitriolum, aut crebra portulacę fricatione.

Ad scabiem valet succus fumiterræ si per se sumatur; vel si vnica ebullitione in sero lactis decoquatur, & mane de eo bibatur.

Si

Si clauus sæpius linatur sepo candelæ, in totum remouebitur.

Vlceribus tibiarum humidis valet si sæpius superponatur folium vngulæ caballinæ.

Caro mortua aufertur si apium contundatur, & sero lactis aceroso decoctum applicetur.

Puer quidam ætate annorum quinque de gradibus cecidit, brachium & tibiam habuit attonita, motuque priuata, cui ceruicis & capitis posteriorem partem & totam spinam inunxi hoc vnguento: ℞. de pinguedine vulpis vnc. 2. olei vermium terrestrium vnciam 1. olei philosophorum drach. 4. & misce & inunge spinam dorsi, & ita sanabitur.

Quidam post febrem in lethargum incidit vt se pungentē non sentiret, nec oculos aperiret, vel quicquā loqueretur, qui salis oleo vel spiritu curatus est.

Puer digitum habebat erosum ad os vsque, breui est restitutus plumbi oleo.

Mulier, quæ carcinoma habebat in mammillis 30. annis laborauerat, exhibendo illi essentiam mercurialem in aqua plantaginis, curata fuit.

Puer faciem & testiculos tumefactos habens, sanatus fuit extractione rheubarbaræ.

Alius puer ætate 8. annorum, cui dens extractus fuit, vesica postmodum loco dentis nigra apparuit, quē vnxi quotidie oleo vittioli, sicq; vesica euanuit.

Mulier diu laborauit ventris profluuio ex resolutione ventriculi, oleo vitrioli cum conserua anthos sanata fuit.

Quidam vulneratus in pellicula cordis, curatus fuit auri essentia.

Adolescens laborans tussi continua & violenta, deglutiendo succum prassii cum oxymelite, expectorauit vermem, & liberatus est.

Quidam cum capitis & cerebri vertigine inſtar ebrii vacillaret, cum ei peſtilentiales pillulæ cum mercuriali eſſentia exhibitæ eſſent, vermes 150. euomuit.

Polypus curatus fuit oleo vitrioli cum aqua ceræ.

In curatione oris ſtomachi inteſtinorum, vſus ſum aqua ex florib. chamomillæ vnc 3. mellis roſati vnc. 1.

Phthiſim cum totius corporis conſumptione curaui oleo margaritarum.

Ad tumorem vuluæ, gingiuarum & faucium vtatur oleo vitrioli ex aqua perſicariæ.

In tumoribus ſcrophularum, & duris apoſtematibus mamillarum, vſus ſum oleo terebinthinæ cum viſco quercino commiſtis in formam vnguenti.

Mulier quædam quæ poſt puerperium, non erat bene purgata a menſtruis, ſubito incidit in mentis delirium, præter alios grauiſſimos dolores in pectore & ſpina dorſi, ſola antimonii eſſētia curata fuit.

Peſte quidam laborans, liberatus electuario iuniperorum cum oleo vitrioli, omni mane huius ſcrupulo 1 ſumpto.

Vir annorum ſexaginta, melancholici humoris abundantia, puſtulas habebat, cruſtoſaſque ſcabies per vniuerſum corpus, hac medicina priſtini valetudini reſtitutus fuit. ℞. ſucci plantaginis, ſemperuiui & ſolatri ana, ſecundum placitum, olei lithargyrii q. ſ. fiat vnguentum, quo vniuerſum corpus inungatur.

Mulier quædam poſt puerperium dolorem habebat in mamillis, ſimul cum fiſſuris: curata fuit, abluendo eas ſemper cum vino & miſtione olei plumbi, & hoc poſtquam infantem lactauerat.

Puella quædam grauiſſimo vomitu laborauit, ita vt nihil cibi retinere poſſet, erant & inteſtina turgida,

gida: conualuit per applicationem emplaſtri ex fermento panis cum ſucco menthæ.

Mulier quædam fere mortua eſt ex colica, exhibui ei oleum vitrioli rubri cum aqua ſeminis aniſi, quæ paulo poſt vermes eiecit, & ſanata eſt.

Vermicularis efficax ad vomitum prouocandũ, ſi parũ de ea cibo, iuri, aut ſimili liquori permiſceatur.

Odor panis, tollit omnem nauſeam.

Vt dolor capitis vel dentiũ vel in quacunq; parte fuerit, cito diuertatur, alliũ ſuperligetur. in quacunq; n. parte ligatur, ad eandẽ cõfluunt corporis humores.

Lethargum fumus galbani & cornu cerui excitãt.

Ad tremorem manuum ex nimio potu, madefiant ſemel aut bis mane aqua frigida & per ſe exiccentur.

Ad torturam oris & apoplexiam confert maſticatio nucis moſchatæ.

Ad oculorum caliginem, ℞. Euphraſiam, fœniculum & contundantur, & aquæ limpidæ imponantur, illa aqua mane & ſero lauentur oculi.

Item ſapo ſi retro aurem applicetur, mala oculòrum auertit.

Saccharum candidũ & ſaccharũ commune etiam tollunt oculorũ nebulam & dolorẽ. Idem pręſtat crocus ſi mane, propria ſaliua ex ore eos leuiter frices.

Ad maculas faciei & totius corporis: ℞. Cumini triti vnc. 1. & ſulphuris drach. 2. in lib. 1. pluuialis aquæ decoquantur, donec medietas ſit conſumpta, coletur & linatur locus maculatus.

Suſpenſio corallii rubri ſiſtit fluxum ſanguinis, vel ſi tantum in brachio deferatur.

Vltimum remediũ in ſiſtendo ſanguine, eſt ſtercus porcinus. Spiringus magis commendat caprinum in defectu huius capiatur equinum, ſed leporinum eſt omnium efficaciſſimum; ideoq; eo temere nõ vtendum, niſi ſumma neceſſitas vrgeat.

Nocumenta odoratus emendat mentha ſæpius naribus admota.

Catarrhum ſiſtit fumus thuris ſi circa ingreſſum lecti & mane per nares excipiatur.

Dolorem dentium ſæpius ſedat appoſita cruſta panis torrefacti & aſperſi aceto, maxillis.

Corroſis dentibus valet galla immiſſa.

Ad corroſionem gingiuarum nihil præſtantius Bachbunga, id eſt, anagallide aquatica, vel naſturtio aquatico, vnica ebullitione in lacte decocta, & de iſto lacte ſæpius bibatur.

Si quis ſæpius vtatur croco & ſcabioſa, præſeruabitur ab apoſtematibus intrinſecis.

Ad ſingultum, digitis minimis fiat commotio in auribus.

Ad ſuperfluum fluxum, excellit: ℞. pomum acetoſum, excaua, & vacuum cera virginea imple, ponẽdo ſic ſuper ignem, liqueſcat: cum ſic aliquantiſper ſteterit, da ægro vt edat & curabitur.

Mulier quædam menſibus aliquot laborauit tumore & dolore manuum & pedum, & frequenti animi deliquio, ſæpius eſt vſa rhabarbaræ extractione, & conualuit.

Vertiginem curaui diuturnam oleo vitrioli in aqua betonicæ exhibito.

In grauiſſimis iuncturarum doloribus vſus ſum oleo vitrioli in aqua terebinthina vel aqua abſinthii.

Presbyter quidam arthritide & nephritide laborans, curatus eſt ſolo oleo terebinthinæ.

Puer quidam 12. annorum, ſubito incidit in magnum capitis tumorem, tumor erat mollis, ſpatio quatuor dierum curatus fuit, hoc medicamento ℞. olei chamomillæ, verbaſci, hypericonis, & inunge tumorem.

Muli-

Mulier laborabat lethargo vt oculos aperire non posset, solo oleo vitrioli recuperauit sanitatem.

Anginæ ilico succurrit fel anserinum.

Peruinca etiam anginæ singulare remedium.

Item lib. 1. aquæ scabiosæ cui vncia 1. addenda aquę vitæ vel ardentis, linteis ea madidis exterius applicetur, sæpius iterando tempore trium horarum præstat iuuamentum, & anginam curat.

Ad torturam intestinorum nihil melius decocto ex aqua chamomillæ.

Ad lumbricos, cepa assa sub prunis, aspersa aloe vmbilico superligetur.

Vt hæmorrhoides mundæ teneantur, verbasco tolluntur; aut si verbascum cum semine lini & ouis coquatur, sæpius edant, per aliquot dies, vel si eodem modo virgam auream in cibo edant, quæ species est consolidæ Saracenicæ, sed foliis maioribus & pinguioribus. Præstans est remedium, scrophulariæ radix collo appensa; vel cum butyro in formam vnguenti redacta sæpius inungendo. Item, si aqua rosacea & puluere aristolochiæ, stupa applicando, & postea lauant proprio lotio, se amplius non manifestant, scilicet hæmorrhoides. sed cura hęc propter dolorem est molesta.

Ad lapidem vesicæ summe & potenter valet. ℞. sex alkekengi, i. fructus vesicariæ, vini vncias sex, contundantur, & colatum bibat tepide, ilico educit & frangit lapidem. vel vt ceråsa condiantur, nam male hodie exiccantur. idem præstat filipendula, idem etiam virga aurea, nec minus valet electuarium de iuniperis, vel cinis leporis. Item stercus columbarum in aceto maceretur septem dieb. in vitreo vase, & dētur ægro aliquot cochlearia de eo vt bibat, & sanabitur.

Si sapo superligetur vmbilico, statim vrinam prouocat, vel vtatur nuce myristica.

Ad Herniam vel rupturam, inter omnia valet emplastrum ex sola terebinthina, cingulo tamen ad intestina reprimenda, vtatur æger. Consolida maior hac in re efficax tam in potu quam exterius in forma vngueti adhibita. Sunt qui violam, quam trinitatem nuncupant, magni faciant, si quis in cibo per nouem dies ea vtatur. Item allium lacte caprino coctum bibat, & sulphur cum albumine exterius applicet; vel testam ouorum vstam cum alumine. Ceteras compositiones operosas omitto, vnica saltem adiecta, exuuias anguillæ salitas & aqua calida edulcatas, eoque in lixiuio donec crassescat, tum colatum decoque donec lentescat, tum effunde super marmor aut lapidem: hoc gluten adeo tenax & accommodum est ad herniam glutinandam, vt illi par non sit: cum vti volueris, liquescat, & addas paululum stanni vsti, & calide ponatur super alutam, & herniæ applicetur, ad miraculum eam conglutinabit, estque secretum secretorum.

Vt quis butyrum e lacte faciat abundantius & præstantius, nec facile corrumpatur, sitq; etiam suauius: ℞. Salis communis lib.4. aquæ pluuiæ lib.10. ad ignem sal resoluatur in pluuiali, cum cupis butyrum conficere, sume vnciam vnam huius aquæ salsæ, ad lib. vnam lactis butyrandi, & operare more rustico & solito, & res facilius, & maiori lucro, & citius perficitur. nam salis efficacia lac ocius concrescere efficit, & ne cito corrumpatur, impedit.

Si calcei oblinantur oleo lini, a vermib. non corroduntur, aut hypericone aspergantur.

Glutinum quod nullo modo aquam admittat sed eam mire & potenter arceat, etiam diutissime & instar silicis se obduret: ℞. Vernicem liquidam, quam misceas diligenter cum calce viua & cerusa, terendo

super

ſuper lapide modice calidam, vt bene incorporentur, eſtq; mirabili vi ad prædicta.

Ad exitum matricis, valet plurimum corium anguillæ ſuffumigatum:

Ad nimium fluxum menſtrui, nihil adeo iuuat, ſeu reſtringit (licet Auicenna oppoſitũ dicat) quam fumus ſeminis ſinapi, ſi per inferiora recipiatur. eſt ſecretum & per me ſæpius probatum, inquit Spiringus.

Et puluis corallii ſumptus aqua plantaginis curat fluxum malorum humorum & corruptorum. Item vtatur ſæpius condito bugloſſi & roſarum cum ſyrupo menthæ.

Oleum cinnamomi rarum & precioſum, cuius virtus incredibilis ad plurimas infirmitates depellendas & ad vires reparandas, & exterius etiam inungẽdo regionem præcordiorum, & ceteras corporis partes, quas ſua efficacia & aſtrictionis vi, firmat & roborat, hoc fit modo: ℞. cinnamomi lib. 1. minutim triti, commiſceas cum oleo amygdalarũ dulcium diligenter, ſit inſtar pultis liquidæ, & loco tepido permittas duodecim diebus vaſe bene obturato, poſtmodum, inſtrumento ad hoc apto exprime fortiter, & expreſſum oleum erit odoris, coloris & ſaporis cinnamomi, ad miraculum, ad omnia prædicta vtile, & ad valetudinem & iuuentutem conſeruandam, ad vires reparandas, ac parturientibus vtiliſſimum, & multas ęgritudines arcendas. tempore & loco vtatur, cum manna, ſaccharo, aniſo & ſimilibus, ſecundum hominis & morbi diſpoſitionem. Sunt & aliæ rationes conficiendi olei cinnamomi, ſi tritum cinnamomum cum aqua roſarum vel boraginis tepore digeratur, & poſtea diſtilletur, exhibet liquorem lacteum, & inſolando aliquid olei elicitur.

Oleum e floribus rosmarini, hypericonis, betonicæ & similium magni faciunt, vt & rosarum: hac autē ratione paratur; Rosarū folia in vmbra aliquandiu siccata, in vase vitreo vel cucurbita ponantur, ac inde affundatur tantum rosaceæ aquæ stillatitiæ vt madeant, deinde obturato vase in balneo mariæ per dies duodecim digeratur, tū apposito alembico per cineres vel arenam temperato calore aqua cum oleo simul eliciatur, quæ rursus in eodem vase reponūtur, prius bene mundato, rimis vndiq; bene perlutatis, & per calentis aquæ balneum, lentissimo calore, donec tota sit aqua profecta, in fundo vasis, solo remanente oleo rosarum, quod colore rubet (nam ex rubris rosis oportet vt fiat destillatio, & quo sunt fragrantiores, eo oleum erit præstantius & odoratius) estq; aromaticum, olens moschum, maximis præditum virib. cordi, cerebro, hepati, & omnibus apprime membris saluberrimum, multis morbis pellendis salutare. Hac ratione cum ceteris floribus agendum.

Chelidonia multis laudibus tam a priscis quam a neotericis celebratur medicis, proinde oleum eius breuiter perstringemus, plurimis præditum viribus, oculis salutiferum, amissum etiam visum restituit, & conseruat incolumem, si gutta vnica olei cum aqua boraginis in oculos immittatur: dentes corruptos instaurat; viscera redintegrat atque roborat, valetudinem fartam & tectam custodit; pellit venenum a corde; pulmoni succurrit; sanguinem purgat, & hominem reddit a corruptione tutum; & venustatem quandam inducit, si guttæ aliquot cibo sumantur, phlegma salsum absumit, tollitque melancholiam, vires totius corporis reparat. præparandi modus hic est: Chelidoniam cum radice & flore concisam minutatim, aqua fontana decoquunt ad eius

con-

consumptionem: deinde in pila lapidea terũt, & succum expressum, linteo a fęcib. purgant, reliquum ad mellis consistentiam decoquunt. Postea in cucurbitã ponunt, ita vt repleatur dimidia, & in balneo mariæ distillantes phlegma colligunt. Deinde vase in cineres translato, oleum aërium excipiunt, & aucto igne, & alio recipiente supposito, colligitur alterum oleum, quod est naturæ igneæ. qui volet, poterit vtrumq; vno recipiente colligere, & collectum secunda distillatione vnumquodq; per se singulatim rectificare vt magis penetret.

Tinctura Chelidoniæ extrahitur, radice eius contusa, tum per aliquot dies ardẽti aqua digeritur, deinde colatur, & per balneum mariæ aqua ardenti abstracta, eius tinctura in fundo vasis remanet, ea vtendum in maiori quantitate est.

Rosmarinus cum sit excellens planta, teste Francisco Veneto in sua Harmonia mundi, cap. 27. tomi septimi, inquit: Planta illa, quæ in Hebræo dicitur *ezob*, quod ex vicinitate vocabuli transtulerunt, *hyssopum*, sed pro veritate libanotis est, quam Romani & Itali *Rosmarinum* dicunt, quæ inter plantas quidem nobilissima est, & magis quam existimetur excellens, quamuis multitudine & frequentia vilescat. Est enim semper virens, nulli nocens, & multis infirmitatibus inimica, maxime morbo comitiali, qui dæmoniacus est. Radix eius cum melle purgat vlcera, torminibus medetur, & serpentum ictibus, si cum vino bibatur. Prodest etiam contra morbum regium in vino cum pipere. Et tanto in maiora mala præualet, quanto maiori gaudet tutela, & fauore cœlesti, a quo omnis virtus confouetur. Ideo non sine causa, ad aspersiones faciendas cum sanguine animalium in Lege iubebatur assumi, iuxta illud, Asperges me domine hyssopo & mundabor. Gradum

enim illum (apud ſecretiores Theologos) diuinitatis indicat, aut menſuram illã, qua nos Deo, & Deus nobiſcum coniungitur: cuius perfuſione, & a peccatis mundamur, expiamur, & perficimur. Hinc in huius rei ſacramẽtum, iuſſæ fuerunt fieri aſperſiones planta illa ſacramentaria, Ioan. cap. 19. *Illi vero impleuerunt ſpongiam aceto & hyſſopo, circumpoſitam admouerunt ori eius.* Item fol. 242. Quare rubrum & conſperſum eſt veſtimentum tuum? Hyſſopus vero aut libanotis (vt alibi declarauimus) planta quidem eſt omnium excellentiſſima, vt ſapientibus notum eſt, & aſperſioni aptiſſima; cum ramuſculos habeat ligneos, denſiſſimis & minutis foliis & craſſis. Hinc ipſa iubebantur fieri aſperſiones, effigiantes veram aſperſionem faciendam planta aut virgulto omnium arbuſtorum optimo. De quo inquit Eſa. *Et aſcendit, vt virgultum vel planta coram eo.* Sanguine igitur auis aſpergebatur mundandus occiſæ auis ſepties, numero remiſſioni & expiationi aptiſſimo. Nec fruſtra additur in textu, *Et mundus erit ipſe:* quia multa lauacra pro mundatione, & multæ medicinæ pro curatione, fruſtra expenduntur. Sed hæc vna inanis non fuit, maxime in figurato generi humano leproſo, quod totũ abſq; dubio mundatum eſt ſanguine illius veræ auis Chriſti, qui ſicut de cælo volauit ad nos, ſic nobis purificatis, iterum reuolauit ad cælum. Quem mundatorem illic videns Iohan in fronte ſuæ viſionis celeberrimæ ait: *Chriſtus dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris, in ſanguine ſuo*, melius & efficacius expurgans, quam infecerit protoplaſtes.

Hactenus Franciſcus Venetus; ex quo euidenter liquet, *Ezob* priſcorum Hebræorum & prophetarum eſſe noſtrum Roſmarinum. Eiuſdem ſententia

tiæ ſunt Rabbini, vt commentarii eorum teſtantur, & Leuinus Lemnius in explicatione ſtirpium, quæ in Bibliis habentur, cap. 47. de libanotide, quæ vox a thuris odore nomen ſortita eſt, quem fruticem Iudæi in faſciculos manuales coactum & complicatum, ſcoparum more, conſpergendis, luſtrandiſque hoſtiis immolaticiis accommodabant. Vicinitate nominis decepti, *Ezob* tranſtulerunt *hyſſopum*, cũ *Roſmarinum* fuerit interpretandum. Quum etiam Iudæi, noſtra hac ætate, fruticis huius faſciculo vtantur, vbi ſacrificia ſua peragunt, ac cæſis hoſtiis, peccata expianda ſunt, imbuto intinctoque hoc fruticulo animantium ſanguine, quo aſtantes conſpergunt. Scatent paſſim omnium horti viuaci hac fronde, colore intus candido ſuperne viridi, odorato, flore cæruleo, oleoſo, ita vt ſi vaſculo deſtillatorio, ex hoc aqua eliciatur, oleum innatare videas. Quod ego paralyticis & apoplecticis, ſalubriter admouere ſoleo, ceruice & nuca illo inuncta. Odor fruticis animum reficit. præſentaneam vim obtinet in expugnando morbo regio. Et comitialem impugnat, ſi in elixarum carnium liquamine, crebro eius vſum admittant. Odor accenſi fruticis peſtis contagia fugat, atque ædes a vitioſo halitu tutas præſtat. Conſerua ex floribus eius, cerebrum mire confortat, ſi humore nimio oppreſſum eſt, memoriam collapſam erigit, & ne quis morbo caduco, apoplexia, paralyſi, ſpaſmo corripiatur, aut caligantibus oculis afficiatur, ſingulari vi & efficacia, inſtructa eſt. Quum autem thuris odor ac ſuffimentum Deo offerri ſolet, eoque homines illi litare, non alienum a ratione eſt, Iudæos thurificis fruticum odoribus eſſe vſos, ac Roſmarini miniſterio, quæ ſingulari vi pollet, in expugnandis cerebri morbis (vbi mentis ſedes eſt) & herba

grato odore imbuta eſt, ſua ſacra peregiſſe. Hæc Leuinus Lemnius.

Nunc de viribus Roſmarini, audiamus Magnini Mediolanenſis celeberrimi medici, iudicium ſolidum in tractatu De vinis; Cum eſſem in Babylonia accepi cum multa ſollicitudine, a quodam antiquiſſimo medico Sarraceno, virtutes Roſmarini quaſdam, nec vlli communicabat. & dixit quod excellentiores eius virtutes, in vino, in balneo, deinde cum electuario, poſtremo in oleo eius, ſitę eſſent, quod eſt in effectu veri balſami. Eius vini proprietates ſunt mirabiles. Nam eſt vtile in omnibus ægritudinibus frigidis; rectificat appetitum, & confortat ſua aromaticitate, qua animam dilatat, & ſua ſtipticitate, qua ſubſtantia ipſorum aggregatur, & fortificat omnia membra & neruos, & ſi quando lauatur ex eo facies, reddit eam pulchram: ſi caput lauetur ex eo, non cadunt pili, immo multiplicantur. & vſus eius præſeruat ab anthrace, & ab huiuſmodi malis puſtulis, & à putredine & infectione ſanguinis, conſumit phlegma & melancholiam, proprie confortat ſubſtantiam cordis, & ſic iuuentus diu conſeruatur integra, nec corpus computreſcit, & os eius ablutione redditur odoriferum, dentesq; firmantur, gingiuæ cancroſæ glutinantur, & ſanantur. Et ſi ex eo laues cancrum, fiſtulas, huiuſmodi vulnera exſiccantur, & in integrum reſtituuntur. Si quis ex diuturna infirmitate fuerit viribus exhauſtus, hic ſi panem in vino roſmarini, maceratum ſæpius edat, eius vires recreat, ventriculumque reficit, reliquaque membra in priſtinum ſtatum reducit.

Decoctum florum Roſmarini ex aqua pluuiali ſi eo temperetur vinum eius, mire tabidis & ethicis ſuccurrit (quod magnum eſt ſecretũ,) eſt enim pulmoni amicum, tum prędictum vinum cotidianam,

quartanam,lethargum, ac cardiacas paſſiones tollit, ſimulq; dyſenteriæ ac aliis fluxibus obſiſtit. Adeoq; potenter venena obtundit, ſi quis in cibo ac potu eo vtatur ,vt theriacę vicem ſuppleat. Potus eius etiam podagricis ſaluberrimus , & mulierib. omnibus humidis, eaſq; ad conceptionem præparat.

Electuarium quod fit ex floribus eius cum melle deſpumato, ad omnia prædicta accommodum.

Balneum vero eius quod fit ex floribus & herba Roſmarini dicitur *balneum vitæ* , & mors ſenectutis; quoniam eius aſſiduus vſus efficit vt homo reiuueneſcat atq; reuireſcat , renoueturq; inſtar aquilæ (vt regius propheta inquit) quæ e ſublimi ſe in fontē præcipitans prorſus ex eo inplumis ac iuuenis fit, eſtque res ſecretiſſima.

Oleum eius vicem balſami repræſentat , eoque modo fit, vt ſupra de roſarum oleo dictum eſt ; roborat cor, cerebrum& totum corpus , & neruos, panos, maculas, caliginem oculorum remouet & iuuētutem reducit. quod ſi gutta aquæ iniiciatur,confeſtim inſtar balſami fundum petet.

Experimentum eſt, ſi folia Roſmarini aquæ vitæ vel ardenti imponantur, hæc curat phlegma ſalſum, ſcabiem,cancrum & fiſtulas, & ſimilia incurabilia in ſolidum reſtituit. Hæc author Magninus medicus celeberrimus,loco citato. In ſecretis excellentiſſimi medici Gabr. Fallopii fere eadem habentur,ideo repetere ea ſuperuacaneum duxi.

Viriditas Roſmarini viuax extrahitur eo modo vt ſupra de chelidonia dictum eſt ; ſi folia aliquātulū ſiccata fuerint , & in aquam ardentem aut vitæ iniecta, macerentur , donec egregie vireſcat, deple, atque aliam ardentem ſuperfunde, donec non amplius vireſcat, tū a toto per balneum calore lento abſ-

trahatur aqua, & pulchra, fragrans amœnaque viriditas in imo residebit, quæ viribus non cedit prædictis; sumi poterit vino, quod pulchre colorabit, aut iure, vel conserua rosarum si sit hepar æstuans, aut si lubet corpus leniter purgare, manna, & parum aloes addatur; omnia membra, visum, viscera, sarta tecta conseruabit, canos vehementer arcet, vel etiam immutat, si aqua betonicæ aut conserua facta ex foliis myrti, sumatur. Hæc de hac nobilissima planta dicta sufficiant, qui plura volet consulat Magninum, Lemnium, Gesnerum in Euonymo & alios.

Instauratiuū exhaustis ægritudine longa saluberrimum, & confestim vires totius corporis reficiens, nec opus coctione habet, atq; instar panis martii recreans, facileq; factu, estq; viribus potens: ℞. amygdalarum exquisitarum partes tres, micæ panis optimi partes 2. & sacchari candidi partem vnam, conterantur diligēter, addito parum salis & aqua temperetur rosarum q. s. probe misceantur & incorporentur, sicque ægro exhibeatur ad placitū quoties flagitauerit, estq; delicatissimus cibus, facileq; concoquitur.

Medicamentum aureum, rarum, & preciosissimū, quod omnium morborum ac dolorum fulmina obtundit, impetus ægritudinum efferos potenter tranquillat, temperat, infrenat, simulq; omnes postratas vires reficit, omnia viscera & principalia fortificādo, quo natura neruis possit inimicā morbi vim superare & depellere (nā naturæ forti nil resistit, quæ sola triumphat) est summi archiatri arcanum magnum, sine noxa: Sume opii Thebaici drach. 1. succi arantiorum & citreorū an. vnc. 6. cinnamomi, caryophyllorum ana drachmas quatuor; hæc in cucurbita cum cæco alembico contusa insolentur, aut alibi in balneo digerantur ad 12. dies aut circiter, tum expresso liquori addas

moschi

moschi scrupulum medium, ambræ scrupulos 4. croci electi drachmas quatuor. corallii rubri in liquorem redacti, & magisterii perlarum ana sesquiscrupulum; rursus digeratur vt supra q. s. tum addas prædicto, auri quintæ essentiæ etiam sesquiscrupulum, estque completum ad quoscunque dolores internos siue externos, ex quacunq; causa sit morbus (est enim catholicum instar theriaces) reseruetur ad necessitatem. exhibeantur tria grana vel quatuor, liquore soluta, in phrenitide, febribus, podagra, colice, comitiali, ventriculo debili, in comitiali addatur guttula vna vel secunda olei vitrioli & essentiæ camphoræ, quæ extrahitur cum oleo amygdalarum dulcium aut oleo terebinthino. poteris in omnibus ægritudinibus vti, modo dosim non excedas. cōciliat & somnum, visumq; mirum in modum acuit.

Varietas cum hominem delectet, sulphuris vires incredibiles, tam in medicina quam alchymia & aliis artibus, in mediū proferre, non erit alienū a nostro proposito. Est itaq; eius virtus immensa, quippe igneæ naturæ, vt nihil putrescere sinat, neq; viuum neq; mortuum, sed ita corpus conseruet, vt nulla neque influentia nec sideratio, nec vlla corruptio possit illabi aut inuadere; imo si tale quippiam acciderit, vehementer rursus explodat aut dissipet, aut Phœbea vi ilico illud absumat, idq; præcipue suum oleum præstat: proinde veteres studiose indagarunt, atque varios modos commenti sunt huius olei conficiendi & eliciendi. Nam quod sub campana super ignitum ferrum fit, nullo modo dici poterit oleum? sed est liquor acris & corrosiuus, virium tamen expers. sed oleum longe difficilius, cum sulphur sit cremabile, & cito inflammetur, præterea naturæ sit homogeneæ, ideoque natura eius difficulter disparatur,

vt fiat suarum partium separatio ac resolutio. summa itaque industria ad oleum eliciendum op⁹ est, quod ingens est thesau⁹, ad omnes morbos depellendos, & ad conseruationem valetudinis accõmodum, nec non ad metalla tingenda ac maturanda, modo rite sit confectum, vt experientia, ac philosophi prisci attestantur, & ex neotericis Arnoldus de villa noua, Lullius, Geber, Rosarius, Ianus Lacinius Calaber, fol. 105. vbi de sulphure agit. D. Thomas Aquinas in suis Secretis, docens modum olei sulphuris extrahendi decoctione olei lini, quam rationem Paracels⁹ quodam tractatu persequitur; sed a Thoma perfectius ac solidius, licet loco olei lini capiat oleum oliuarum, & coctioni peractæ adiungit tantundem olei tartari, rursusque per triduum in igne recoquit. cætera quæ sequuntur, lector petat ab ipso Aquina. Paracelsus in suis arcanis vbi de natura rerũ agit, a nostro sulphure vulgari tenuiter puluerato vult vt ter vel quater aqua fortis distillando abstrahatur, sicq; nigrum ac fixum redditur, nec amplius fœtet nec inflammatur. Simile etiam in nonnullis manuscriptis libris legitur: hac enim ratione prorsus fixum redditur, licet sint viæ breuiores & paratu faciliores. Obseruandum vt, cum aqua fortis a sulphure abstrahatur, quatuor transuersos digitos emineat, & refundẽdo aquam fortem, postremo ad siccitatẽ vsq; hoc sulphur subnigri coloris, si super marmor ponatur, aut in vitro facile in oleum resoluetur, magnumq; hoc est secretum, ob multiplices eius virtutes, quas omnes quis poterit inuestigare? Vnctione tantum omnia ligna, retia incorruptibilia in æternum reddit, vt nulla inimica vi possint labefactari, siue in aquis, siue extra aquas, siue sub terra posita sint, hiberno siue æstiuo tẽpore, semper integra permanent. Ex his lector subli- miora poterit colligere; præstantius vt illud sulphur

efficiatur, poſtquam, vt dictum, quater vel ter aquã fortem abſtraxeris, ſitq; ſubnigri aut rufi coloris. oportet illud aqua communi edulcare donec omnis fœtoris ac acredinis ſit expers; hoc iam ſulphur vaſe occluſo atq; apto reuerberandum igni (vt artis voce vtar) donec flaueſcat ac tandem rubeſcat. Habes hîc theſaurum incomparabilem, tam in medicina quã in alchymia omnia inſtar ignis, maturat, viuificat atq; calore ſuo perficit; corpus humanum in ſũmam ſanitatis gradum conſtituit. Qui vero vlterius progredi deſiderat, & quintam ſulphuris eſſentiam elicere, & tanquam animam metallorum & formã incombuſtibilem prorſuſq; incorruptibilem (cum ſit tota ignis) hic ſuper ſulphur (vt ſupra dictum) reuerberatum fundat aquam vitæ, vel ſpiritum ſalis communis præparati, aut oleum terebinthinum, vt ad 4. vel quinque tranſuerſos digitos ſupereminеat, ſinatque in digeſtione tantiſper, donec tinctura rubicundiſſima elicita ſit, toties iterando donec non amplius coloretur, quam tandem per balneum mariæ ſeparabis, & tanquam arcanum quoddam ad vſ⁹ prædictos reſeruabis.

Doſis hui⁹ precioſiſſimę guttę ſunt 4. aut ſex eſſẽtia vini aut alia ſtillatitia aqua morbo cõuenienti, in aurora: & conſerua roſarum aut violarum ſi ſit cholericꝰ aut ſi ex calido hepate laboret, cõtinuet medicinam, donec in ſolidum reſtitutus ſit: ſin Verno tempore prædicto modo ea vtatur, ad dies viginti octo, totum hominem in iuuentutem reuocabit, reparatis viribus, & viſcerib. redintegratis, pilis renouatis; in ſumma, ea efficit, quæ dici & vix credi poterunt.

Ad peſtem eſt remedium præſentiſſimum. nam ſi ſumantur quinq; vel 7. guttæ cum aqua nucum (ex immaturis nucibus elicita) aut alia tormentillæ, aut vino, & ſi ad manum habeat, tres guttas olei iuni-

perorum operiatur vt ſudare poſſit, altero die vis veneni abſumpta erit & liberatus: interim tamen ſæpius vtatur cor & viſcera roborantibus, vt tormentilla, electuario de gemmis, puluere coralli, bolo Armeno, conſerua roſarum, lætitiæ Galeni electuario, diarhodon Abbatis, coroneorum miua, ſucco limonum, & aceto in cibo & ſimilibus. Inſignis medicus mihi retulit, anthracem oleo ſulphuris inunctũ ilico ſanari. Idem Albertus Magnus lib. 2. De lapidib. precioſis, ſapphiro attribuit, capit. 1. Nam etiam crudum inſtar auellanæ cum vitello ſumptum, a peſte liberat, quod multoties experientia a militib. comprobatum eſt. Sulphur ſaluberrimum pulmoni eſt, ſi ouo ſumatur, itidem fumus eius, qui & auditui ac memoriæ plurimum prodeſt, & mortuum fœtum eiicit. Illud tamen admiratione dignum, licet puerile ac ludicrum videatur, ſi nummus eo aſpergatur & ſubtus candela incenſa ac admota, vt nummus incaleſcat, confeſtim in duas diuiditur partes. Hęc ad verbum ex Manuſcripto veteri. Vnum adhuc adiiciam de ſulphure, ex lib. decimo, De ſecretis doctiſſimi viri Iacobi VVeckeri, rerum naturalium ſcrutatoris acerrimi; Ex argenti elimata ſcobe, cum argenti viui triplo, igni malagma confice, ac vitreo in vaſe carbonibus inferueſcat, dum illud argenti viui euolet, quo argentum ſuperatur. Inde ſal armoniacus, & viuum ſulphur, ęquali argenti (ſcilicet prædicti) pondere triturentur, ac vitreo in vaſe, duas horas flagrantibus prunis immoretur, dum eius vis ſalem armoniacum, ſulphur inde argentum viuum ſublimet, (id eſt, in altum ferat) & vaſis collo inhæreat: vas frange, & argentum aureo colore inſignitum, ſuiq; ponderis vel maioris ſeruato, talem ilico parato aquam: Romanum chalcanthum, cum duplo rubri Cyprii chalcan-
thi

chi ſtillatitii & optimi, (nam hinc omne dependet) ſic ſal nitri triplo, æruginis parte tertia ac cinnabaris ſexta, & vitreis organis aquam ſtillatim exugito: cuius partes duæ, cum ſeruato argento, per naturalem diem, lento igni bulliant, inde igni aucto, aqua omnis euaporet, & quod in fundo remanet, cum chryſocollæ calce, teſtaceo in vaſe fuſorio accommodetur, ore aperto, & luto obſtructo, colliquationis ignem adhibeto, & habebis. Luteſcit enim argentum maxime, colore numquam cariturum, vel eum permutaturum, vt examinibus omnibus auri expoſitum, coloris parum vel nil amittat. Hæc paucis intelligentibus dicta ſunt. Nemo tamen illotis manibus & citra rerum & praxis cognitionem, ne oleum & operam perdat, rem aggrediatur. Etſi enim hæc ſcientia (quam Stephanus Alexandrinus ſacram appellat) a doctiſſimo Iano Lacinio 44. firmis rationibus vera eſſe (vt & ipſa quotidiana quoque experientia teſtatur) demonſtrat, idem Auicenna, in Porta ſua, Raſis, Auerroes, Geber, Triſmegiſtus, Reuerendus Nicolaus de Cuſa in ſuis ſtaticis, Fallopius in ſuis ſecretis, Fernelius in lib. De abditis rerum cauſis, Marcellus Palingenius in Zodiaco, Aloiſius Marlianus agens de aureo vellere, Comes Mirandula, Petrus Aponenſis, Robertus Vallenſis, Albertus Magnus de metallis agens, Thomas Aquinas in ſuis ſecretis & eſſentiis, Raym. Lullius, Augurellus, Rogerius Baccho, Garlandus in ſua philoſophia, Trithemius in epiſtola ad Brandeburgenſem Elect. Auguſtinus Pantheus in ſua Voarchadumia ad Leonem pontificē, & alii innumeri tā priſci quam Neoterici, omnes vno ore & experimentis aſſeueranter aſſerāt atq; cōprobent eſſe veriſſimā hanc præclarā ſcientiā, tamen quia ab indoctis impoſtoribus & impuris ac

omnium terminorum & rerum ignaris hæc sacra sciētia pertractetur, fit vt ab omnibus pro nihilo ducatur & explodatur. iuxta prouerbium tritum, Scientia non habet inimicum quam ignorantem.

Antimonii seu stibii oleum hoc fit modo: Sume antimonii lib. 1. & sulphuris vncias sex, contrita misceantur, tum simul in olla ponantur operculata & diligenter perlutata, vt null⁹ vapor possit exire, igniq; paulatim calescat atq; candescat, donec sulphur absumptum sit, tum aceto superfuso eodem modo, tantisper detineatur, donec & illud euaporatum sit: his peractis imponatur in retortam luto munitam destillando, prolectabis pulchrum oleum incredibilis virtutis. vtilissimum ad infinitos & deploratos morbos, omnem hominis impuritatem aut per sedem euacuando, aut per sudores, aut vrinam expellendo. Nouos enim spiritus in præcordiis recreat ac producit, iuuenilem faciem reducendo, ingenitum & innatum humorem caloremq; reuocando & augendo. Vulnera, vlcera contumacia vel cancrosa & similia perfecte sanat. Experimentatores asserunt quendam a lepra hoc oleo curatum, qui grato animo 200 aureos dederat. Ali⁹ eodem morbo liberatus huius olei beneficio vt gratitudinem animi erga medicum declararet, dono dedit 800 aureos; alius semimortuus fuit in vitam reuocatus. nec silentio prætereundum pilos mutare canosq; sua efficacia admirabili radicitus exstirpare ac eiicere, nouosque pulchros procreare, & multa alia præstare, quæ cum apud alios reperiantur, superuacaneum duco huc cumulatim congerere. Alia ratio præparandi oleum stibii: sume stibii lib. 1. sacchari candi tantumdem, & adiecta vitæ aqua vt humectetur, digere octo diebus, post destilla oleum rubrum ac diluē;

quod

quod si molesta sit destillatio, pro aqua vitæ substituas aquam communem, vt possint resolui. persistent sic in balneo mariæ circa dies 12. colorabitur aqua, cuius colatæ sumere poteris duo cochlearia absque noxa: prauos euacuabit humores simulque viscera fortificabit, ventriculum, visum ac cætera. hæc de stibio dicta sufficiant.

Auripigmentum si super regionem præcordiorum pendeat, vt Agricola eruditissimus asserit, immunem a contagione pestilentiæ reddit. Aliud præstantius. ℞. Arsenici crystallini drach. 2. auripigmenti rubri drach. 1. argenti viui drach. 1. misce calore leni cum sulphuris drach. 3. semis. cum frigidum sit vngatur oleo iuniperorum & succini, & serico inuolutum aut insutum circa pręcordia pendeat, est amuletum contra pestem præsentissimum.

Idem præstat argentum viuum auellana inclusum, foramine obturato cera Hispanica aut alia re.

Alii hoc vtuntur, Arsenici crystallini vnc. 2. dictami dra. 1. fraxinellæ, croci, ana drach. 2. camphoræ, euphorbii ana drach. 1. redigantur omnia in puluerem, & aqua rosacea gum̃ata q. s. fiat pasta, & ex serico collo pendeat. sunt qui drach. 1 corallii addant.

Thus in ore seruatum valide a pestis infectione tutatur.

Infanti si propinetur oleum amygdalarum cum saccharo, per aluum omnem impuritatē euacuabit.

Si duo aut tria oua in scutella confringas, & ad lectum peste laborantis apponas, videbis venenum ab ouis attrahi, & ægrotum liberari. Hoc pro Secreto a quibusdam traditur.

Si quis etiam ouum recens deglutierit, eo die tutus erit a contagione pestis, etiamsi ægros accesserit.

Res memorabilis, infantes antequam 12. heb-

domadas excedant, si interea temporis, eorum pedes & manus a balneo succo absinthii inungantur, & fortiter infricentur, neque frigore neque æstu, per totam vitam lædi nec molestari possunt. Ceterum si prædicto modo, totum eorum corpus semper a balneo perungatur ac lauetur, neque scabie, lepra, Hispanico morbo, nec pediculis, aut similibus incommodis vnquam infestari, (nisi Deus eos velit punire) res certe admiratione & notatu digna. Insuper hic succus absinthii, cutem efficit nitidam, venustam, membra habilia & decora, nec sinit membra intumescere deprimendo & arcendo tumores ne emineant, neque vltra modum eleuentur, si sæpius eminens tumor obliniatur, impedit quominus membrum & tumor increscat. secretum dignum obseruatione. sanat & vlcera.

Scribit Bellonius in suis Obseruationibus, Turcas solitos, inurere lana (forte oleo imbuta) puerorum capitis verticem, ne vnquam catarrhis affligantur. Simile refert Herodotus de infantum Barbarorum educatione, ideoque perpetuo agiles ac lætos esse. Ferunt si vertex verno tempore, succo portulacæ perungatur & per se siccetur, idem præstare.

Plurimi morbi originem trahunt ex hepate male affecto, & læso, proinde tempestiue illi succurrendum est cichoreo, sonchis, cicerbita, endiuia & similib. Ceterum incredibile, quantum proderit hepatico si ei iecur hœdi aut agni calide applicetur.

Lac etiam caprinum distillatum, si eius aquæ vnc. 4. bis terve in die sumantur, ad miraculum omnia vitia hepatis curat. tabidos plurimum recreat, atq; venenis resistit, facileq; concoctu est.

Pueri si hernia laborent, vtantur in pulte per 40. dies pilosella, curantur, teste Andr. Mathiolo. Idem

præſtat trinitas viola, ſi quis ea per 9. dies in potu & cibo vtatur.

Orminium comminutum quantitate iuglandis, & applicitum vmbilico parturientis, infra horam pariet; tempore vero hiemali, fiat ſacculus ex eadem, & calide vmbilico apponatur.

Picam ſedat in feminis potio aquæ frigidę.

Nihil ita dolores mitigat; ſicut pinguedo hominis.

Variolas & morbillos nihil æque expellit, ſicut decoctio ficuum, ac ne faciem defœdent, lauetur ea aqua roſacea, in qua parum croci ſit diſſolutum, & aliquid etiam oculis inſtilletur.

Ad contuſionem tibiæ cum vulnere, ſtatim ſuperponatur album oui cum ſtupa lini, bis in die remoueatur obligatio, & optime curabitur.

Terra arida ſuper vulnus impoſita, ſiſtit ſanguinem.

Roſa ſiue eryſipelas optime curatur, ſi ſapo diſſoluatur in aqua, & panni linei madefacti in eadem ſuperponantur, & exiccati renouentur.

Puella mirum in modum lichene, ſcabie cancroſa aliiſq; cutis vitiis deturpata, ac miſerrime afflicta, omnibus incaſſum remediis adhibitis, mœrore ac deſperatione ſe conficiens, tali remedio ſanitati reſtituta; ℞. myrrhæ electæ fruſtulatim confractæ lib. 1. & ſucci roſarum expreſſi lib. ſemis, ſimul miſtis eliciatur per cineres aqua; poſtremo validiori igni & oleum elicitur: huius olei inunctione & guttis aliquot in potu ſumptis, ac poſtmodum lotione aquæ vſa, prorſus trium dierum ſpatio conualuit.

Ad inueteratum capitis dolorem, nihil excellentius hoc puluere; Tormentillæ, gentianæ, pęoniæ grana & abrotani ana q. vis, vtere ad drachmam 1.

mane & veſperi. Proderit ad extirpandum hunc prædictum morbum & plurimos alios, ſi ſumatur hellebori nigri rad. drach. 2. ad vnc. 6. vini generoſi, macerentur 10 horis aut circiter, huius cochleare vnum bibatur ad lecti ingreſſum, ad miraculum operatur.

Scrutatores rerum naturalium acerrimi in arcanis habent, ſi quis deglutiat folia hellebori nigri ſaccharo commiſta ad magnitudinem iuglandis, inoffenſam valetudinẽ ad ſenectutem vſq; conſeruari.

Ad dentium dolorem ſubito ſedandum, ſumas allium & thuris drach. 1. myrrhæ tantundem, coquãtur in vino donec craſſeſcãt inſtar mellis, hoc inungantur, protinus ceſſabit.

Item ſi limatura cornu cerui aqua elixetur, & os eluatur, auxilium præſtat validum.

Sanguis item criſtæ galli, remedio eſt dentium dolori & gingiuarum ſi eo inungantur,

Allium aceto vel cum aqua decoctum, ſi eo colluatur os fœtidum, putorem & dolorem tollit, vermes enecat corruptoſq; dentes emendat, ne magis exedantur, ſi trimeſtri ſpacio aut bis in anno iteraueris.

Eſt item potens, præſens remedium ad omne genus dolorum ac vitiorum dentium & gingiuarum, ſi decocto vtaris radicum prunorum ſilueſtrium, nigredine tamen exteriori abiecta, & ex aceto vel cereuiſia fiat decoctio, ea ſi colluas os, omnem dolorem tollit.

Proderit & ad gingiuas putridas acetum ſcylliticum.

Si quis excauatum dentem habeat, qui remedia repudiet, & abhorreat a violenta extractione, nec ferrum ad hoc accommodum, ignitum admittat, is nucleum aut thus igni vehementer calefactum, caute cauo denti bis aut quater indat,

dat, ſedabitur dolor, & ſenſim dens citra dolorem fruſtulatim excidet.

Conſeruantur dentes integri, ſi mane diligenter linteo abſtergantur, deinde ſale leniter fricentur, nec oberit ſi parum ſalis ſub lingua colliqueſcat, tum poſca vel pura aqua lauentur, dolorem ſedari ſtatim ſenties.

Ad idem: Dentes dealbat pumex, ſal vſtus, os ſepiæ, chryſocolla, hoc eſt borax.

Fricatio cortice iuglandis ſi fiat, aut cortice citrei pomi, aut pyrethro, cuius fricatione etiam gingiuæ ſimul & dentes conſeruantur, vt & ligno iuniperi, & perſici. proderit & coralliũ minutim tritum.

Vt crines denſiores & copioſiores creſcant, lauentur lixiuio, in quo elixa ſit radix maluæ, deinde & ſucco inungantur maluæ, vbertim prouenient.

Si pernicioſus vermis aurem inuaſerit, reſoluatur ſal armoniacus in aqua, cuius gutta dimittatur in aurem, morietur, tum facile extraxeris.

Oleum iuniperi ſurditatem emendat in aurem immiſſum; idem pinguedo anguillæ cum oleo amygdalarum amararum miſta & aqua vitæ, ſi ad manum habeas.

Fœtidum anhelitum e ſtomacho prouenientem radicitus tollit eſus panis ſecundarii e furno calidi, fiatque ieiuno ſtomacho per triduum, edat ſic calidum in aqua ſalſa maceratum, quantum placuerit, ſuauem nanciſcetur halitum & appetentiam cibi; nec vero multum oberit etiamſi panis ſit frigefactus, modo aqua ſit ſufficienter ſalſa.

Ad oris puſtulas, teneat plantaginem acutam in ore aut eam mandat, cito curabitur.

Qui vix loqui poteſt, ſumat ſuccum allii cum aceto ac ſimul bibat, expedite loquetur: idem efficit decoctum pulegii in vino vel aceto, ſi eo lingua irroretur.

Pustulas habens in facie rubras, fœniculum contusum commisceat cum axungia; quo vnguento faciem inungat diligenter & leniter, recuperabit pristinam venustatem.

Remedia nonnulla oculorum ex optimis quibusq; medicis collecta; quibus si quis vtatur, visum integrũ ad senium conseruabit. Inprimis abstineat ab aceto & acetosis, acribusq;, vt cępa, sinapi, quia crystallinum humorem, quo visus sustentatur ac fouetur, exiccando, absumunt: mel, lactaria, pinguia, oleum, sal, salita visum prorsus obtundunt. Fumus, ventus, puluis oculos lædunt. Oculis contra conferunt, betonica, rosmarinus, fœniculum, anisum, euphrasia, cuminũ, crocus, grana iuniperi, amygdalæ, baccę lauri, tormentilla, alternatim in cibo atq; potu assiduo sumpta, visum etiam conseruant.

Idem præstat vinum euphrasiæ, vt cotidiana experientia testatur: nam senem noui, qui huius vini beneficio, amissum propemodum visum recuperauit. Huic non cedit vinum cum tormentilla coctum, ac bibitum, quod etiam omnia viscera renouat, roboratque. Item vinum ex rosmarino & valeriana, ideoque Germani Valerianam hortensem, *Augenvvurtz* appellant. Aurifices & similes artifices, particulam radicis eius in ore tenent, vt acutius videant, vt mihi ipsi confessi sunt. Pictores autem vt perspicacem oculorum aciem habeant, ruta in cibo & potu vtuntur.

Ad idem, alii deuorant mane & ad ingressum lecti quinq; vel 7 grana iuniperi.

Aqua distillatitia ex melle, vel albumine oui claritatem oculis præstat, pellemq; & maculas eluit.

Simile remedium efficit, album oui cum rutæ succo, vel cum anagallidis purpureo flore, succo, oculis

culis impositum. Anagallidem purpureo flore Arnoldus appellat Luculam; forte quod lucem oculis adfert.

Augustus Cæsar visus aciem sartam tectam conseruauit, lacteo succo chondrillæ & hieracii, omne oculorum vitium & maculam abstergente.

Aqua etiam ex fragis elicita, si in pelui aliquamdiu stet, virescit, in quam si oculi immergantur, mire eos recreat ac expurgat, næuosque delet. Idem efficit succus centumnodiæ, & semen horminii oculo inditum.

Succus chelidoniæ melle mistus, potenter caliginem tollit, omnemq; obscuritatem remouet. Idem operatur fel suis vel gallinæ, aqua rosarum permistum.

Myristica nux ante pastum comesa visorios recreat spiritus: idem myrobalanorum & chębulorum esus.

Vtendum etiam ad visum conseruandum semel aut bis in mense pilulis lucis, semelque in septimana a cœna, pilulis Ruffi. Ad idem, hoc puluere in cibo vtatur, euphrasiæ, betonicæ ana vnciam 1. rutæ, granorum iuniperi ana drachmas 4. cinnamomi drachmas 2. croci scrupulum 1. tormentillæ vnc. 2. macis drachmam 1. sacchari ad pondus omnium, in cibariis aut pane tosto, vtitor.

Fumanellus catapotia ex castorei drach. 1. & antimonii drach. semis confecta probata ad visum, laudat, & vult ea exhiberi tempore somni.

Collyriũ ad visum acuendũ, cape succi chelidoniæ partes 2. mellis partem 1. bulliant in vase mundo.

Ad idem, si guttula olei lini, mane in oleum ponatur, vel oleum iuniperorum aqua boraginis vel rosarum temperatum.

Sanguinem in oculo & tumorem reprimit thus aqua mistum.

Horminium contusum cum oui albumine, sanguinem, tumorem, & albuginem tollit ex oculis.

Ad sanguinis effluxum & contusionem, cuminum cum cera commistum calidumque superpositum.

Ad contusionem & tumorem facit panis aqua infusus & superpositus, idem præstat agrimonia cum oui albumine imposita. Dolori & pruritui, oui albumen agitatum & impositum.

Ad idem valet, ros e cœlo cadens, cum rutæ succo in oculos immissus.

Ex flore & semine verbasci fiat cinis, ex eo lixiuio confecto, caput lauato, ad recuperandum visum.

Ad idem, Chelidoniæ, euphrasiæ, fœniculi, horminii, rosmarini, agrimoniæ, rutæ, anagallidis puniceo flore, valerianæ ana, aqua destilletur ex iis, quæ in oculos frequenter immissa, deperditum visum instaurat.

Lachrymas sistit oculorum, decoctum fol. persicorum, si eo foueantur.

Ad obscuritatem & caliginem oculorum, bibantur ieiune aquæ betonicæ calidæ cyathi tres.

Oleum vitellorum, delet oculorum albugines.

Puluis aloes albuginem & pannum tollit, item puluis ossis sæpiæ. Idem puluis salis triti, vel tutiæ aqua rosarum præparatæ, idem fel galli, vel vitrum tenuissime contritum, fœniculi succo ad solem ter siccatum in oculum ponito.

Puluis baccarum lauri cum tithymalli lacte impositus, cicatrices delet oculorum.

Ad lippitudinem cum rubore & dolore; albumen oui durum sacchare impleatur & liquor expressus in oculos imponatur.

Puluis ad quascumq; fluxiones totius corpo-

ris cohibendas, abſumendas, valetudinemque conſeruandam, morboſque arcendos: Sumito, cinnamomi, cumini, aniſi, ſeminis aquilegiæ, ſalis vſti, granorum iuniperi, baccarum lauri ana drach. 2. tartari aqua bis ſoluti & coagulati drach. 4. zedoariæ, zinziberis, ſuccini, macis drach. ana 1. croci ſcrupulum 1. tormentillæ vnciam 1. ſacchari ad pondus omnium, vtere in cibo ad quantitatem auellanæ cotidie.

Ex farina ſinapi cum melle fiant paſtilli, qui ſi edantur vocem claram efficiunt.

Strumas abſumit adeps ouillus cum barba Iouis, i. ſedum maius, & miſtus ana, & ſuperpoſitus eſt experimentum.

Ad ſingultum ilico tollendum, ſuccus plantaginis bibatur.

Ex vlcere tumidas mammas curat plantago melle cocta, ac pectori tepide applicata ſemel vel bis; idem præſtat radix fœniculi coctione emollita, pectorique ſuperpoſita calide, mulier citra incommodum ſanabitur.

Cornu ceruile natura valide menſes aſtringit, ſi aqua ſumatur, vel tritum ſolatrum ponat ſuper pubem cum it cubitum, proderit.

Parturiens decoctum bibat pampinorum, facile a partu liberabitur.

Si lac nutrici deficiat, ſæpius veſcatur lactuca; quæ lac admodum in mamillis auget, eritque illi ſalubris.

Vlcera ilico curantur, vnguento ex farina hordei & lacte recenti, ſed aqua diluto, confecto.

Cera viribus balſamum refert, vſus eius ad innumeras vtilitates accommoda, virtutes ſunt immenſæ. Et quia eſt naturæ homogeneæ inſtar argenti viui, habens ſuarum partium firmam vnio-

nem, propterea earum ſeparatio & diſtillatio perdifficilis. fit autem hoc modo: Sumito ceræ flauæ lib. 1. liquefactam ilico effundas in generoſum vinū, & collectam, vt prius, liquefac, rurſus in vinum refundas, hocq; ſepties iterandum; hacq; ratione ad diſſolutionem & diſtillationem præparatam, commiſceas cum Manipul. 1. laterum minutatim contritorum, donec in maſſam redigatur, quam immittas in retortam luto probe munitam. & in fornacem collocatam, igni leni ad horas octo ſuccenſo, conceptaculo ſuppoſito, in quod ſtillatim liquorem & oleum diffundat, quib. horis elapſis augeas ignem, donec peracta ſit diſtillatio. Aqua hæc tantæ virtutis vt linteis ea humectatis, vulneri appoſitis, cōfeſtim ſanet, cuius beneficio magnus capitaneus duorum dierum ſpacio, ex graui vulnere conualuit. curat & ſpaſmum. Oleum eius duritias valide emollit, maxime enim penetrat ac diſcutit: nec vulgare medicamentum eſt ad cicatrices pulchras reddendas, modo poſt aliquot dies a vulneris conſolidatione eo vtaris, ne noua fiat inflammatio. Et facit præterea miracula in doloribus ſedandis, vt podagræ & arthritidis. Summum certe eſt remedium & temperatiſſimum oleum, quare etiam in vulneribus & vlceribus eſt laudatum.

Oleum de cera ſanat itidem crepaturas & fiſſuras labiorum, rimas & corroſiones papillarum, ſubitoque ſanantur, nihilque impedit etiam noctu puerum lactare, dolorem enim tollit. Abſumit inſuper omnia ſuperflua exiccando, maximeq; conuenit frigidis ægritudinibus, & ſi gutta palmæ indatur, ocius totam eius ſuperficiem peruadit, tantæ eſt efficaciæ, poſt relicta ſiccitate, idque momento. Calculoſis etiam plurimum prodeſt & veſicæ frigidæ, & ſurditati e frigiditate prouenienti, mouet & vrinam, paralyticis,

iſchia-

iſchiadicis & contractis neruis valenter inunctione aut potu ſubuenit, vermes omnis generis enecat; dorſi dolores ſedat; corruptum ſplenem reſtituit in integrum; cum armoniaco apoſtemata reſoluit emollitque, gutta naribus iniecta earum obſtructiones reſerat, comitiali morbo laborantem ſubleuat, ac malum mitificat, memoriam cõſeruat, cerebrumque confirmat, dentium dolorem demulcet, vtero eſt ſalutare, menſes promouet, fœtum viuũ vel mortuum educit, venas aperit, concretum ſanguinem diſcutit, pulmonem a craſſis ſuperfluitatibus liberat, cum ſyrupo violarum anhelis ſuccurrit, lacrymas oculorum inhibet, retia ſi eo inungantur piſces alliciunt, ferrum eo inungatur, inſtar ignis ardebit calefactum: dolenti loco infuſum, confeſtim dolor ceſſat mitigatus.

Podagram ac iuncturarum acerbas ægritudines depellit decoctum chamæpityos ex vino, ſi affectus cotidie decocti vnum cyathum bibat mane, omnes tollit dolores, & quartanas & tertianas curat.

Idem præſtat aqua diſtillatitia e radice ebuli elicita, dans auxilium valens ad dolores podagricos, bibendo eam, & lintea in ea tincta dolori admoueantur.

Longe multumque etiam ad podagram chamædrys præſtat, in vino itidem decocta, & bibita, & dolori ipſa impoſita, vel ipſa viridis in fontana elixa iuncturarum ægritudini, ſpaſmo, etiam paralyticis pota medetur.

Affirmant etiam, ſi quis verno tempore iuuenem ciconiam aſſam vel elixatam edat, eum immunem fore ab vniuerſa iuncturarum ægritudine, nec vllo modo moleſtari: tantæ virtutis eſt hæc medicina.

Huic ſimile eſt experimentum, de leporis lac-

tantis ventriculo, & per triduum a laqueari suspenso, podagricus de ea ad quantitatem castaneę, carne friata, edat vino modico, ac sudorem prouocet, eum a podagra liberatum iri, nec reuersuram. reddit eadē medicina hominem a spasmo liberum.

Aqua ex ranis destillata mire dolores articulorum & iuncturarum demulcet, si tempestiue applicetur. Nec desunt qui centaurii aquam vel eius decoctum, laudent.

Dolorem articularem, stercus bubulum cum aceto potenti misto, aut vino, aut ouis crudis, sedat. Ad idem, pillulæ admirandæ in omni dolore articulorum, pulueris chamæpitys drach. 1. olei abietis vel terebinthinæ q. s. sumantur bis in hebdomada.

Aliud ad podagram, oleo decocto, sale trito, locus fricetur læsus; humores enim siccat, si etiam sal coquatur cum rosaceo, aut oleum rubi extremitatibus coquatur aut pruni siluestris, idem efficit.

Ammoniacum, podagrę, arthriticis & ischiadicis vtile est. Ebuli seminis drach. 1. huic ægritudini auxilium adfert, vino generoso sumatur, & si locus liniatur succo ex baccis ebuli expresso.

Prodest etiam chamępitys cum terebinthina lota si sæpius sumatur.

Ad scissuras manuum, mastiche, cera noua & oleo, linito.

Vngues deperditos instaurat semen agrimonię tritum & superpositum.

Impetiginem sanat oleum ex tartaro, item chelidoniæ succus.

Ad scabiem etiam leprosam, cape vnciam 1. & semis triti sulphuris, & axungiæ lib. semis, misce diligenter & scabiem inunge, optime æger sanabitur.

Deficientes animo, pulegium in aceto coctum, si nares eo fricentur, reficit, idem & ad pestem valet.

Ad

Ad morſum rabidi canis, contuſam plantaginem acutam ſuperpone, remedium eſt præſtans & a veneno liberat, ſimulque morſum ſanat.

Aqua & oleum fœniculi, ſtatim ſedant.

Aqua diſtillata ex anguillis, tabidis conuenit & comitiali liberat.

℞ mellis lib. 1. aloes vnciam 1. & ſemis, aluminis vſti & in aceto extincti vnciam 1. vitellos viginti ouorum, terebinthinæ lib. ſemis, coquatur in ſartagine donec nigreſcat. hoc vnguentum carcinomati aut vlceri putrido, admotum, permittasque per vnũ diem, ſegregabit putridam carnem a bona, vt poſtmodum non ægre curetur, vnguento Apoſtolico aut ſimili.

℞ lib. 1. mellis, aceti lib. ſemis, viridis æris vnciam 1. & aluminis vnciam ſemis, coquatur donec vireſcat; ſi hac compoſitione cancroſa vlcera lauentur, mirum in modum ea expurgat & ad ſanitatem deducit.

Oleum dulce ex plumbo extractum, & cum aqua vitæ miſtum, ad miraculum carcinomata curat, incarnatq;. idem præſtat præcipitatum oleo tartari ſæpiſſime abſtracto, vel igni diuturno, edulcatum, huius accipiatur drachma 1. & incorporetur cum vnciis 4. olei ex vitellis ouorum. Vtere.

Vlceribus cancroſis auxiliatur oleum ex vitellis in ſartagine expreſſum, ſi eius drachmę duæ capiantur ac cum drach. 3. mellis roſ. miſceantur, addita aloe, vlcera cancroſa mirifice mundificat, & lana xylina applicatum, perfecte ſanitatem inducit.

Ad curandum cancrum, prius vino calido lauetum ex ſulphure & oleo oliuarum fiat paſta, quam deſtilla caute ne inflammetur, huius liquoris vncias 4. aquæ plantaginis & ſucci cardui benedicti vncias 2. miſce, & in olla parum bulliant, hac confectura inunge cancrum vel fiſtulam, breui curabitur.

℞. aquæ fortis, hoc eſt, ſeparationis, vnciam ſ. & argẽti viui drach. 2. miſceantur, poſtea poſt aliquot horas, hac aqua pluma leniter illinas cancrũ bis in die, magna cũ admiratione caro putris ac corrupta a viua ſeparatur, qua ſublata, apoſtolico poterit cõſolidari.

Vulnus cito conglutinatur hoc vnguento: ℞. terebinthinæ vnciam 1. vitellum 1. & parum ceræ nouæ & ſalis, valenter conglutinat vulnus.

Ad idem, vinum & oleum ana, coque ad medietatem, inunge vulnus, & linteis etiam applicetur.

Vulneratus tutus erit ab inflammatione ſi granorum canabaceorum drachmam edat.

Oleum expreſſum ex granis cotoneorum, vnctione memoriam firmat.

Ad idem, lixiuium factum e cinere rutæ cum aqua roſarum ſi caput lauetur.

Eodemq; modo præſtat oleũ ſinapis & caſtorei.

Cotonea ſi in furno coquantur aliquãdiu; poſtmodum in oleo oliuarum poſita ad 20. dies in aprico loco collocentur, hoc oleo vulnus inunctum, omne venenum elicit & quicquid corruptionis ſit, eſtq; ſecretum. & ſi cochlear 1. huius olei quis bibat, cunctos venenoſos & prauos humores a corde expellit.

Silex ignitus linteis parum madidis inuolutus, & pedibus applicitus, pernicioſos valetudinis vapores extrahit.

Ad hydropem: ℞. liquoris tartari, aquę gentianæ ana vnciam 1. ſpiritus vitrioli guttas 3. olei ſulphuris guttas 4. ſumat aqua theriacali ante ingreſſum balnei, & ſudet.

Veſcantur cerebro porci cum myriſtica & cinnamomo, qui memoriam amiſerunt.

Porcus ſtrumoſus edat 3. vel 4. baccas lauri, eo die glandes non apparebunt, ſed euaneſcent.

Sedem

Sedem benigne laxabit, si quis esitauerit 12. passas lacte detentas donec turgidę fiant, aut in vino sint maceratæ, vel 6. pruna ex aqua turgida comederit.

Si quis, quacumque de causa a medicamentis catharticis abhorruerit, is sumat lib. semis aloes & drachmas 4. myrrhæ, per retortam oleum distillatitium eliciat, quo si ventrem inunxerit, & stupam superposuerit, ter vel quater leniter aluum citra molestiam euacuabit, certe remedium excellentissimum, quo non solum ægris & prægnantibus, si quis moderate eo vtatur, sed etiam infantibus tempore necessitatis, & hominib. delicatis poterit commode succurri; atque æterna dignissimus laude, quicumque huius præstantissimæ inuentor fuerit medicinæ.

Proderit ad concitandam aluum si quis salem ad magnitudinem fabæ, & linteo illigatum, & albumine oui humectatum, pro glande accommodauerit.

Ad idem radix betæ vsui erit, aut particula laridi, vel prunum ex oleo.

Si quis ob morbos diuturnos aut alia de causa languidior factus, quo minus valenter munus suum obeat in penso absoluendo, sequentia poterit remedia adhibere: ℞ anisi drachmas duas, radicem tormētillæ 1. coquantur hæc simul in mensura vini vt tertia pars absumatur, bibat de eo mane, & vesperi a cœna, calide.

Ad idem, bibat vino castoreum & semen erucę. Aliud. Vtatur sæpe conserua florum Rosmarini, roborat mire vires.

Betonicæ drachmam ieiunus edat, aut eius decoctum bibat cum baccis lauri: proderit ad miraculum. Vel, Auellanas & palmulas edat melle: vel horminium cum radice Valerianæ vino sumatur. Item,

sedum maius in lacte caprino diu maceratum decoquas cum vitellis; de hac compositione edat ad placitum.

Caryophyllorum contritorum drachma 1. vescere cum lacte; experieris auxilium.

Item, iusculum columbarum cum pineis & amygdalis decorticatis & adhibito sufficienter saccharo proderit.

Candelæ inextinguibiles hoc modo fiunt: ℞ Ceræ, sulphuris, aceti ana, coquantur ad aceti consumptionem, postea formentur candelæ, quæ accensæ inextinguibiles euadunt. Roscellus.

Si puluis pulegii ad pondus drachmæ bibatur emendat vitium pulmonis, hepatis & stomachi, cinnamomo addito.

Ad vomitum vinum bibat in quo betonica sit cocta.

Qui noctu vrinam non possit retinere, is per triduum, stercus capræ vstum bibat cum aqua communi & liberabitur eo morbo.

Muscas profligat, si ruta melle misceatur, atq; ex eo parietes aspergantur.

Fumus thuris auditui subuenit, idem oleum vitellorum auribus iniectum præstat.

Ad lumborum dolores & tumores phlegmaticos. Habeas patinam aliquam, quæ ab igne non lædatur, eique impone pannum: patinam pone in sudatorium clausum, pannus madefiat aqua vitæ optima, ac postea accendatur, (neq; enim pannus consumitur si aqua vitæ fuerit bona) tum ingrediatur patiens balneum & statim sudabit, calorem enim vehementem facit. Hoc fiat quinquies aut pluries pro ægrotantis viribus, & locus dolens aqua vitæ, in qua flores spicænardi fuerint macerati, bene fricetur, & sanabitur.

Aqua vitæ vel ardens, in qua modicum ſalis immiſcueris, ſi accendatur in patina, extinctis aliis luminibus, mirum quam perterritos reddat homines præſentes.

Rubeſcit etiam cancer viuus hac eadem aqua accenſa, etiam ſale non impoſito.

Lapis ignem fricatione reddens. ℞. Styracis, calamitæ, ſulphuris, calcis viuæ, picis ana drachmas 3. camphoræ drachmam 1 aſphalti drachmas 3 trita ponantur in vaſe terreo optime clauſo ad ignem, donec in lapidem conuertatur, qui panno fricatus, accenditur, ſputo vero extinguitur. Roſcellus.

Noſcendi ratio an mulier ſit virgo integra & intacta, an non: Gagatis lapidis raſura, ſetaceo cribro tranſmiſſa, in tenuiſſimum redigatur puluerem, inde ex aqua vinove hauriatur, ſi ilico lotium retinere nequit, corruptæ virginitatis indicium, eamq; defloruiſſe prodit, ſin ſecus fiat, eam compeſcit, & arctius cohibendi datur facultas. Nec minus inualide, eodem modo, id manifeſtat ſuccinum album.

Ad facile perferendam inediam. Auicenna refert quendam peregre profecturum, libram vnam olei violacei cum adipe miſti bibiſſe, & inediam abſque vlla fame, decem dierum ſuſtinuiſſe. Quod & oleum amygdalarum, ac adipem vaccinum ex viſcedine præſtare, idem tradit Auicenna.

Fame dominante omnium animalium iecur aſſatum in penuria panis ſatiat magis.

Item panis coctus ex amygdalis, & ſaccharo plurimum nutrit.

Legimus quoq; quendam ruinis ædificiorum obrutum, cum nullam vitæ ſpem reliquam haberet, ſeptem dies noctesque, ſola vrina epota, famem & ſitim toleraſſe.

Auicennæ compoſitio contra famem ℞ amygda-

larum excorticatarum lib.1. adipis vaccini liquefacti lib. 1. olei violarum vnc.2. mucilaginis radicis althææ vnc.1. terantur in mortario, fiantq; globuli nucis instar, conseruentur ne calore solis colliquescant.

Iubent etiam ad sustinendam famem sumere obolum essentiæ auri, hoc est, grana decem.

Candela, quæ cum accenditur, agitatur & ambulat: accipe cutem lupi & cutem canis, & fac ex vtrisque licinium, & accende ipsum cum oleo oliuæ & statim mouebitur. Albertus.

Dixerunt philosophi, inquit idem Albertus, si mulier non amet virum suum, tum maritus eius, inungat oleo in quo myrrha & moschus incoctum sit, & opus peragat suum, tũ vxor eum plurimum amabit, & in omnibus obsequiosa erit.

Vt quis noctu secreta dicat: Si vis vt homo tibi dicat & reuelet ea secreta quæ cupias scire, accipe lapidem qui vocatur Quiris, diciturque proditor secretorum, & præcordiis applica, omnia confitebitur. Albertus.

Vt astantes sine capitibus videantur: Auripigmẽtum subtilissime tritum noua olla ex oleo sinas ebullire nec ab re fuerit, si sulphur immisceas, operculo ollæ imposito, ne croceus euolet color, id noua incendes lucerna, & astantes sine capitibus & manibus videbuntur, oculos digito comprimendo, dum candela accenditur, idq; paulisper videbis, vt fieri poterit. Porta.

Ferunt non alia re magis saxa frangi, quam larido accenso. Quoniam ob pingue humidum saliq; admistum, flamma acris diu manet.

Vt homines videantur vultum canis habere: Accipe adipem de aure canis, vnge ex eo parum de bombycino nouo, pone in lampade noua de viridi vitro,

vitro, & pone lucernam inter homines, & cernent vultum canis. Albertus.

Vt homines videantur habere quorumlibet animalium capita: Cape ſulphur viuum & lithargyrium, & iſtis ſimul puluerat is, ſparge in lampade oleo plena, habeantq; candelam de cera virginea, quæ permiſta ſit cum felle illius animalis, cuius caput vis vt videatur habere, tenens candelam accenſam de lampadis igne, & da bibere vinum cum valdimoniæ, & illi qui inde potabunt, videbunt ſe habere caput animalis. Albertus.

Ad arcendos lupos: Quod ſi lupi cauda in villa ſepeliatur, prohibet ab introitu eius lupos, Rhaſis & Albertus.

Vt quis a ſilueſtribus ſuibus ſecurus ſit: Si velis ab incurſu ſilueſtrium ſuum ſecurus eſſe, cancri vngulas ac pedes, pro amuleto alligatos habeto. Democritus.

Ad lepores congregandos: Succus hyoſcyami cum ſanguine iuuenis leporis miſtus, & in leporina pelle conſutus, fertur omnes lepores cõgregare, qui fuerint in eo tractu, vbi ſepultus & humatus fuerit; non ſecus, quam matrix canis, alios canes allicit. Ex vetuſtiſſimo commentario. Et ſunt qui mihi affirmarunt id verum eſſe.

Cerui quomodo ſenectutem renouent. Notum eſt quod cerui renouent ſenectutẽ ſuam, comeſtione ſerpentum: eodem modo phœnix renouatur per rogum quem ſibi conſtruit, & trochiſci viperarum aliquo modo hominis naturam reuireſcere efficiunt, ſi debito modo ſumantur.

Canes ne te deſerant: Exiſtimant quidam, exhibito pane ſub ala contento, ita vt ſudore maduerit, fieri obſequentiores, amantioreſq; domini. Cardanus.

Mures vt fugiant: Si vnico mure apprehenſo caput ipſius excoriaueris & dimiſeris, reliqui fugabuntur. Item mures fugantur hęmatitis lapidis ſuffitu vel vitrioli, & myrica viridi ſuffumigata.

Talpæ congregantur: Talpa fictili incluſa, cum accenſo ſulphuris puluere, ſocias ad ſe euocat alias, cum flebili voce illarum auxilium implorans.

Aduerſus pulices: Si ſanguis vel pinguedo vrſi in ſcrobe aut vaſe ſub lecto ponatur, conuenient in eo loco pulices, ac morientur.

Ad pulices depellendas: Recipe lupinorum fabas, & abſinthium cum ruta, quæ tum in aqua coquantur: qua cubicula inſpergantur.

Ad idem: Aqua in qua colocynthis, folia perſicę, verbena, perſicaria, & coriandrum fuerint cocta. Idem præſtat aqua, in qua argentum viuum fuerit coctum, ſi eius aſpergine irroretur cubile.

Ferunt, ſi centaurea permiſceatur cum melle & ſanguine vpupæ & ponatur in lucerna, circumſtantes apparebunt ſolito maiores.

Ad erucas perdendas: Cape vrinam bubulam & amurcam æqualiter miſta ad ignem, donec ferueant admouebis, & vbi refrixerint, illorum imbre & irroratione, olea & arbores, conſperges, eſtque Anatolii experimentum.

Ad idem. Palladius faſciculos alliaceos ſine capitibus, per omne horti ſpatium, comburit. Aut cancri fluuiatiles clauis plurib. in locis affigantur, aut vel arborum ramis ac cornibus paſſim ſuſpendantur, ab olerib. erucæ arcentur, ſi aqua inſolationis dierum decem, cancrorum vel pagurorum olera irrorentur.

Ad idem. Naſci quoque prohibentur, imo vero præſentes collectim perduntur, ex Græcorum obſeruatione, ſi aliquot, de vicino horto ſublatas, in

aqua

aqua cum anetho coxeris, eaq; perfrigerata, herbas aut arbores resperseris, quæ nidulantes erucas, & ad fœtum incubantes sustinent. Sed cauendum erit, ne aqua illa faciem vel manus contingat. Porro remedium certum, ac paratu facile erit, si circa arborum brachia ac ramos bitumen & sulphur incendas, vel galbanū, caprarumve vngulas, aut ceruinum cornu, a venti flatu auersus, comburas. Sunt qui cinerem vitigineum per triduum in aquam mittant, quo postea olera, & arbores, copiosa aspergine lustrant.

Ad idem. Rustici apud nos, paleis intortis arborum truncos armant, & crura coronant: quibus summa arborum petentes erucæ implicantur, ac veluti, obiectis laqueis & compedibus, vel profligantur, vel sic a cœpta via actutum reuocantur. Ceterum si cuncta animalcula oleribus arboribusq; nocentia perdere voles, Diophanum Græcum ausculta. Ventriculum veruecis recenter mactati, & suis adhuc sordibus excrementitiis plenum diligenter tibi comparato: cumque spatio illo, quo bestiolis scatet hortus, terra leuiter adobruito. Peracto biduo, erucas & animalcula gregatim congesta reperies, quæ enecare vel eo loco defodere poteris: id cum bis, vel ter feceris genus omne quod nocebat, extingues. Nostrates hortensium coloni, arte admodum facili, erucas hodie sic expugnant: Vbi apricis locis, illæ post pluuias insederunt, matutinis horis, frutices olerum, aut ramos arborum succutere solent: sic enim dum adhuc nocturno torpent frigore, facile decidunt, nec amplius ad superiora perreptant: præbentq; occidenti viam admodum pronam, ac præsentem.

Ad talpas profligandas: Recipe helleborum album cribratum, & cum polenta & ouis rigatum, vinoque & lacte subactum, in offas & pastillos cogas,

ac eos in talparum cauernas immittas. Rusticis satis est, sambuci ramum foliaceum defixisse. item cynocrambes corticem, hoc est brassicæ caninæ, vel eius folia axungia contusa, cauernis talparum indas.

Ad perimendas muscas: Veratrum cum lacte, aut sapa auripigmento addito maceratum & respersum, muscas perimit. item eas nidor sulphuris, picis, rutæ, eruginis, amurcæ, & styracis suffitus omnia ferme insecta pellunt. Si quis vero succo foliorum cucurbitæ, mularum aut equorum pilos intinxerit æstate media, non paruo rei miraculo, muscarum molestia carent. Cardanus. Nec boues infestabunt, si lauri fructum oleo incoctum, ipsis illines. Ex toto autem brutis non insidebunt si leonino adipe illinantur.

Quod si muscas quoq; e domo depellere velis, sumito saturegiæ, foliorum sambuci, cumini ana quantum satis est, misceantur & coquantur in aqua, qua cum domus, vel cubicula aliquantulum madefacta fuerint, muscæ euolabunt omnes, verum nihil cibi eis permittendum, ne eo allectæ, odorem contemnant. Alexius.

Ad culices: Si spongiam acri aceto imbutam a capite suspenderis, culices te non contingent. Fugabis eosdem, rutam madefaciens & domum respergens.

Vt mulier concipere valeat: Sumantur specierum diamargaritonis, specierum diarhodon Abbatis, singul. drach. 1. electuarii de gemmis scrupul. 1. coralliorum rubeorum, linguæ auis, satureiæ, rasuræ eboris singul. scrupul. semis, fisticorum electorum & in aqua rosacea præparatorum vnc. 1. semis, sacchari electi vnc. octo, ex aqua melissæ & cichorii excepta, in frusta conficito, dentur drach. 2. mulieri, semel in die, decem continuis diebus cum vino odorato, quibus & vino abstineat.

Ad

Ad idem; Leporis matricem aſſam terito, & da mulieri cum vino in balneo, & poſtea viro coniungatur. Idem operatur ſilei montanum.

Vt ſemen retineatur, impleatur teſta oui colophonio drach 1. maſtiches drach 2. & calida vmbilico ſuperponantur, quoniam matricem fortificant.

Ad idem vnguentum; Cape olei myrtini vnc 3. olei roſati vnc. 1. ſuccini, raſuræ eboris, cornu cerui, coralliorum rubeorum, boli Armeni, thuris, ſingul. drach. 2 ceræ drach. 3 hoc ſpatulæ, dorſi ſpina & renes inungantur.

Carnes conſeruantur: Si clauus ex ære conflatus carnib. infigatur eas a putredine illibatas, vi ſulphuris & ſtiptica facultate diu conſeruat, vt experientia certa foſſores metallorum nouerunt.

Vt piſces charta frigantur: Ex charta ſimplici frixorium vas efformato, ibi oleum & piſces, ardentibus prunis, quibus flammæ deſunt, imponantur, & citius & commodius expediet. Nec ſuperpondium addere obfuerit.

Vt braſſica non coquatur: Si ferueſcenti & ebullienti braſſicæ paululū vini quis inſtillauerit, non amplius coquetur, ſed ſuis viribus defuncta, mutato colore, corrumpetur.

Rhabarbarū vt diu conſeruetur: Cera ſi quid aliud medicamētorum vires ſeruat, aërem enim prohibet, humectat moderate, proinde conſtat Rhabarbarum non alia re melius ſeruari, etiam ad annos viginti.

Ad ceram rubeo colore tingendam: Recipe ceræ lib. 1. terebinthinæ vnc. 3. cinnabaris bene triti ritu pictorum. olei cōmunis, ana vnc. 1. liquefiat cera & terebinthina ad ignem, demum remoueatur, & poſt refrigerationem, addatur oleum & cinnabaris, beneq; ſimul miſceantur, & ſeruetur.

Color viridis ad ſcribendum. Recipe floris ęris probe contriti quantum ſufficit, lithargyrii, argenti viui ſing. ana, terantur & miſceantur ſimul cum vrina infantis, & habebis colorem pulcerrimum, ſmaragdo ſimilem; ad miniandum & ſcribendum.

Literæ aureæ ſine auro. Sumito croci triti, auripigmenti optimi ſingul. partem vnam, miſceantur cum felle caprino vel lupi piſcis, quod melius, aut ſucci chelidoniæ, deinde cū in vaſe aliquo ſub fimo poſitum aliquandiu ſteterit, auferatur & conſeruetur liquor ad ſcribendum, pingendum, & habebis aureum colorem pulcherrimum. Habes & alium modum apud Mizaldum Centuriæ 1. Aphoriſmo 46.

Ad vernicem faciendam, citra ignis beneficiū, pulcherrimam, qua omnia opera, auro & coloribus infecta, & ſine coloribus, illuſtrantur: Recipe belzoinum inter duo folia papyri contritum optime, idque in ampulla ponito, ac tantum aquæ vitæ ſuperfundito, vt ad tres aut quatuor digitos emineat, croci capillos quinq; aut ſex craſſe contuſos aut integros, & relinquatur per vnum aut duos dies. Quod cum factum fuerit, coletur, quo, cum opera inaurata illuſtrare volueris, penicillo illa illines, & fient ſplendida & pulcherrima. Hæc materia cito ſiccatur, atq; ſiccata diu durat.

Quod ſi argenti folia conterere voles, id cum ſale fiat ſecundum artem. Quæ argentata ſi illuſtrare voles, ſumito medullæ belzoini; nempe partes illas albas in medio belzoini conſiſtentes, quantum ſatis eſt, addendo tantum aquæ vitæ, quantum ſupra dictum eſt, crocum autem non adhibebis. Hoc gummi, hoc eſt vernice, poſſunt illiniri varia, ſiue picta, ſiue non, vt menſæ, capſæ præſertim ex hebeni, aut nucum ligno, item coria, ſiue auro obducta, ſiue non,

quo-

quoniam nō ſolum lucida efficit, verumetiā colores conſeruat. Præterea cum ſtatim exiccetur, neq; pulueres neque alias ſordes admittit, quæ vel panno, vel cauda vulpina, abſtergi atq; auferri nequeant.

Ad picturas illuſtrandas: Recipe, reſinæ craſſæ & albæ, lib. 1. gummi vnc. 2. terebinthinæ Venetæ vnc. 1. olei lini vnc. 2. Reſina primo ad ignem liqueſcat & coletur, deinde gummi in oleo communi ſinatur, donec molleſcat, quod cum fuerit percolatum, miſceantur omnia ſimul, & coquantur igne perlento, miſcendo continuo, quouſque rite omnia fuerint permiſta, & ſeruetur ad vſum. Hac miſtura, ſi pictura aliqua munda illinita fuerit, pulcherrima ſplendidaque euadet.

Quomodo in tenebricoſo loco aut cubili, quæ foris a ſole illuſtrantur, cum ſuis coloribus conſpicias: Si quis id videre affectarit, feneſtras omnes claudere oportet, proderitque ſi ſpiramenta quoque obturentur, ne lumen aliquod intro irrumpens, omne deſtruat. Ac ſit foramen vnum tantum, rotundæ pyramidis formam habens, cuius baſis Solem, conus vero cubiculum aſpiciat, e regione, parietes albos, vel linteis vel papyro obtectos, oppones. Sic a Sole illuſtrata omnia, & deambulantes per plateas (vt antipodes) ſpectabis, quæ dextra, ſiniſtra, commutataque omnia videbuntur, & quo longius a foramine diſtabunt, tanto maiorem ſibi aſciſcunt formā, & ſi ad papyrum, vel tabulam appropinquabis, ea viſuntur maiora. Aliquantiſper tamen immorando, non enim ilico ſimulachra apparebūt. Quia ſimile validum maximam cum ſenſu efficit ſenſationem, & nonnunquam talem inuehit affectionem, vt non ſolum cum ſenſus agunt, ſenſoriis inſint, eaque laceſſant, ſed etiam cum ex operibus diſceſſere, diutius immorentur;

quod liquide poteſt perſpici. Nam per Solem deambulantes, ſi ad tenebras conuertimur, comitatur nos affectio ea, vt nihil vel ægerrime cernamus, cum adhuc in oculis ſeruetur affectio ipſa à lumine facta, inde paulatim euaneſcēte, clare in tenebris aſpicimus. Nunc autem enunciabo, quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui, vt Omnia cum ſuis coloribus videre, ſi quæritur: E regione ſpeculum apponito, nō quod diſgregando diſſipet, ſed colligendo vniat, tamdiu accedendo mouendoq;, quouſq; ad ſuam veræ imaginis quantitatem cognoueris, debita centri appropinquatione, & ſi attentius perpenderis inſpectator, vultus, geſtus, motus, hominumque cognoſces veſtes, cœlum nubibus diſperſum, cyaneo colore, & volantes volucres: quod ſi ad verum perueneris, non parum lætaberis, mirumque cognoſces, obuerſa omnia, quæ centro ſpeculi vicina ſunt: ſi enim extra centrum elongabis, maiora erecta, vti ſunt, conſpicies. Vt clarius appareat, feriat Sol vultus, ſin minus, ſpeculum dirigendo ſolis reflexione eiaculetur, vt inſigni fulgore illuſtretur, debita tamen diſtantia, tandiu ſitum variando, dum verum te aſſecutum eſſe cognoueris. Hinc philoſophis & medicis patet, quo fiat in oculis viſus loco, ac intromittendi dirimitur quæſtio ſic agitata, nec alio præſtantius vtrumque artificio demonſtrari poterat: intromittitur enim idolum per pupillam feneſtræ inſtar, vicemque obtinet, ſpeculi parua magnæ ſphæræ portio, vltimo locata oculi: quod ſi quis diſtantiam menſurauerit, centri loco fiet viſus, quod ſcio ingenioſis maxime placiturum.

Agrippa hoc ſecretum magnum breuiter his verbis & recte perſtringit: Sic fiunt ſpecula, alia conᴄaua, alia columnaria, facientia rerum ſimulachra in

aere

xere, remotis extra se spatiis, velut vmbras videri: cuiusmodi Apollonius & Vitellius in suis libris De perspectiua & speculis docuere. Et legimus Pompeium Magnum, speculum quoddam ex oriente Romam attulisse, in quo armatorum conspiciebantur exercitus. Et noui ego (inquit Agrippa) fabricare duo specula reciproca, in quibus lucente sole, omnia quæcumque illius radiis illustrantur, per remota plurium miliarium spatia, euidentissime cernuntur. Nec desunt, qui prædicta specula, quo res fiat magis perspicua, e singulari metalli genere conflent, ac peculiari liquore oblinent. sed de his satis. Poterit tamen ingeniosus, vel in rebus bellicis vel aliis, necessitate vrgente si velit, eis vti.

Rosæ vel flores caryophyllorum, quomodo auro insigniantur: Accipe salis armoniaci quantum satis esse videatur, teratur super marmore cum aceto, & pauco saccharo quod candidum vocatur, & ad vsum seruetur. Quando autem vti voles, sumito rosas vel violas quarum folia ita cera applicato, vt prorsus plana conspiciantur: deinde super ea pingito quæcumq; voles prædicto liquore, & relinquantur sic per horam vnam vt siccescant. Quo facto, auri vel argenti folia superaddito, & bombyce leuiter comprimito, sic quod affixum non erit, abstergetur, & quæ picta volueris, expressa belle cernentur.

Modus faciendæ purpurinæ, quo colore aureus color, ad pingendum & scribendum, conficitur: Sumito stanni igne liquefacti lib. 1. cui adde, si ab igne remotum fuerit, argenti viui vnc. decem, continuo miscendo, demum sulphuris contriti, & salis armoniaci triti ana lib. 1. misceantur omnia optime, & terantur in mortario lapideo vel ligneo, non æneo: deinde ponantur in cucurbitam vitream magnam, di-

gitos duos supra materiam luto inductam, & coquantur in fornace, primo igne perquam lento, deinde aucto, miscendo aliquandiu baculo, donec flauum colorem assumant. Quo facto, auferatur ignis & deferuescere permittantur, & sic habebis purpurinam pulcherrimam, aureo colore infectam, quæ ad vsum hoc præparatur modo: Recipe purpurinæ quantum volueris, ponatur in catino cum vrina, aut lixiuio digito miscendo & macerando bene. Quod cum factum fuerit impleatur vrina, vel lixiuio, & relinquatur donec residuum faciat: deinde rursus maceretur, mutando vrinam, vel lixiuium toties, donec aqua, vel vltima vrina lucida euadat, deinde sensim coletur vrina: materiæ vero reliquę addatur parum croci cum aqua gummata, in qua crocum resoluatur, & fiat liquor ad scribendum miniandumque.

Dicitur ferrum cum quo homo occisus fuit, mirandam inter veneficia vim habere: nam si fiant ex eo morsus equi, calcaria, ferunt cum eis omnem equum vel ferocissimum facillime regi & superari & infrenari. Et si ex eo ferrentur equi pedes, ferunt ipsum velocissimum fieri, & omnes celeritate superare, nec vlla labore defatigari.

Volunt præterea etiam, si quis gladium, cum quo decollantur homines, vino immergat, quicunque de hoc æger biberit, liberatur a febre quartana.

Dicunt etiam, poculum ex vrsino cerebro confectum, & ex eiusdem craneo propinatum, vrsinam rabiē inducere, ita vt homo ille, qui biberit, se in vrsum trāsfiguratum putet, omniaq; visa, sub vrsorum specie diiudicet, & sic in illa rabie perseuerare, quousq; poculi vis fuerit resoluta, nullo alio malo in cōplexione sua inde percepta.

Præterea dicunt certis suffumigiis, quædam animalia congregari vel fugari: sic e summo gutture cerui vstis ossibus, congregari serpentes, cornu vero ceruino suffito, fugari.

Similiter accenso pulmone asini, venenata omnia fugere. Vngula vero equi, vel mulæ, suffita in domo aliqua, effugari mures.

Tradunt quoq;, quod si suffumigetur domus aut locus aliquis cum felle sepiæ, confecto cum thymiamate & rosis, & ligno aloes, si tunc proiiciatur in loco illo aliquid de aqua marina, aut de sanguine, videbitur tota domus plena aqua, aut sanguine: & proiiciatur ibi terra arata, videbitur terra tremere.

Vapores autem eiusmodi corpus aliquod afficere & virtutem huic infundere, atq; diutissime perseuerare non secus arbitrandum est, atq; contagiosus aliquis, aut venenosus pestilentiæ vapor etiam vltra biennium in pariete domus seruatus, habitantes inficit, ac qualis ex epidemia, vel lepra, latens in veste calamitas diu, postea inficit vtentem.

Augustinus quoq; perhibet, se in Italia audiuisse, mulieres esse veneficis artibus adeo imbutas, vt dato caseo, statim homines conuerterent in iumenta, quæ necessaria portarent, & boum finito opere, in hominem iterum restituerent.

Mulieres vt lotium compescant sic possumus: Exstat in pastinacæ piscis cauda aculeus quidam, quo nil in mari execrabilius esse auctores scribunt, mira operans multa; inter hæc id retinet, si mentem adhibes, mollis vbi terra vel horti fuerint, ac meit vetula, ilico ibi aculeum defigens vt totum abscondas, tamdiu ei lotium prohibebis, quamdiu scrobe effossa detrahes: pauculis enim immoraberis diebus, & extemplo meiet. sic vetulis sæpe iuuenes vrinam retinent, si alicuius vsum interdixerint. Ioan. Bapt. a Porta.

Oua ne comedant gallinæ: Oui candidum euacuetur, ad vitellum autem, hoc est croceum oui, gypsum liquidum infundatur, vt in testæ duritiem transeat. Etenim vbi a gulositate stimulabuntur, & nihil amplius reperient, cito abstinebunt ab ouorum vastatione. Florentinus.

Gallinæ vt magna pariant oua: Si cupias vt gallinæ magna tibi pariant oua, rubricam dissolutam cibo earum admisceto & maiora oua gignent. Item magna oua parient tibi gallinæ, si testem laconicam tusam furfuribus & vino miscueris, & subacta gallinis obieceris. Leont.

Ad mammas cohibendas ne nimis augeantur, & ad laxas, procidentesq; contrahendas: Aqua epineis nucibus immaturis, linteis foris apposita: idem aqua stellarię cum hypocistide: eadem hęc locos muliebres adstringunt sic vt earum diutina iniectione, corruptę ab incorruptis dignosci vix possint. Hieron. Rubeus in lib Distillat.

Mammarum inflammationes curat aqua lenticulæ palustris pota, & foris, linteis madentib adhibita, quæ & omnibus prodest inflammationibus.

Ignem ex poculo aquæ pleno conspicere: ℞. ouum gallinæ, a quo vitellum vna cum albumine fuerit exemptum, & imple sequenti puluere: Accipe sulphuris viui, calcis viuæ ana q. s. redigantur in puluerem, & in prędictum ouum ponito, foramen cera obturato. Cũ ignem ex eo videre voles, in poculum aquæ plenum ponito Gabr. Fallopius.


Theodorus Gaza villicum in Apulia habuit, qui curabat fundum pertinentem ad sacerdotium, quod Gazæ Nicolaus V. pontifex dederat. Is dum terram aratro proscindit, casu effodit vrnam, quam in agro reliquit. Reuersus domum noctu spectrum videt, a

quo

quo iubetur se sepelire, quod nisi faceret, fore vt ipsi filius sepeliendus esset. Id cum negligeret villicus, filium insequente luce amittit. Admonetur per somnium denuo, vt suum in agro sepulchrum aratro violatum tegeret, aut altero filio priuaretur: qui cum in morbum subito incidisset, villicus ad Theodorum, tum ubi forte rusticantem, rem territus defert: qui cum eo in agrum profectus, vrnam inuenit, & terræ mandauit condere: villici filio pristina valetudo redditur, nec ipse a spectro amplius vexatur. Hoc factum cum eruditis amicis Romæ Theodorus recitasset, sermonem illo Propertii versu conclusit. Sunt aliquid manes lethum non omnia finit. Ex lib. Caspar. Peuceri De præcip. gener. diu nat.

Recitat & Agathius historiam de philosophis quibusdam ex Græcia in Persiam profectis visendi Chosthois regis gratia: hi cum pertæsi luxus Persici redirent in Græciam, quodam die incidunt casu in cadauer recens, quod iacebat pone viam inhumatũ. viso eo consternati, & moti misericordia, statim id inde sublatum, sepeliunt. Quiescentibus noctu, visum est astare spectrum, & mandare vt quod inuenissent, insepultum cadauer, relinquerent inhumatum. Terram matrem omnium non admittere intra gremium talem qui matrem suam constuprasset. Postridie reuersi illi ad sepulchrũ, cadauer a terra reiectum & nudatum reperiunt.

FINIS.




HARMONIA CÆLESTIVM CORPORVM ET HVMANORVM,

Dialogis vndecim aſtronomice & medice per Anton. Mizaldum Monlucianum elaborata & demonſtrata.

AD ANTONIVM OLIVARIVM Lumbarienſium antiſtitem eximium.



FRANCOFVRDI
Ex officina typographica Ioannis Wecheli,
M. D. XCII.



ORNATISSIMO VIRO, ANTONIO OLIVARIO, LVMBARIENSIVM ANtistiti eximio, Antonius Mizaldus Monlucianus S. P. D.

EQuidem in ea ſemper fui ſententia, ornatiſsime idemque humaniſsime Antiſtes, vt felices eos exiſtimauerim, quibus per fortunæ clementiam conceſſum eſt bene de ſe merentibus parem gratiam remetiri: feliciſsimos rurſum eos, quibus vt libet, ita licet accepta beneficia cum fœnore aliquo rependere. Quæ duo quum hactenus mihi deeſſe cognoſcerem, & iugi meditatione mecum repeterem, quantum pietas tua in me, nihil tale promeritum, contuliſſet: circũſpiceremq́ quonam modo ſignificationem aliquã grati ſaltem & memoris animi tibi exhiberem, neq́ in tanta fortunarum mearum tenuitate quidquam occurreret, quod vlla ex parte, non dicam tuis meritis, ſed ne quidem animo meo, vel tantillum reſponderet: tandem viſum fuit quoſdam imitari homines non ruſticos, inquam (qui modo floſculo quopiam inſigni, modo eleganti auicula, nunc caſeolo, alias piſciculis, quandoque pomis & nucibus, aut alio ſimili ſymbolo, voluntatis ſuæ propenſionem iis teſtificari ſolent, quibus ſunt obærati) ſed plebeios & pauperculos: qui cum ſuis creditoribus ob rei familiaris anguſtiam ſoluendo eſſe non poſsint, ſponſores illis vltro adducunt. In iſtorum itaque fragili nauicula cum vento ſiniſtro me quoq́ hodie nauigare intelligerem, tantiſper dum fortuna, imo vero Minerua blandius afflaret, meritorum erga me tuorum ſponſores duos, ÆSCV-

LAPIVM & VRANIAM, tibi candide proferre non sum veritus. Hos, nisi valde fallor, gratissimos habiturus es: vel ob id vnum, quod illustrissimæ OLIVARIORVM genti familiares semper fuerunt, ac dilecti. Si quando illos ante tuum conspectum, animi gratia, prodire patieris, de rebus cœli & medicinæ, fortassis non inepte, colloqui obseruabis, atque ex mutuo eorum colloquio, harmoniam quæ humano corpori cum cœlis est communis, pro insigni tua eruditione facile iudicabis: agnoscesque Dei Opt. Maximi sapientiam, virtutem ac prouidentiam in vtroque corpore, cœlesti, inquam & humano, æqualem (vt noster habet Galenus) per omnia relucere. Vale doctissime atque humanissime Antistes, & Mizaldum tuum, siquidem dignum ducis, amare perge: tibique persuade illum & studio, & officio, apud te cessurum nemini. Lutetiæ Parisiorum, pridie natalis B. Ioannis Baptistæ. 1555.

ORONTII



ORONTI FINÆI LVTETIÆ Regii Mathematicarum professoris & il-lustratoris, in ἀνθρωπ ὄργανον ANTO-NII MIZALDI, ἀναφόρημα ad candidum Lecto-rem.

QVantumcunq; voles, Lector, mirare labores
Herculis: est sane quod mage suspiciam.
Quantumcunq; voles, septẽ miracula mundi
Mirare: est sane quod mage suspiciam.
Quantũcunq; voles, hortos mirare superbos
Hesperidum: est sane quod mage suspiciam.
Suspicio & miror nostro cũ corpore summis
Quidquid inest cælis nocte, dieq; geri.
Suspicio & miror cœlos in corpore viuo
Claudi: MIZALDO, si petis, artifice.
Suspicio & miror suprema latere sub imis:
Et contra: paucis vt liber iste docet.
Qui, si conciliat viuentia corpora cælis:
Non menteis poterit conciliare sibi?

VIRESCIT VVLNERE VIRTVS.

HARMONIA CÆLESTIVM CORPORVM ET HVMANORUM, Dialogis vndecim astronomice & medice per Anton. Mizaldum Monlucianum elaborata & demonstrata.

DIALOGVS PRIMVS, QVI VELVti parasceue quædam est ad præsentem harmoniam. Collocutores sunt Æsculapius & Vrania.

ÆSCVLAPIVS.

QVid ita properas, Vrania, tanto sudore diffluens, & vix respirans? VRAN. Opportune tu quidem, o Æsculapi, opportune, inquam. nam ad te ibam. ÆSC. Hem, magnum aliquid esse oportet ac serium: neq; enim cælos tuos temere relinquis: quare, paucis (obsecro) mihi expedi quid nouæ rei emerserit. VRAN. Dicam breuiter & aperte. Patruus ille tuus Mercuri⁹ Deos omneis cælesteis hodie in consiliũ coegit: quib. facunde (vt solet omnia) exposuit, se trib. orbis terrarum partib. ex illorũ mandato peragratis, inuenisse omneis pene mortalium res summe afflictas, turbatas, & exagi-

exagitatas esse: vniuersumq; microcosmum ferro,igni,prædæ,rapinis, dolis & inenarrabilibus malis expositū esse: periclitariq;ne breui etiã fame ac peste totus exhauriatur,ni a macrocosmo mature illi auxiliares radii affulserint. ÆSC. Miranda hercle,imo vero miseranda potius mihi narras,Vrania: a qua & peto & expecto quid super ea re in diuino illo cœtu decretum fuerit. VRAN. Ibi diuûmq;, hominumque potestas Iupiter Opt.Max. auus tuus ad omneis deorum ordines conuersus, dicite (inquit) o superi,per vestra omniū numina,dicite vnde hodie tam turbulentus ac inquietus hominū status? Dicite quis tam grauis morbus mortaleis inuasit, vt sui cõpotes esse non possint? Ad hæc vnus aliquis ex tempore respondit,capita eorum laborare: & ob deprauatam phantasiam delirium pati: proindeque pessime ratiocinari ac intelligere: sensusque ac motus a capite pendentes ob id errare. Alter censuit non solum capita, sed & corda etiam affici: in quibus irarum, discordiarum, ambitionum & furorum latent seminaria. Alius in hepate vitium esse pronuntiauit: in quo concupiscentiæ & appetituum est sedes. Nonnulli contra, vniuersum corpus valde ægrotare dixerunt. Quorum sententias cum attente audiuisset Iupiter,visum ei fuit, Æsculapi, vt sedulo in orbem terrarum descenderes; & artis tuæ (medicæ nimirum) præsido fretus,ibi ad vnguem explorares, quisnam morbus homines ad has nequissimas insanias hodie moueat: & quibus maxime partibus microcosmus laboret. Verumenimuero,quia ille idem

Iupiter re vera credit, & serio affirmat diuinã cœlestis ignis particulam, imo vero æthereum radiolum, & auræ sidereæ spiraculum quo nascentes homines & viuentes quotidie illustrat ac vegetat, vitiorum fęce obrui, languescere & obtundi (fieriq; inde, vt nec cor, nec caput vni reddatur formæ, actionesq; vniuersi corporis in vsus a propriis & solitis longe diuersos degenerent) vt id accurate obseruarem, me tibi comitem dari voluit: iussitque vt ea de causa ad te propere venirem: quare vbi voles, Æsculapi, mandata explebimus, ac nos itineri opportune committemus. ÆSCVL. Prouinciam sanequam duram ac difficilem mihi a superis imponi video, Vrania: vereorque ne pro dignitate & officio illam satis cõmode tractare possim: cum ob multa, tum quod hodierni homines & victu & motibus latissime recedant ab iis qui meo seculo vixerunt: causas alias probabiles certe ac numerosas, omitto: vnde fit vt artis meæ præsidia hic infirma esse reformidem. VRANIA. Bono animo esto, Æsculapi: deorum filiis in manibus sunt omnia. Age itaque, iter faustis auibus ingrediamur: quod quia longum est ac difficile, vt eius tædia fallamus, narrationem aliquam de re graui (si placet) instituemus. ÆSCVL. Potes pro tuo iure quidquid voles a me petere ac impetrare: modo id sit artis meæ: hoc est medicæ facultatis & artificii: humanorumque corporum structuram & opificium agnoscat. VRANIA. Quando ita tibi visum est, Æsculapi, huic nostro colloquio fores aperiam a diuina illa tui Galeni

sen-

ẽtentētia & autoritate. Μὴ (inqui) θαυμάσῃς ὅτι καλὸς ἥλιός τε καὶ σελήνη, καὶ τῶν ἄστρων ὁ χορὸς ἅπας διατέτακται· μηδ' ἐκπλήξῃ σε τὸ μέγεθος αὐτῶν, ἢ τὸ τῆς κινήσεως ἀκατάπαυστον, ἢ τῶν περιόδων αἱ τάξεις, ὥστε τὰ τῇδε παραβαλλόντα μικρὰ δοκεῖν εἶναι, καὶ ἀκόσμητα· καὶ γὰρ σοφίαν, καὶ δύναμιν, καὶ πρόνοιαν εὑρήσεις ἐνταῦθα, &c. Latine dicam, Æsculapi, etsi te πάνφημον esse vere intelligã. Ne admireris (inquit) quod pulcer sit Sol & pulchra Luna: adhæc ꝙ chorus omnis astrorum miro artificio digeratur: neq; etiam te stupore perfundat illorum vel magnitudo, vel splẽdoris venustas, vel irrequietus motus, vel circuitionum ordines, ita vt quæ deorsum posita sunt (cuiusmodi est humanum corpus) si illis conferantur, parua & abiecta esse videantur, suoq; ornatu ac dignitate carere. Nam conditoris sapientiam, virtutem ac prouidentiam hic quoq; relucere inuenies: & (ꝙ paulo post addit) opificis artem in vtroq; ęqualẽ. Hactenus Galenus medicorum sane omniũ, si gentilem illum tuum Hippocratem excepero, Coryphæus & antesignanus. Qua sententia quid proponat non video: nisi fortasse velit intelligere humanum corpus quandam cœlorum imaginem præ se ferre, & suam contemplationem perinde atq; cœlũ habere, ob magnũ cõsensum, societatem & harmoniam quam cũ illo agnoscit, gerit, ac sustinet. Nam & hominem, vt ibidem scribit Galenus, veluti paruum quẽdam mundum esse aiunt viri ve-

Galenus lib. 3. de vsu par. corpo. hum.

teres naturæ periti. Quæ res, quia mihi nondũ est audita, nondum demonstrata, nondum comperta, obsecro te, diuine Æsculapi, per intonsum & imberbem patrem tuum Apollinem medicinæ parentem & autorem, perque Iouem auum, per Saturnum proauum, per Lunam amitam, per Mercurium & Martem patruos, per Venerem maiorem amitam; in summa per omnis generis tui planetarios ordines, perq; octauæ sphæræ cælestes consanguineos tuos & affines Deos ac Heroas quãplurimos, vt eam paucis colloquiis mihi explicare digneris. Quod vt commode fiat, deinceps simpliciter & absq; fuco tibi proferam & proponam quæ erunt, & cuiq; apparebunt in meis cælis, illorumq; rebus sanequam diuinis. Tu contra, nisi est molestum, oppones quid in humanis corporibus, quorum res omnes ad vnguem nosti, simile his reperiatur: vt ex ipsa similitudine, affinitate & harmonia, mutuum coniugium & fœdus ineamus: hoc est, cælum, cui sum tutrix data, humano corpori, cuius es curator, solenni theatro hodie maritemus, palam omnibus demonstrantes indicibilem similitudinem, quæ sola amicitiæ vbique est mater, & harmoniam inauditam, quam alterum cum altero gerit & agnoscit. Quod facile sane erit (quid enim cælestib. negatum?) si vtriusq;, cæli inquam, & hominis, penetralia, ipsis mortalib. immortales recludemus: breuitatem, quoad eius fieri poterit, perspicuitati vbiq; copulantes: & ambagiosa ac phalerata auriũ lenocinia, veritatis flagella, cane peius & angue fugientes. ÆSC. Arduum

Cælestis Æsculapii genealogia.

duum

duum ſane opus mihi imponere ſatagis, cæleſtium moderatrix Vrania, & a nemine, quod ſciam, adhuc tentatum: intelligi tamen, aſpiciq; ac cognoſci digniſſimum: cum ob multa, tum vt homo vere ὀυρανοφύτευτος, hoc eſt, e cælo natus & emiſſus, opificem ſuum cognoſcat, & cognitum amare ac venerari pergat. Qui, vt Sibyllinis teſtatum eſt verſiculis,

—αὐτὸς πεποίηκεν
Οὐρανὸν ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.

quod eſt, —*condidit ille*
Cælos & Solem cum ſtellis, deniq; Lunam:
Frugiferam terram, & pontum fluctuſq; ſonanteis.

Inſuper, vt ille idem mortalis & humanus homo cognitam ab immortalibus ſui corporis maieſtatem, deinceps non contemnat: fateaturque, magnum ſe eſſe naturæ miraculum, & ſumme honorandum, ſicuti σύγχρονος meus Triſmegiſtus Mercurius me olim domeſtice docuit. Adhæc, vt omnes vno dicant ore, omnia in omnibus inueniri: in infimis ſuprema, & in ſupremis infima: aut, ſi mauis, in cælo terrena, ſed modo cæleſti; & in terra cæleſtia, ſed modo terreno: vt eſt apud Platonicum Proclum. Quod dum dico, Vrania, te inprimis commonefacio, me hoc toto noſtro colloquio de rebus humanorum corporum, imo vero de ipſis corporibus, non aliter loqui poſſe, quam humano modo, hoc eſt corruptibili: propterea quod corpus ipſum

(animam excludo) corruptioni est obnoxiũ. Tu de tuis cælis contra, nimirum cælesti modo,& ab omni corruptela alieno, vt Peripateticis visum est. Quare, si humana mea tuis diuinis compono, si composita simplicib. si mortalia immortalib. si patientia agentibus si imperfecta perfectis, &c. vt paucis dicam, si parua magnis, humilia sublimibus, ferendum tibi erit. In quib. si quid deinceps a me peccabitur, imo certe quia sæpenumero peccabitur (si tamen peccare nouerunt cælestes) tam libenter mihi condonabis, quam ego tibi facile annuam, quod tu per cælestem meam genealogiam tam anxie & solicite postulauisti. VRAN. Æquum petis, Æsculapi, & proinde iamiam ex animo tibi condonatũ. Quare age, a primordiis humanæ generationis totius nostri colloquii fores mihi aperi. Hoc vbi absolueris, seria proponam: quibus pro tua bonitate respondere non detrectabis. ÆSCVL. Prisca est sententia, Vrania, & inter meos medicos, atq; philosophos, qui humani corporis fabricam, primamve conformationem intus & in cute diligentissime indagauerunt, hactenus probata, & confirmata, diuinæ ac cælestis originis opificem quendam esse spiritum, plane æthereum, & astro persimilem, qui vna cum famulantibus illi maternis facultatibus, generationis humanæ principia, semen vtrumque genitiuum, cum muliebri sanguine, in destinata ad id cellula supra omne miraculum admirabili (vterum & matricem appellant) via omnium, nisi deorum, oculis cæca, foueat & informet perflantisq; modo, & fingentis, mēbratim

Spiritus formator corporum, cælestis est & æthereus.

tatim figuret,atq; in ſuam veluti tribum ſin-
ula pedetentim digerat, & ad viuentis cor-
uſculi iuſtam ſymmetriam indicibili harmo-
ia elaboret. Cui ea ineſſe fertur ἐνέργεια, vt
er ipſa σωματοποιΐας tempora in lacteo-
o adhuc tyrocinio, ceu in elementari naturæ
bro, cælorum, vnde ſcilicet vigorem habet
um origine,viuam, quoad eius fieri poteſt,i-
naginem imprimat: illuſtrationeſq; & igni-
ulos cæleſtes illis ipſis animis relinquat, qui
e per materiæ benignitatem formantis obſe-
uio faciles exhibuerunt: perinde ac ſi cogna-
ionis & ſocietatis familiare hoſpitium, inex-
plicabili modo irradiaret: atq; ita excurſo to-
tius formationis tempore, vagientē imagun-
culam, cæleſtis theatri diuinam picturam præ
ſe ferentem, ex maternis latebris in lucē pro-
fert. Quod hic tibi demonſtrandum ſupereſt
Vrania, vt poſtulationi tuæ faciam ſatis. Res
ſane optanda magis,quam præſtanda. Quam-
quam cęleſtibus quid negatum? quid deorum
contubernalibus non poſſibile? aut quid non
ſperandum ei cui totum cælum fauet,ac pro-
genitores omnia diſpenſantes exhibet. Quan-
do itaq; apta eſt materia vt in ea vires noſtras
periclitemur,atq; bonitatem,ſapientiam nec
non virtutem Dei deorum omnium Optimi
Maximi inenarrabilem ſuſpiciamus, prædice-
mus & veneremur: in colloquium de illa,vbi
viſum erit, tecum deſcendam libere, ac poſi-
tionib. quas pro tempore mihi oppones,con-
ſtanter reſpondere conabor. VRANIA. Be-
ne equidem & bene, Æſculapi: placent certe
mirandum in modum quę de humani corpo-

ris fundamentis & formatione attulisti. I quo summam Dei & naturæ prouidentiam agnosco. Quod enim ex æthereis sedibus sp ritum illum formatorem trãsmittere dign tur, & nihil suis beneficiis priuatum esse, per fectissimæ eius bonitatis specimen est; inue nisse quo decorarentur corpora, sapientiæ effecisse quæ in illis voluit, virtutis (vt habe tuus Galenus) inuictæ, & insuperabilis. ÆSC Et hac quidem ratione hymnis iugiter cele brandus est demiurgos ille, Vrania: ac tanto rum miraculorum via, cum in cælesti, tum humano corpore, nunc demum omnibus diligentissime ob id aperienda. Quare, conciso longiore prologo, si quid habes quod proponas, aggredere bonis auspiciis.

DIALOGVS SECVNDVS, DE SOlis & cælorum coaptatione cum anima rationali & corpore humano.

VRANIA.

Solis & cæli vniuersi, nec non partium eius, Deus autor est & creator.

A Sole, Æsculapi, aut, si mauis, ab Apolline illustrissimo parente tuo, & reliquis progenitoribus tuis planetis, necnon consanguineis & affinibus aliis cælestibus, imo vero, vt paucis dicam, a cælis vniuersis exordiar: quorum, deum immortalem conditorem esse, non tam (opinor) eris θεὸς ἄθεος, quin vltro, vel tacente Mose, totaque Academia, libere mecum fatearis. Horum quis alius formator fuit? quis in illis excellentissimam pulchritudinem depinxit? quis sphærica corpora tornauit? quis radios expressit? quis in tam admi-

mirandam varietatem digessit? quis tanta uinitate donauit? quis inferiorem mundum is circumuestiuit? quis fundamenta sursum cit? quis motum instituit? quis lumine dotat? quis tot virtutibus illustrauit? quis tam eganti spectaculo figurauit? quis occultum iritum inspirauit? quis motionis mensuram ngulis ascripsit? & multa alia adposuit, quæ uino plane ore tuus recenset Mercurius? aue, ô Æsculapi, caue ne vnquam artificium o priues artifice. Est itaque Deus horum omnium conditor, moderator & creator. ÆSVL. Sane impius essem, Vrania, & Cyclopum e gente, nedum deorum, si totus in id tecum on descenderem. Tuque multo sceleratior, mecum etiam non fatereris, animæ rationalis, & corporis, quæ duo hominem constiiunt, illum ipsum Opt. Max. Deum, autorem sse, moderatorem ac conditorem. Quod ex odem contemporaneo meo Mercurio, diuiorum mysteriorum mihi olim admirabili nterprete, qui a seculo Mosis haud ita porro ixit, adprobatis & confessis aliorum testimoiis, sic tibi confirmo. Pater omnium (inquit) tellectus, vita & fulgor, hominem sibi siilem procreauit: atque ei tanquam filio suo ongratulatus est: pulcher enim erat, patrisue sui imaginem ferebat. Age, Vrania, hic ihi intelligentiam tuam paulisper explica, humani corporis structuram cum tuis cælis ompone: inuenies profecto in vtroque arm non admodum dissimilem, & architectaris illorum, Dei omnipotentis sapientiam bonitatem vbique æqualem. Itaq; huma-

Anima rationalis & corporis, necnon partium eius, Deus autor est & creator.

ni opificii admonitione perdisce, vt ille idem meus scribit Mercurius, quis tam pulchrę imaginis conditor? quis oculorum pictor? quis nares, auresq; tornauit? quis oris labia distendit? quis neruos porrexit? quis tendonib. musculos alligauit? quis venas irrigauit? quis ossa solidauit? quis carnem epidermide, seu tenui pellicula circumuestiuit? quis digitos articulosq; discreuit? quis in pedib. ambulationem, & totius corporis sustentacula posuit? quis in manibus prehensionem? in oculis visionem? in aurib. auditionem? in lingua gustationem? in naribus olfactionem? in cerebro imaginationem, ratiocinationem & memoriã? in ventriculo coctionem? in hepate sanguificationẽ? in corde vitalem vim? in pulmone inspirationem & exspirationem? Quis poros corporis perforauit, atq; meatus aperuit? quis arterias spirituosas effecit? quis cordi pyramidem impressit? quis iecoris fibras contexuit? quis splenem coegit, atq; compressit? quis pulmonum fistulas sculpsit? quis ventriculo capacem amplitudinem tradidit? &, vt paucis dicam, quis parti cuique corporis suam actionem dedit? Quisnam singula finxit? qualis mater? qualis pater? nonne solus omnipotens & inuisibilis Deus, cuncta propria voluntate & verbo est molitus? O pulcherrimum naturæ miraculum! o visionem beatam! o excellentissimum spectaculum, & artificem supra id omne quod est mirabile admirabilem! VRANIA. Me iam ad stuporem vsque in Dei & naturæ miracula prouocas, Æsculapi. Sed heus tu? incorporeum plane est, quod Solem & cælos,
necnon

nec non ſtellatas illorum partes orbiculoſq; omnes, & lucentes globulos regit, ac mouet: nimirum mens diuina, immortalis & inuiſibilis, ab omniq; dimẽſione aliena. ÆSC. Incorporeum itidem, Vrania, quod animam rationalem & corpora, illorumq; orbiculatas partes omnes regit, atq; mouet nimirum igniculus plane diuinus, & partis cæleſtis vbique radians, & omnia vegetans ſpiritus, qui immortalis eſt, & hic a nemine videtur, omni dimenſione prorſus carens: vt meus me docuit Hermes, ſacrorum arcanorum mihi olim interpres vere Triſmegiſtus. VRAN. Cum Sole & Luna planetę omnes, Æſculapi, motibus duobus ſenſui manifeſtiſſimis mouentur. Vno communi, qui eſt totius vniuerſitatis cælorũ: & altero particulari, de propria planetę cuiuſque natura. ÆSCVLAP. Sic corporis humani partes omnes motui natę, illum duplicem habere manifeſtiſſime deprehenduntur, Vrania. Vnum qui de totius motione pendet, & vniuerſalis eſt. Alterum, qui ab inſita parti cuiq; facultate, natura, ſpiritu, & voluntate proficiſcitur, atq; exurgit. VRAN. Hactenus bene Æſculapi: ſed Sol, radius mentis diuinę humanis oculis incomprehenſibilis, & naturæ ſpeculum ſanequam terſum, deorumq; cæleſtium, vt tuus Mercurius loquitur, Deus pręſtantiſſimus in cælo principatum obtinet, mundumq; vniuerſum, & quidquid in illo eſt animabili quadam vi, & viuifico ſpiraculo vbiq; Lucens vegetat, ac temperat. ÆSC. Eadem fere via, in humano corpore mens & immortalis vna anima rationalis, Solis (quem mundi

Quod Solem & cælos regit ac mouet, eſt immortale.

Quod animã rationale & corpus humanum regit ac mouet, eſt immortale.

Cælorum partes ſeu ſtellæ duplici motu mouentur.

Corporũ humanorum partes duplici motu mouentur.

Sol de cælo inferiora omnia ſibi cõmiſſa benefico ſpiraculo temperat, ac reficit.

Anima rationalis in corpore omnia sibi cõmissa, &c.

animam alicubi dixerunt Academici) imago elegantissima, licet inuisibilis & humanis sensibus incomprehensibilis, maiestatem ac principatum præcipuum obtinet: illudque vniuersum vbique vitali spiraculo temperat, sustinet, fouet ac vegetat. VRAN. Age, Solis motus a positis cæli fundamētis cōstans sibi semper est: ad hæc perpetuus, & vniformis, nec nō indefatigatus. ÆSCVL. Sic animæ rationalis motus, Vrania, a positis suis corporis fundamentis sibi cōstans est & a forma, vt loquuntur Platonici, diuinitus impressa perpetuus, omniq; diei ac noctis momento, vsq; ad extremum vitæ actum indefatigatus. VRAN. Phœbus tuo Galeno, Æsculapi, magnus cæli rex nuncupatus, præsidium rerum mundi inferioris quæ ex quatuor elementis constant, nullo modo implorat, vt influat, luceat, moueatur, & suas vires exerceat. ÆSC. In hunc modum mens humana, paruulus Sol quibusdam dicta, & rationalis anima, vt moueatur, influat, & suas vires exerceat, rerum corporis ex quatuor elementorum permistione temperatarum opem minime accersit. Nam simplex est, &, vt Sol, diuinitatis particeps, proindeque nullius, nisi Dei auxilio, indiga.

Solis motus in cælo constans est & indefatigatus.

Animæ rationalis motus in corpore, &c.

Sol nullius post Deū est indigus, vt vires suas exerceat & exserat.

Anima rationalis nullius post deū indiga, vt vires suas in corpore exerceat & exserat.

DIALOGVS TERTIVS, DE RAdiorum Solis, & eiusdem spirituum conciliatione cum humani corporis spiritibus.

VRANIA.

HActenus colloquii nostri prima excursio feliciter sic satis processit, Æsculapi, proauis

uis edite diis. Nunc vero in animo eſt ad alia te vocare. Propono itaq; Solis radios, quos mundi ſpiritum, & numen nonnulli dicere nihil ſunt veriti. Hi ſubſtantia quædam ſunt dilucida, ſubtilis, tenuiſſima, plane cæleſtis & ætherea, ab ipſo ſolari corpore producta, vt ſurſum, deorſumq;, cito, ac facile perferantur. Hem, quid habes in tuis corporib. q̄ his mihi opponas? quid? paucis reſponde. ÆSC. Hui, tu ne tam ſubito exultas, Vrania, vix dum primū colloquii noſtri limen ingreſſa? Hic de infinitis humani corporis rebus, ſpiritus tibi opponam. Nam vt radii quidam ſe habent, per vniuerſum corpus diffuſi ac iaculati: quorum ſubſtantia ætherea plane eſt, nec non ſubtilis, & dilucida: ab ipſis principibus corporis partib. ceu a fontibus aureis diffluens ac emanans: vt illorum virtus, facultas, & radii ab his per vniuerſum corpus, tam ſurſum quam deorſum, leuiter, tuto, cito, & facile perferantur. VRANIA. Mirus videri iam mihi incipis, Æſculapi: verumenimuero ſolaris ſpiritus, calor, ſplē dor, & vibratio, diuerſis diſſimilibuſque terrarum particulis diſtributa, & perenni fœdere ſociata, varie agunt, ac varia (conſpirante materia) in paratis rerum generabilium ac corruptibilium naturis aggrediuntur, aliter in hanc quam illam agendo: in molle corpus quam durum, rarum quam denſum, craſſum quam tenue, plantam quam lapidem, terram quam aquam, & ita deinceps. ÆSCVLAPI. Sic in locuplete humani diuerſorii officina, vnius animalis ſpiritus ſplendor & vibratio, radiorum Solis quodammodo particeps,

Solaris ſpiritus & radii, eſſentia ſunt tenuiſſima & plane ætherea.

Spiritus humani corporis, eſſentia ſunt tenuiſſima, & plane ætherea.

Solaris ſpiritus vibratio, rebus terræ varie ſeſe accommodat, ac in illas diuerſimode agit.

Animalis ſpiritus vibratio rebus

corporis varie sese accõmodat, ac in illas diuersimode agit.

& æmula, dum diuersis corporis membris particulis, & organis impertitur, ac infunditur, adminiculante cuiusq; tum natura, tum structura, & temperamento, varie agit, ac functione, instrumento vnicuique suas (tametsi dispares) per proprios a natura in id destinatos canaliculos subministrat, & quadantenus iaculatur: aliter in hoc organum quam illud agendo, atq; influendo: licet ex eodem fonte, perinde atque solare spiraculum, deriuari certum sit. Nam in oculos, vt radius quidam effusus, & iaculatus, per neruos opticos visionē facit: in aures per certos meatus, auditionem: in linguam, per neruulos ad eam attinentes, gustationem: in manus, prehensionem: in pedes, ambulationem: in vniuersum corpus tactum, per neruos & fibras neruosas, quæ in musculos, cutim, & membranas, retis modo, vel aliter, disperguntur. VRAN. Probabilia dicis, Æsculapi: sed Solis spiritum, lumen & radios, nulla orbis terrarum portio, nulla regio, nulla prouincia, nulla vrbs quantumcumque vasta & spatiosa, in vniuersum sibi soli vendicare potest: atq; omni tempore, sine aliarum iactura, vsurpare: ex quo vere dictū arbitror, non est qui se abscondat a colore eius. ÆSCVL. ad hunc modum animalis spiritus iaculationem, radios & lumen nulla partium corporis portio, nullum brachium, nullus pes, nullum latus, nullum viscus in totum sibi vēdicare potest, nec aliis eripere aut præcludere sine illarum, imo vero totius corporis iactura irreparabili. Nam quidquid est in corpore a spiritu illo agitur: ex quo vere dici potest, nihil

Solaris radii vibratio, in vniuersum claudi alicubi non potest.

Animalis spiritus vibratio, in vniuersum alicubi claudi non potest.

il eſt quod ſe abſcondat a radio eius, & diui-
o plane ſpiraculo. VRAN. Res omnes mun-
i, Æſculapi, Solis & ſtellarum ſpiritu, luce,
motu & affluxu reguntur atq; adminiſtran-
ur: quemadmodum ego nunc demum tibi
monſtrare ſatagam. ÆSCVL. Sic corporis res
omnes, ſpiritus animalis & natiui caloris ra-
dio, luce, motu & influxu adminiſtrantur, &
reguntur: veluti mox explicabo. VRAN. Arti-
culo temporis omnia luce Solis colluſtrari &
excitari, non eſt niſi fortaſſe Tireſias qui non
videat, imo vero ſentiat ac percipiat. ÆSCVL.
Itidem ſpiritus animalis luce & facultate, mo-
mento temporis omnia corporis membra
colluſtrari & excitari, non eſt niſi fortaſſe
male ſanus Oreſtes, qui nō percipiat & fatea-
tur. VRANIA. Quot ego in te iacula contor-
queo, Æſculapi, tu in me tot retorques. Age-
dum, ille tuus pater Phœbus, rerum omnium
ſub Lunæ ſphæra degentium oblectamētum,
& luminis, nec non caloris fons perennis, Py-
thagoricis diuinæ intelligentiæ imago nun-
cupatus, & Socrati, Platone teſte, inuiſibilis
dei, viſibilis filius, mane deterſa noctis caligi-
ne exoriens, & vniuerſum, vbi attollitur, he-
miſphærium de repente illuſtrans, luceque ac
radiis, nec non vi tacita, & motu, vt viſum eſt
Peripateticis, & Academicis, omnia modifi-
cans: homines inſuper ad conſuetas operas,
quaſi de claſſico οὐρανόθεν quotidie inuitans,
quid per Iouem (reuoco verbū, Æſculapi) de
tota corporum humanorum ſupellectile ex-
preſſiſſime mihi figurabit? ÆSCVL. Ehô tune
adeo ferox es, Vrania, propterea quod auum

Solare ſpiraculum ſua energia & præſentia in rebus terræ mira efficit.

Animale ſpiraculum ſua præſentia & energeia in humanis corporibus mira efficit.

meum hîc appellaſti? Age, his omnibus quæ acute certe mihi propoſuiſti, vnum animalem ſpiritum vere diuinum, & incomprehenſibilem oppono: quem in cerebro per ſoporiferã noctem, tamquam in ſubterraneo hemiſphęrio latitantem, quis non videt matutino tempore, excuſſo de toto corporis conclaui nocturno torpore (qui vera eſt mortis imago) in vniuerſum corpus ſtatim & confertim ſpargi, ac diſſeminari? omneſq; illius particulas de capite, ceu de cælo quodam prææltro colluſtrare, & ad labores (quibus vitæ alimenta conquirũtur) ſolitaſque operas, aſſentiente voluntate, quotidie ſolicitare? Ecquid per cælos tuos hæc tibi placent, Vrania? licebit mihi tuo exemplo nonnihil incaleſcere, ne dicam incandeſcere. VRAN. Placent, Æſculapi, mirum in modum. Sed heus tu: de Solis & ſtellarum amabili aſpiratione, ac ſalutari aura, longe lateque per terrarum orbem ſparſa, & diffuſa: adhæc de aſſiduo cælorum motu, teporem æthereum, rerum omnium inferiorum pabulum præſtantiſſimum, per totam mundi vniuerſitatem vehente, & ad certum pondus, menſuramq; (non vno tamen certo loco, ſed modo hoc, alias illo, quandoque propiore, nonnunquam remoriore: vt rerum ſeries poſtulat, & temporum natura ſuſtinet) perferente ac diſtribuente, nemo eſt qui non videat telluris gremium perbelle vbiq; foueri, ipſamque terram, & particulatim portiones eius omnes, præparationẽ, vires, ac robur ad obeunda propria munera placide inducere. Quib. ecquid de humano corpore mihi opponis, Æſcul. quid?

Solarium ſpirituũ lapſus in terram, illius particulas omnes ſumme vegetat, fouet ac reficit.

paucis

paucis deprome. ÆSCVL. Mira es, Vrania: metuo, me hercule, ne tãdem a verbis ad verbera veniamus. Cælestibus non licet tam insolentes esse: sed tibi parco, quia femina. Itaque mecum deinceps modestius agere stude, vel tam mutum me habebis, quam sunt (quod dicunt) pisces. Oppono his omnibus quæ proposuisti, spirituũ qui in humanis sunt corporibus, continentem illapsum, & illorum diffusam a motu hinc inde aspirationẽ. A qua sen suũ instrumenta, neruosq; omnes, & musculos, deniq; particulas corporis vniuersas, imo vero, vt paucis dicam, corpus totũ quantumcunq; fuerit, certo quodam pondere, & mensura, modo hoc loco, modo illo, propius quandoq; alias remotiũs, pręparationem, vires, robur, atq; auxiliũ, ad vitæ munera & officia rite peragenda suscipere, nemo non agnoscit, non videt, non fatetur. VRAN. Quid si tibi nonnihil diuersum a iam positis, & probatis adferã, Æsculapi? Solares spiritus omnia radiantes, cum motu quem perpetuum habent comitẽ, terram omni tempore, suo impulsu, necessario non adigunt, vt fructus edat, & solitum opus tentet atq; aggrediatur. ÆSC. Ita spiritus iam dicti, Vrania, cum motu quẽ perpetuum habent comitem, semper & vbique corpori necessario non imperant, vt moueatur, sentiat, tangat, & solitas suas actiones obeat ac perficiat. VRAN. De Solis luce & spiraculo, Æsculapi, ipsummet Solem contemplamur, ac eius actiones omnes intuemur. ÆSC. Sic de animalis spiritus luce, Vrania, & benefico illi* radio, ipsummet animalẽ spiritum, & cõtem-

Humanorũ spirituum lapsus & distributio per corpus, illius particulas omnes summe vegetat, fouet ac reficit.

Solis spiritus & radii, terram ad suũ opus nõ semper adigunt. corporũ spiritus humana instrumenta, &c.

De Solis beneficio ipsum met Solem intuemur.

De spiritus animalis beneficio, &c.

plamur, & eius actiones omnes intuemur. VRAN. Quidquid Solis radius illuminat, densissimæ nubis interuentu, vel lunaris corporis supposito obstaculo, vel rei alterius obiectu, eius lumine sæpenumero priuatur. ÆSC. Eodem modo quæ spirit' animalis illustrat, crassi alicuius humoris, vel flatus, aut alterius rei, interueniente obstaculo, eius priuari possunt illustratione: vt in paralysi, apoplexia, stupore, & aliis. VRAN. Ad miraculum vsq; in respondendo mirabilis es, & ingeniosus, Æsculapi. Sed ille idem Solis radius, quia eam oram cæli qua discurrit, ab oriente per meridiem in occasum, intra quartam & vigesimam horam vniuersam circuit: de semidiametri ratione, non minus ducentis & septuaginta milibus miliarium, vel pauxillo plus, vnius horæ curriculo peragrabit: motu, si oculos consulas, adeo lento, vt cum progredi non cernatur, sed quasi stare, tantum progressus esse intelligatur potius, quam iudicetur. Ohe, quem in toto terrarum orbe tam expeditum mihi dabis cursorem? aut quid in humano corpore illi simile reperies? hoc est tanta, tamq; celeri pernicitate preditum? ÆSC. Vnum spiritum animalem, vel, vt simplicius loquar, mentem rationalem, Vrania, tibi proferam: quæ per omnem mundi oram, per vastissimum Oceanum, per inferna & subterranea, quæq; adhec per vniuersum aeris tractum, & cunctos cælorum ordines, expeditissime, non dicam intra quartam & vigesimam horam, sed horulæ vnius semisse, vel eo min', ire redireq; potest: ac tantillo temporis interuallo, supra bis mille &

Solis vibratio impediri potest ne deorsum feratur.

Spiritus animalis vibratio, &c.

Solis in cælo mira est velocitas & pernicitas.

Animalis spiritus & rationalis mẽtis in corpora mira est velocitas & pernicitas.

& sexcentas miliarium myriadas conficere, quantum a corruptibili mundi parte, vsque ad fixas stellas, & octauum cælum numerari solet. VRAN. Omnia ex tripode loqueris Æsculapi. Ceterum, absq; solaribus radiis, & cælestium corporum vitali aura, perpetuo influxu, egero calore, indefesso motu, & occulto cōsensu, nulla terræ particula vigere & stare potest, seque ac suas qualitates tueri. ÆSC. absq; influente humanorum spirituum vi, & eorūdem motu irrequieto, nec non natiuo calore, nulla corporis particula vigorem ac vitam sustinere diu potest: nec se ac suum temperaturam, vna cum actione, vel momento tueri. VRAN. Donum luminis, Æsculapi, per Solis orbem nobis infunditur, & in totum ac vniuersum terrarum corpus, longe, lateq; spargitur, & oberrat. ÆSC. Donum spiritus animalis, Vrania, per capitis orbem in totum humanum corpus, præcipuaq; eius instrumēta funditur, ac longe lateque spargitur. VRANIA. Solares radii & spiritus ex vno eodemque cæli & Horizontis loco, ad rerum vegetationem, vitam & modificationem per vniuersum mundum nequaquam feruntur: quin potius triplicem habent exortum a meis mathematicis designatum: in Ariete scilicet & Libra, qui Æquinoctialis dicitur: in Cancro, Solstitialis, & Capricorno Brumalis. ÆSCVL. Sic humani spiritus, Vrania, ex vno & eodem corporis loco ad rerum illius vegetationem, vitā & modificationem nequaquā prodeunt: quin potius triplicem habent sedem & exortum a meis medicis designatum. In corde scilicet,

Cælestium corporum influxus rebus terræ est sanequam necessarius.

Humanorū spirituum influxus rebus corporis, &c.

Donum solaris luminis de certo aliquo loco, per vniuersum terrarum orbem spargitur.

Donū spiritus animalis de certo aliquo, &c.

Solares radii & spiritus triplicem habent exortū.

Humanorū corporū spiritus triplicē habent exortum.

& vitalis dicitur, in cerebro, animalis: & in iecore ſeu hepate, naturalis: quemadmodum ego tibi dilucide ſum demonſtratura, vbi data occaſione a tuis rebus cæli, eo me deduxeris.

DIALOGVS QVARTVS, DE *compoſitione Lunaris radii & ſpiraculi cum animali ſpiritu.*

VRANIA.

DIci non poteſt, diuine Æſculapi, quam grata mihi fuerint præcedentia colloquia. In reliquis, ſi quo cœptum eſt pede, perrexeris, iacta video fundamenta noſtri coniugii, hoc eſt, harmoniæ humani corporis & cæli. Quando itaque tu & reſpondendo, & docendo non defatigaris, nec item ego cum quærendo, tum diſcendo, alia aggredi nunc demum meditor: a Luna amita tua gradum mihi faciens, tamquam a potiſſimo poſt Solem, totius naturæ organo, quemadmodum ex Triſmegiſto tuus tranſſcripſit Galenus. Hanc certum eſt ex ſe nec radium habere, nec natiuum lumen, nec mutationum penes menſtruos ſchematiſmos vim vllam, niſi quatenus a patre tuo Sole, cæleſtium ignium foco luculētiſſimo, larga manu vel auara ei conceſſum eſt. ÆSC. Sic corporea moles, Vrania, cuius ſtatum per morbos & ſanitatem Galeno meo, & Ptolemæo eius contemporaneo prodit Luna, viuificam de ſe lucem vllam non habet, nec motus ac ſenſus (qui duo certiſſimi ſunt vitæ teſtes) facultatē vllam, niſi quatenus a ſpiritu animali, qui in corpore eſt veluti paruulus quidā Sol, per neruos

Lunæ corpus abſq; ſolaribus radiis eſt inutile.

Humanum corpus abſq; animali ſpiritu & radiatione eius eſt inutile.

uos

nos sensificos & motores diuite manu, vel paupere, ei datū est, ac concessum. VRA. Præclare sane, sed eadē Luna, a Sole cælestiū spectaculorū pulcherrimo (a quo nihil habuerūt Academici, vnde mentē diuinā propius ostenderēt, & expressius mundum ab illa regi figurarent) fraterna liberalitate lumen, & pene dixerim pabulum, de aspectu, consortio gratis fœneratur: ea tamen conditione, vt vicissim vtrumq; ad conseruandam, temperandamq; rerum mundi sobolem, etiam gratis deorsum fœneret, ac refundat. Cuius rei Æsculapi, quā mihi dabis in humano corpore imaginem? ÆSC. Animalem facultatem vna cum vitali, Vrania, & partes corporis duas vtriusq; facultatis hospites, nimirum cor & cerebrū. Illud, quia caloris & vitalis lucis fons est inexhaustus, perinde atq; Sol. Hoc, quia Lunæ naturam, metamorphoseis & alternationes vna cum motu in multis (non ausim dicere in mulieribus) agnoscit: quod probant comitialium circuitus, vt perapposite meus adnotauit Galenus. Verum, vt rem totam ad ea quæ proposuisti coaptem, scire pretiū operæ est, cor sanguine laudabili, temperato, & salutari in suo dextro sinu (vbi lucidissimi, suaues, calidissimi, & halituosi sunt spiritus quamplurimi) saginatum, perfusum & pastum, cerebro animalem spiritū, ceu lumen quoddam de puriore sanguine, & halitib. illis elaboratum, omniq; sorde repurgatum, sufficere ac fœnerare. Quē vicissim radiorum modo dictum cerebrum per proprios canales & tubulos, omnib. corporis particulis ad earū conseruationē, & præcipue

Luna a Sole suum lumen gratis fœneratum, gratis deorsum refundit.

Animaliū spiritus a vitali suum lumen gratis fœneratum, gratis deorsū refundit.

ad motum, ac sensum distribuit, & gratis impertit. VRA. Laudo & probo quæ dicis, Æsculapi: verum omnibus constat Lunam de lumine periclitari, & inutile corpus circumferre, si luciferam suam faciem & auricomos radios frater Phœbus ab ea vel subduxerit, vel aliunde prohibitus negauerit. ÆSCVL. Sic animalem spiritum & proinde humanum corpus de vita periclitari certum est, si vitalis ei nō præluxerit: vel alicunde impeditus sese subduxerit: vt hic Solem, ille Lunam figuret. Nā tum corpus totum, nō dicam stupidum & inutile, sed cui migratura in labris sessitet anima, relinqui, tam est perspicuum, & de experientia cognitū, vt nihil magis. VRAN. Lunares radii, caligine, vel fumida aliqua nube obducti, & circumuenti, nobis cū circa ipsum Lunæ corpus, tum etiam circa nubes mentiuntur multa, ac imponunt. ÆSCVL. In hunc fere modū, radius animalis spiritus, vel eius vibratio, melancholicis fumis, biliosis item, ac pituitosis, ceu nebulis quibusdā excepta & remista, multas visiones, & φάσματα confingit, ac mentitur: perinde atque lunaris radius, imo vero solaris potius: pro varia vtriusque (corporis, inquam, & nubis) natura. VRAN. Hæc non admodum improbo. Sed heus tu? Luna sui luminis originem & incrementa a Sole, tamquam ab inextinguibili lucerna mutuatur: vt vniuersum terrarum orbē, die, nocteq; illustret. Cui rei, Æsculapi, simile aliquid mihi (obsecro) demonstra in humano corpore. ÆSC. Dictum spiritum animalem tibi ostendo: qui Platoni, & Galeno meo, in cerebro Lunæ inautho-

Lunaris radius absque solari vigere & esse non potest.

Animalis spiritus absq; vitali vigere & esse non potest.

Lunaris radius variis nubibus remistus, varia mentitur ac effingit.

Animalis spiritus vibratio variis corporis fumis remista, varia, &c.

Lunaris radius & se & sua incrementa solari radio debet.

Animalis spiritus & se & sua incre-

authorato reſidet. Nam a vitali elaborato (cui ſedes in corde) ſuam originem, & incrementa mutuatur: vt dies ac noctes corpus illuſtret, moueat ac vegetet. VRAN. Id vnũ hic reſtat, tametſi repetitum: Lunare lumen & ſpiraculum, ſuas a Sole alternationes, ac reparationes mendicat. Vnde Σελήνη (quæ Latinis eſt Luna) a Græcis, vt arbitror, nomen accepit, quod σέλας, id eſt, ſplendorem, αἴω, deſuper, nimirum a Sole accipiat. ÆSCVL. Obtundis ſimul & offendis, Vrania, eandem cantilenam toties canens. Semel atque iterum expoſui vnum animalem ſpiritum, Lunæ in parte mancipatum, a corde, Solem præ ſe ferente, lucis ſuæ quæ eſt veluti lunaris quidam ſplendor, reparationem, & deperditæ diſſipatæq; ſubſtantiæ inſtaurationem accipere. Quod vt facilius intelligas, hunc in modum demonſtro. Vitalis ſpiritus qui in corde ſua ſibi fixit tentoria, per maiorem arteriam ſurſum in carotides tantiſper contendit, dum in contextum cerebri admirabilẽ, ſeu reticularem plexum permeet: vbi multis flexibus, labyrinthum dicas, varie implicatus, & cancellatis fibris irretitus, hæret, cunctaturq;, donec elaborationem quandam acceperit. Hinc, rurſum in choroidem texturam perreptat: vbi exhauſto per nares tenuiore aere, nonnihil illius ſibi iungens vi cerebri ambientis, in animalem ſpiritum plene commutatur: qui ex contextu deinde refluens, totos cerebri ventriculos ad futuros vſus implet. Ex quo facile colligis, illũ a vitali, perinde atq; Lunæ lumen a Sole manare. VRAN. Patieris & hoc poſtremũ tibi, ô diuine Æſcu-

menta vitali debet.

Lunaris radius & ſpiritus a ſolari pendet.

Animalis ſpiritus cum ſua radiatione a vitali pendet.

Creſcente lunari radio,

crescunt aquarum motus.
Crescente spiritu animali, crescũt corporum & animorum motus.

lapi, isto colloquio proponi. Crescente & inualescente lunari radio ac lumine, crescunt & inualescunt aquarum motus, corporum humiditates, & ossium medullæ. ÆSC. Ita crescente inualescenteq; animali spiritu, cũ corporum, tum ingeniorum motus & actiones crescunt ac inualescunt. Sed hæc leuiora sunt Vrania, quã vt a me demonstrari debeant, & a te proponi. Quare si deinceps quid habes grauius deprome, & nouum colloquium institue.

DIALOGVS QVINTVS, DE COLlatione facultatũ radiorum planetarum cum humani corporis facultatibus.

VRANIA.

SVbuereor, ter maxime Æsculapi, ne nimiũ suscitando tibi sim molesta. Non desinam tamen, donec silentium mihi indixeris; persuasa ingenui esse animi, cui multum debeas, plurimum debere velle. Pergam itaq; res meas cæli excutere, vt propositæ harmoniæ corporis humani cum cælo rationẽ, qua cœptum est via, assequar. Dic itaq; per Panacen & Hygieinam charissimas tuas filias, quid sibi vult, ꝙ planetæ septem, qui mundum sensibilem dispensant, circulisq; suis, & radiis illum complectũtur, si segnius solito sua obiuerint munera, vel inferiori mundo salutares suos negauerint ignes, tam certam ei prætentant internecionem, quam quæ omnium est certissima? ÆSC. Dic, Vrania, per cęlestes tuas hierarchias, quid sibi vult, quod tres facultates vitæ humanæ dispensatrices, cum his quæ naturali ancillantur, quatuor numero (quę simul sumptæ

Planetarum mundum dispensantium actio, & præsentia, rebus terræ est sanequam necessaria.

Facultatum vitam dispẽsantium, cũ his quæ illis ancillatur

ptæ ſeptenariū complent, quotus eſt tuus planetarum ordo) ſi ſolitas ſuas actiones intermiſerint, & ſpirantes hinc inde radios, rebus corporis vegetandis, ſuſtinendis, ac modificandis ſanequam neceſſarios negauerint, humano corpori tam certam intentant ruinam, quam quę maxime certa eſt? VRA. Emoriar, ſi quenquam audiui accuratius Philoſophantem. Placet paulo altius ea de re colloqui. Certum eſt, Æſculapi, naturali Solis facultati (quæ de proprio orbe benefica radiorū diſtributione per totū mundum ad rerum illius conſeruatione effunditur) quatuor planetas inprimis ſubſeruire, & auxiliares adeſſe. In quib Luna primo loco recenſetur, illis materiæ copiam cū ſucco humido ſuppeditans. Secundo Saturnus, ſucci illius retinendi facultatem deſuper inſtillans. Tertio Iupiter, ſuccū eum in propriā rei ſubſtantiam mutans & coquens. Poſtremo Mars, quæ ſunt inutilia & aliena ſegregans, diſſipans, & in ambiētem aerem vel aliter exhauriens: ne ſi moram illic diutius fecerint, vitium adferant. Quæ ſententia, ecquid tibi placet, Æſculapi? Æ SC. Valde, Vrania ſic naturali humanorum corporum facultati, quæ ex iecinore veluti fonte quodam, per venas ceu riuulos, omnibus corporis partibus benefica diſtributione alimoniam præbet, quatuor ancillæ ſubminiſtrant. Attractrix inprimis facultas, quæ cōuenientem cuiq; particulæ ſuccum expetitum attrahere ſolet: quapropter materiæ copiā ex qua quæuis particula nutrienda eſt, ſuppeditat. Secundo retentrix, quæ attractum ſuccū eouſq; retinet, donec alteratrix eum in naturam partis mutauerit. Tertio

actio & præſentia, rebus corporis, &c.

Naturali Solis facultati quatuor planetæ de omnibus maxime ancillantur.

Naturali humanorum corporum facultati quatuor miniſtræ maxime ancillantur.

alteratrix siue coctrix, quæ id quod attractum est, & aliquandiu retentum, alterat, immutat, concoquit, ac parti alendæ apponit & assimilat. Postremo expultrix, quæ a coctione tā inutilia quam aliena segregat: excrementaque singula ex corporis partibus singulis pellit: ne si moram diutius ibi traxerint, putrescant, & vitium adferāt. VRAN. Bene equidem, Æsculapi: sed stellatorum globulorū chorus omnis, imo vero celorum ordo vniuersus proprio tēperamento, natiuis qualitatibus, necnon mutuo cōsensu se & res mundi omnes sustinens, atque (vt postea fusissime demonstrabo) quodammodo adiutans, quid in humano corpore simile reperiet? ÆSC. Cum facultatibus humani corporis, & earum famulatu, partes eiusdem tam principes, quam illis succenturiatas, Vrania: quas contubernii iure, mutuas operas tradere, & opem, ceu fraternam, miro concentu & consensu de temperamentorum & qualitatum conciliatione, simul dare, & accipere quis nō videt? Quotus est ex his qui Hippocrati nepoti meo, bonorū omnium authori, a quo nihil vnquam perperam est dictum, nec scriptum, Galeno item alumno meo incomparabili, nomina dederunt, qui non intelligat facultates, corporis & vitæ aurigas, sibi inuicem subseruire, præsto esse, & sociis auxiliis ad temperandas res hominis se mutuo iuuare? In quo si hæres, naturalem facultatem omnium primam in hanc scenam tibi produco: quam vitali materiam, pastionemque sufficere, fidem vbique faciunt mei Asclepiadæ, vti etiam animalem vitali auxiliarem

Planetæ, vt etiam stellæ aliæ, se mutuo quodam modo iuuant ac temperāt.

Facultates humani corporis vt etiā res eiusdem aliæ, se mutuo quodammodo iuuant ac temperāt.

rem esse, dum pectus cum pulmonibus, alimenti, refrigeriique gratia mouet, & excitat. Rursum, animali reliquas duas adesse, dum ei materiam pabulumq; & spiritum trāsmittunt. Sic naturalem vitalis fouet, dum ei per arterias cum animalis adminiculo, aspirat. Quod etiam ad eas facultates quæ naturali ancillantur, aptare poterimus. Nam attractricem per suos villos transuersos & circulares, iuuat retentrix: & hęc rursum ab attractrice, per fibras rectas iuuatur. In summa, attractrix alteratrici seu coctrici famulatur: vt etiam retentrix & expultrix: similiter formatrici nutrix, quæ subsidiaria & quasi ministra cum auctrice illi exhibetur. VRAN. Eximius es doctor Æsculapi, & rerum corporis magister ad vnguem factus: sed age si non fuerint in officio Luna, aut Iupiter: vel, si fortasse impediantur, vt per illorum eclipses fieri solet, non idcirco existimandum est ob id Solem ociari aut cessare: tametsi res terræ cum illo dispensent. ÆSC. Sic dum sopiuntur vel impediuntur naturalis facultas & animalis, quæ Ioui & Lunæ inauthorantur, cor vna cum vitali suo spiritu affici, cessare, & ociari (tametsi cū illo in corpus agant, & eius res dispensent) credendum non est. Qua in re si dubitas, te meus facile docebit Galenus. Si animal, inquit, neque sentiendi, neque mouendi ab electione facultatem habuerit, neque nutriatur, hoc est, si sopitas facultates duas sustinuerit, animalem nimirum, & naturalem (sicuti in latentibus animalibus multis per hiemem contingit) nihilominus viue-

Luna & Iupiter impediri possunt saluo Sole.

Animalis facultas & naturalis sopiri possunt salua vitali.

re, quod cor manserit illæsum, haudquaquam negandum est. Hæc Galenus meus, vbiq; sane magnus. VRAN. Me profecto, Æsculapi, totam in tui admirationem rapis, vsq; adeo erudite loqueris. Ceterum, Sōl quem veteres philosophi cum Alcinoo Platonico, si bene memini, ceu rerum inferiorum summum gubernatorem, & venerati sunt, & coluerunt: cuique generationem largiti sunt, vim ex se genuinam habet & natiuum lumen, vna cum facultate qua actiones varias & multiplices perficit. Luna contra, tametsi soror tradatur, & cum illo in eodem Latonæ auiæ tuæ vtero gestata. ÆSCVL. Sic naturalia corporum instrumēta, Solem illustratorem & fautorem agnoscentia, vim ex se congenitam habent, qua actiones suas commode perficiunt. Animalia, Lunæ ex parte mancipata, contra: tametsi in vno corpore sedem vtraque habeant, & ab eodem gestentur baiulo. Nam ex meo Galeno, incognatum sensus principium animalia instrumenta nequaquam admittunt; sed aliunde, veluti lumen Lunæ, illis suppeditatur, & adest. VRAN. Æsculapi, planeta ille, quē tuus Mercurius in si ● ἰατρομαθηματικῷ αἱματοποιὸν nuncupat, hoc est, sanguificum, dum in cælo valet, temperata radiorum distributione, & salutari calore, inferiora quæque, cum Sole, fœcundat, vegetat, & animat. Vnde Græcis ἀπὸ τῆς ζωῆς, hoc est a vita, ζεῦς, & Latinis Iupiter, quasi iuuans pater, nomen habet. Dum vero languet, in his omnibus parcius agit, ac remissius operatur. ÆSC. Ingeniose quidem, Vrania, multis me oneras vt [illegible]

Soli ex se vis congenita & lumen inest.

Luna cōtra.

Naturalibus corporum instrumētis ex se congenita vis inest: animalibus contra.

Iouialis in cælo natura, rebus terræ admodum est benefica.

succumbam:insurgo tamen,& vt palma, quãto onerosior, tanto vegetior emergo. Itaque naturalem vim & sanguificam in hepate facultatem, omnibus a te propositis obiicio. Quæ dum in humano corpore valet omnia temperata sanguinis distributione, & salutari calore,alit,fouet, ac sustinet. Dum vero languet,imbecilla fit,deprauatur,aut læditur,vel sanguis ipse,cui⁹ officina est illa, largius quam par sit hauritur, hominem male afficit: atque iamiam posita contrario modo agit:imo vero vitæ periculum intentat.Quod vtique verissimum esse, maximo suo malo (si tamen malum dicenda est mors) abunde fidem faciunt, qui per ingentes & vndosas sanguinis profusiones,animam,vt canit poeta, cum sanguine fundunt. V R A N. Moueo quidem aduersum te multa, Æsculapi, sed nihil vt vincam promoueo. Age, dum audis, imo vero dum vides septem planetas,sedibus,motu,actionibus,& qualitatibus disclusos esse, mutua tamen conspiratione, duce solaris maiestatis ineffabili spiritu, sic inter se colligari, & concentu respondere, vt in conseruanda vniuersitatis rerum orbiculata (quemadmodum dicebat Socrates) & cathena, modificandisque inferioribus omnibus, numquam aberrent: quid cogitationi meæ de numerosa humani corporis supellectile pro his repręsentabis? ÆSC. Facultates tres humanum corpus dispensantes, Vrania,cũ his quæ naturali subministrant, & ancillantur, numero quatuor, septenarium cum iam dictis tribus simul efficientes, quotus scilicet est tuorum planetarum ordo,

Naturalis in homine facultas rebus corporis admodum benefica.

Planetis mira inest concordia in discordibus naturis & locis, ad temperandam rerum inferiorum vniuersitatem.

Facultatibus huma.corpo. mira inest concordia in discordibus naturis &

locis, ad temperandã rerum corporis vniuersitatem.

vt antea dictum est. Nam illas in perfecto animante, substantia, motu, actionibus, instrumentis, sede, & qualitatibus dissociari, nemo negabit philosophus, nedum medicus: mutua tamen cõspiratione (natiuo calore duce cum suo spiritu) ad vltimam vsq; vitæ periodum, humani corporis harmoniam tam belle tueri, & in seruandis, modificandisq; illius rebus sedulo aduigilare, vt nihil supra, nihil melius. VRAN. Intelligis, Æsculapi, in quouis cęlorum planeta, motum, radium, & ex his defluuium, adconseruandam rerum mundi numerosissimam, sobolem, sic perenni fœdere inter se ligari & sociari, vt diuelli numquam possint, nisi veniente mundi interitu, & vniuersali ruina quæ cuncta abolebit. ÆSC. Sic intelligis, Vrania, aut saltẽ scire debes, in quouis humani corporis instrumento, insitũ spiritum, innatum calidum, & humidum primigenium vtriusq; fundamentum ac prima substantia, ad sustinendã & regendam rerũ corporis œconomiam, sic inter se inito fœdere conuenire, ligari & sociari, vt diuelli nũquam possint, nisi adueniente totius corporis interitu. Tanta enim tamque sibi consentiens, & continuata est illorum societas & harmonia, vt semper mutuas operas tradãt: nihilq; vnũ, alterius ope destitutũ efficere possit: perinde atque in cælo & stellis fieri necessario solet. VRAN. Diuine loqueris, atque erudite respondes, Æsculapi: sed a mathematicarum prædictionum consultissimis didici, quod a Marte & Saturno planetis, vt loquitur Ptolemæus, maleficis, quoties Sol & Luna inau-

Quemlibet cæli planetã tria inseparabilia semper comitantur.

Quodlibet humani corporis instrumentũ tria inseparabilia semper comitantur.

spicata

ſpicata facie & radio pulſantur, aut cum his per magnas eclipſes ſiniſtre copulantur, tum rebus, tum etiam corporibus detrimēta hinc maxime augurantur. ÆSC. A conſultiſſimo rerum medicarum parente meo Apolline didici, Vrania, quod a bile flaua, & melancholico ſucco, noxiis humoribus & maleficis, quoties vitalis facultas, & naturalis (quæ in corpore ſe habent, vt in mundo Sol & Luna) exagitātur, pulſantur, & cum ſanguine vitiantur, aut quomodocumq; aliter, vt per febres (quæ fortaſſe in corpore ſe habent, vt in cælo eclipſes) grauantur, & impediuntur: cum animis, tum corporibus mala grauiſſima promittunt, ac inaugurantur. Quod tā verum eſſe exiſtimare debes, quam memoratarum facultatum, vitalis (inquam) ac naturalis, Solem & Lunā fontes eſſe. In cuius rei fidē, Claud. Ptolemæi incōparabilis rerum cæli magiſtri verba hîc tibi ſubſcribā: ὁ ἥλιος (inquit) ἐστὶ πηγὴ τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, ἡ δὲ σελήνη, τῆς φυσικῆς. quod eſt, Sol fōs eſt vitalis facultatis, Luna vero naturalis. In quo præſens colloquiū tibi claudo.

A Marte & Saturno, Solis ac Lunæ harmonia turbari poteſt.

A bile flaua & melancholia, vitalis facultatis, & naturalis harmonia turbari poteſt ac vitiari.

DIALOGVS SEXTVS, DE APplicatione innati Solis caloris ad natiuum humanorum corporum calorem.

VRANIA.

NVnc demum illud verum eſſe intelligo, Æſculapi, quod vulgo dici ſolet, deorum filii omnia norunt. Proximo colloquio, & item ſuperioribus, rerum ex parte cæli a me

propoſiaarum ſimilitudines & coaptationes cum his quę ſunt in humano corpore, non ſolum ſagaci intentione, ſed etiam mira animi auiditate ex te audiui: cuperem deinceps reliqua eadem attentione auſcultare. Quare per Hippolytum paternis imprecationibus ab equis dilaniatum, & Dianæ amitæ tuæ rogatu, abs te in vitam reuocatum: perq; Androgeum Minois filium ab Athenienſibus interfectum, & vita itidem a te donatum, peto & obteſtor, ne mihi quærenti & proponenti deeſſe velis. Certum eſt, Æſculapi, a Sole, cui cum calore lux eſt cōgenita, ipſam lucem non ſolum defluere, ſed & lumen ac ſplendorem: qui perſpicua corpora colluſtrans, illa nō modo ſplēdida, ſed etiam lucida reddit, afficit inſuper, atq; irradiat. ÆSC. Sic, Vrania, certum eſt a ſanguine, & natiuo calore lucidum ſpiritum non ſolum defluere, ſed cum eo occultum lumen æthereum adeſſe, quod omnes corporis partes colluſtrans, afficit, vegetat, ac ſuam lucem eis quodammodo impertit, perinde atq; radius Solis in obiectum corpus cadens & illabens. VRAN. Quantum habes verborum, Æſculapi, tantum mihi exhibes admirationum. Ecce, Solarem teporem rurſum obiicio, aut, ſi mauis, calorem, qui vniuerſæ inferioris naturæ eſt inſtrumentum plane diuinum, ac rerum omnium fomes ſanequam ſalutaris. Ille vim ſuam per ſingulas orbis terrarū partes, abſq; motu, quaſi vehiculo impertire, & vndequaq; diffundere non poteſt. Huic, quid dabis ſimile in humano corpore? ÆSC. Inſitū calorem, Vrania, qui rerum omnium corporis

A ſolari radio, qui ſemper calet, lux mira & ſpiritus ſane quamefficax dimenat.

A ſanguine, qui ſemper calet, & natiuo calore, ſpiritus ſane quamefficax emanat.

Solaris calor abſque motu & ſpiritu in res terræ poteſt parum.

ris fomes est, ac portio de vniuersis præstantissima, quia cælestis & ætherea. Illum in omnes humani domicilii partes permeare non posse, hucque & illuc momento diffundi absque vehiculo aliquo, certum est: quod equidē prisci, spiritum nuncupauerunt. poëtæ auram æthereã. alii flammulam cælestem, quidam radium diuinæ originis: & irrequieti motus: cuius vis, toti corpori (vti Solis vniuerso mundo) ad exercendas actiones idonea subministratur. Huius substantia, sicuti tenuissima est, pura, illustris, fluens, ætherea, astro persimilis, &, vt vno verbo dicam, plane cælestis, ita ab ipso calore (tanta est cognatio) nulla arte separabilis. Quæ duo sic connexa, & nodo plus quam Gordiano colligata, qui ab Hippocrate meo fluxerunt Academici, & cum his Galenus, nunc ignem, nunc calorem, & diuinum spiraculum appellare nihil sunt veriti. Peripatetici, calidum nonnumquam, alias naturalem calorem, aliquoties animæ & corporis vinculum, & quandoque post meum Hippocratem, spiritum: fortasse quod visum fugiens, & sensum omnem latens, in vniuersam humani theatri compagem clam spiret, perreptet, ac perflantis modo, impetum faciat. Quibus concinunt Stoici, nisi quod tum naturæ, tum animæ substantiam falso esse putauerunt. VRA. O eruditum sermonem! ô magnum mysterium! ô φιλοσοφώτατον Deum! qui mathematicis medica, & philosophica, vtrisque tam apposite iungit & accurate conciliat. Sed dic, obsecro te per auream istam barbam, Æsculapi, quid est quod ge-

Natiuus calor absq; motu & spiritu, in res corporis potest parum.

Solis calor cũ suo spiritu terram fouet ac vegetat.

nitali Solis tepore, & calorifico spiritu quãdiu fouetur telluris gremium, & e propinquiore loco potentius subigitur, validoq; spiraculo salutatur, fructus suos tempestiue illa profert, & quidquid in ea iacet, salutari calore perfusum viget, nutritur, augescit, & sibi simile procreat? Dum vero ille idem vitalis calor distrahitur, & remissius spirat (quia e longiore loco illapsus) in marcorem, & senium abit? Dic, inquam, Æsculapi, quid hoc sibi vult? aut quidnã simile habet in humano corpore? ÆSC. Natiuum calorem cũ suo spiritu, Vrania: qui meo Galeno, nunc diuinum nescio quid, nunc fidelissimus vitę custos, & omnium naturalium actionum opifex, quandoq; vero anima, aut princeps animæ instrumentũ, & cælestis ignis germen quoddam, non tam est dictus, quam habitus. Aristoteli, stellarum quidpiam elemento respondens: cui vnus maxime præest Sol. Is tantisper dum suam harmoniam seruat, & singulis partibus corporis (siue simplices fuerint, siue compositæ, aut, si magis placet, similares, vel instrumentariæ) quasi vitæ lucerna quædã prælucet, functionum obeundarũ liberam illis facit potestatem: omniaque in corpore viuere, alimentum trahere, conficere, nutriri, augescere, procreare, sensu affici, moueri, & cum vectore suo spiritu, quiduis exequi permittit. Dum vero parcius fouet, & imbecillior euadit, vitalesque suos radios languidius iaculatur & distribuit, hominem totum quantus est, emarcidum, & quasi tabe confectũ relinquit. Qui si per magnas vacuationes, vt per effusum immodice

Natiuus calor cũ suo spiritu corpus fouet ac vegetat.

sangui-

ſanguinem in hæmorrhagiis implacabilibus, vel alio quouis modo diffugerit, corpoream molem, etiam ſi Miloniana eſſet aut Cyclopéa, tam facile proſternit, & funditus euertit, quam muſcam (quod dicunt) elephantus: nihil auxiliante oſſium duritie, tendonum nexu, ligamentorum tenacitate & muſculorum pulpa. Quæ omnia natiuus ille & vitalis calor cũ ſuo ſpiritu ſuſtinet ac fouet. In quo, Vrania, diuinam prouidẽtiam ſatis admirari quis ſufficiat? VRAN. Paucorum ſane deorum deus es, Æſculapi, qui in res humani corporis tam alte penetraueris. Sed heus tu? Solaris vnus calor, cæli & terræ harmoniam, de omnibus maxime continet ac tuetur: coniugiumq; inter illos a poſitis mundi fundamentis initum optime firmat, & vt fetialis quiſpiam ſocia fœdera tractat. ÆSCVLAP. Sic, Vrania, natiuus calor, omnium corporis facultatum harmoniam, nec non animæ & corporis coniugium fouet, & gratiſſimo vinculo tantiſper vtrumque ſociat, & alligat, dum Deo Opt. Max. illud ſoluere viſum fuerit. VRAN. Tibi inauditum non eſt, nec item nouum, Æſculapi, quod vi Solis ex humidis terræ locis vapores ſurſum rapiuntur: qui poſtea loci frigiditate addenſati, in nebulam aut nubem facile coguntur, quæ tandem ſoluta pluuiam deorſum longe lateq; ſtillat. ÆSCVL. Sic inauditum tibi non eſt, nec item nouum, Vrania, quod vi natiui caloris, qui (vt millies dixi) Solem fautorem agnoſcit, ex humidis corporũ partibus, nec non ex ingeſto cibo & potu, ex hepate, ventriculo, venis, aliiſque vaſis & locis,

Solaris calor cum ſuo ſpiritu, cæli & terræ coniugiũ firmat.

Natiuus calor cum ſuo ſpiritu, corporis & animæ coniugium firmat.

Vi ſolis vapores ad aerem perlati, humiditates deorſum effundunt.

Vi natiui caloris vapores ad cerebrum mittũtur, qui hu-

miditates & catarrhos deorsum refundunt.

vapores sursum ad cerebrum mittuntur, qui postea loci frigiditate condensati, in pituitam ceu pluuiam quandam abeunt quę postea deorsum in subiectas partes varie effunditur, deerrat, & illabitur. V R A N. Recte sane. Sed Sol sua leuitate, tenuitate, raritate, splendore, motu, radio & perspicuitate in omnes terræ & aquæ partes vel quantumuis exiguas, magnas, profundas, superficiarias, raras aut densas peruadit: easque pro sua & illarum natura varie mouet, afficit, exercet ac agitat. Æ. S C. Ita æthereus & natiuus humanorum corporum calor, sua leuitate, tenuitate, raritate & motu in omnes corporis partes quantumuis exiguas, magnas, profundas, superficiarias, raras aut densas facile peruadit, ac promptissime penetrat: easque pro sua & illarum natura varie afficit, mouet ac agitat. V R A N. Breuis ero Æsculapi. Solaris calor diebus paucis, imo vero horis id efficit, quod vel ingentissimi ignis aut rei alterius actio & facultas, etiam multis annis, non dicam exequi, sed ne quidem aggredi sustineret. Nam ex paruulo semine, vt maiora taceam stirpem facit: & rursum ex ea florem producit: deinde ex illo fructum coquit, in quo ipsummet est semē quod sui generis stirpem aliam edere natum est: ne rerum pereat vniuersitas: nō sine diuino, planeque venerando Dei Opt. Max. beneficio. ÆSC. In hunc fere modum natiuus humanorum corporum calor cum suo spiritu, germen vere cæleste & diuinum, paucis horis id efficit, quod maximi ignis, vel rei alterius præstantissima energeia, longo tēpore, imo vero nunquam

Sol in quascumque terra partes raras, densas, &c. labitur & meat.

Natiuus calor in quascunque partes corporis labitur & permeat.

Solaris calor paucis diebus multa in rebus terræ operatur.

Natiuus humanorū corporum calor paucis horis multa in rebus corporis operatur.

quam perfecerit. Nam ex pane,carne,pisce,olere,aqua,vino (vt alia taceam) chylum facit: & rursum ex eo sanguinem elaborat: ex quo singularum partium corporis fluor omnibus horis instauratur: & quod deperditum est reparatur: postremo, genitale semen ex illo eodem(suffragante toto corpore)elicit,quod sui generis corpus aliud,ne hominum vniuersitas pereat,edere aptum est: non sine inenarrabili omnipotentis Dei miraculo. VRAN. O incôparabilis philosophi ac medici magnum & eruditum responsum! Sed fare age, ô bone Æsculapi: his locis in quibus solaris calor desideratur, languet aut imbecillus est, multa desiderari certum est: imovero ibi omnia languere,prosterni,ac marcescere. ÆSC. Ita his corporibus in quibus natiuus calor languet, aut imbecillus est, facultates omnes & actiones, siue internæ illæ fuerint,siue externæ,lãguere ac prosterni notũ est: imo vero corpus ipsum totum tabescere. VRAN. Nouit vel media de plebe popellus,quod Sole a Capricorni tropico emergente, & veluti gradibus quibusdam atque ætatibus per vernum Æquinoctium,ad æstiuale Solstitium ascendente, vigorem in terra accipiunt omnia: tunc enim plantæ pullulascunt,germinant stirpes, florent herbæ & arbores,fructusque edunt in vsum hominum: foras item prodeunt animalia quæque: colludunt, & in Venerem furiasque ruunt: paucis, in terra variæ rerum species, motus & actiones tum sese produnt ac manifestant, pro cuiusque modulo ac natura. Hinc vero, hoc est ab æstiuali Solstitio per autumnale Æqui-

Vbi Solis calor desideratur, ibi languida sunt omnia.

Vbi innatus calor desideratur, ibi lãguida sunt omnia.

Solis per quatuor Zodiaci cardines peragratio, res terræ varie afficit ac mutat.

noctium ad eundem brumalē Tropicum descedēte illo, omnia contrario se habere modo, nullus est qui non videat. Nam vniuersa terræ facies tunc habitum a priore longe diuersum induit: vnde languere occipiunt rerum eius actiones omnes: marcescūt plantarum venustates, decidunt folia, nudantur rami, corrugātur cortices, pereunt terræ vires, gemunt auiculæ, latebras quæritant animalia, atq; a ludis & Venere abstinent, pigram quietem agendo: in summa, facies omnis terræ quasi moribunda triste quiduis præ se fert. Æ. S C. Sic natiuo humanorum corporum calore a pueritia, ceu gradibus quibusdam per adolescentiam in iuuentutem ascendente ac inualescente, vigorem in corpore accipiunt omnia. Nam tum facultates, & quæ illis subministrant ac ancillantur, vegetæ sunt & fortes. Vnde pili in corpore pullulascunt, genæ pubescunt, florēt studiis homines: eorumq; fructus in ciuitatum vsum depromunt, labores sustinent, Veneri & proli indulgent, colludunt, saltant, &, vt paucis colligam, varias actiones cum animi, tum corporis exercent: pro cuiusq; modulo & natura. Hinc vero, hoc est, a iuuentute per senectam in decrepitam ætatem dilabente illo, omnia contrario modo se habere quam prius, nullus qui non obseruet. Nam vniuersa corporis facies tunc habitū a priore longe diuersum circūfert. Vnde languere incipiūt rerum corporis actiones omnes & facultates cū suis ministris naturalis, vitalis, & animalis; labascunt vires, perit venustas, defluunt pili ac canescunt, nudatur cranium & caluescit, cutis in rugas

Natiuus caloris per quatuor vitæ ætates progressio, res animi & corporis varie afficit atque immutat.

rugas contrahitur, gemitus oboriuntur, latebras & solitudinem quæritant homines, a publicis negociis, ludis item & Venere abstinent, atq; partis vtentes desidem vitam agunt: in summa, triste quiduis, ceu moribūdi, obeunt, ac præ se ferunt. VRAN. Idem solaris calor cū suo spiritu, Æsculapi, partibus omnib. terræ ex multiformi materia confusis, non quiduis, sed quod illis est familiare instillat ac largitur: quibusdam vina, nonnullis Cererem, aliis poma, nuces, odores, & ita deinceps. ÆSC. Sic insitus corporum calor cum suo spiritu, quem (vt dixi) perpetuum habet comitē, rebus humani domicilii, & partibus eius omnibus, ex multiformi materia cōfusis, non quiduis, sed id solum quod cuiq; ex vsu est, & accommodatum largitur ac impertit: vētriculo coctionem, hepati sanguinis elaborationem, & ita de reliquis. VRANIA. Nunc demum futurum spero, vt dicas rem tibi cum rustica non fuisse, quin potius cum astronoma & philosopha. Age itaq;: ille idem solaris calor cum suo spiritu in vastam rerum mundi inferioris multitudinem, tam intra terram quam extra, per certos meatus & cuniculos effusus, via omnem sensum fugiente, omnia ibi contemperat, vegetat ac sustinet. Huic ecquid dabis simile in humano corpore? ÆSCVL. Illum eundem insitum calorem cum suo spiritu, Vrania. Nam per certos venarum & arteriarum meatus (cuniculos dicas) in numerosam rerum corporis multitudinem, tam intra, quam extra effusus, via omnes obseruantes fallente, ibi omnia contemperat, fouet ac

Solaris calor rebus terræ quod familiare est desuper infundit.

Natiuus calor rebus corporis quod est familiare impertit.

Solaris calor omnia fouet & alit.

Natiuus calor omnia fouet & alit.

A calore Solis remota mundi partes parum habent caloris.

A natiui caloris fonte remota partes parum habent caloris.

Solis calor vbiq; non est idem, nec ex æquo viget.

sustinet. VRANIA. Mundi partes, Æsculapi, quæ a Solis curriculo, aut, si mauis, signifero longe lateque recedunt (cuiusmodi sunt extrema septentrionis & meridiei) minus recipiunt de æthereo Solis calore, ac viuifico eius spiritu, quam quę illi proximius hęrent. ÆSC. Ita corporis partes, Vrania, quæ a cordis theatro (in quo triumphat natiuus calor cum suo spiritu) longe lateque recedunt, vt sunt capitis, brachiorumque, ac pedum extrema, minus habent caloris, quam quæ illi adhærent, vel non tam procul absunt. VRANIA. Adhuc lapillos aliquot mouebo, vt tibi negotium facessam. In omnibus mundi partibus non ex æquo viget, valetque Solis calor cum suo spiritu: vnde similia vbique non edit. Nam aliter agit, atque alia operatur in res orientalium, quam occidentalium: adhæc meridionalium, quam septentrionalium: ex quo vtrobique emergunt variæ & dissimiles cum rerum, tum hominum, & item animalium effigies ac naturæ. ÆSCVL. Multa quidem moues, Vrania, sed nihil promoues. Oppono isti tuæ propositioni dictum calorem natiuum cum suo spiritu: nam in omnibus mortalium corporibus, eorumque partibus ex æquo non viget, valetque: vnde similia vbique in illis non edit. Aliter enim in corpus viri, quam feminæ agit: nec non adolescentis, quam senis. quare vtrobique diuersæ ac dissimiles actiones, res item & motus fiunt atq; emergunt. VRAN. Idem solaris calor statis annorum reuolutionibus æstu vsq; adeo intolerabili nonnunquam efferuescit, vt non solum terræ actiones, sed re-

Natiuus calor in corpore non ex æquo vbiq; viget.

Solaris calor quandoque igneus & intolerabilis.

rum

rum eius partes ſolidas nedum humidas perdat, ac genita quæque bona ex parte ad interitum perducat. ÆSC. Sic humanorum corporum natiuus calor ita aliquando efferueſcit, exacerbatur, & in ignem furiaſq; abit, vt non ſolum corporis actiones & facultates labefactet, ſed etiam ſpirituoſas partes & ſolidas, nedum humidas perdat, exhauriat, & ad interitum deducat. Quod in febribus ardentibus & quæ illis plurimum ſuccedunt hecticis vero verius euadit. VRAN. Bene quidem, Æſculapi, & erudite. Verumenimuero, ſolaris calor in certis locis efficit vt albi ſint homines: in aliis fuſci & nigri: in quibuſdam rubicundi, rufi, &c. pro maiori illius incremento & detrimento. ÆSCVLAP. Ita natiuus corporum calor, Vrania, in certis corporibus efficit, vt quędam ſint alba, alia fuſca & nigra, nonnulla rubicūda, &c. pro illius copia vel inopia, incremento vel detrimento. Quanquam medicos meos ad humores ſub cute latenteis, & redundanteis id etiam recte accommodare ſcio. VRAN. Probo quæ dicis ac laudo, Æſculapi. Sed quid hoc quod illemet Solis calor prout validior eſt aut imbecillior, efficit vt loca quędam fœcunda ſint, alia ſterilia, nonnulla fœtida & triſtia, alia bene olētia, iucunda ac plauſibilia? ÆSC. Quid hoc, Vrania, quod innatus humanorum corporū calor diuinus ac æthereus, prout validus eſt aut imbecillus, efficit vt corpora alia vegeta ſint & fœcunda: alia languida & ſterilia: nonnulla putria, triſtia & fœtida, ſi paucus ſit, idemque languidus, & ad ingeſtorum coctionem longe impar: mul-

Natiuus calor quandoq; igneus & intolerabilis.

Solaris caloris actiones variæ ſunt & opera.

Natiui caloris actiones variæ ſunt & opera.

Solaris caloris energia multiplex.

Natiui caloris energia multiplex.

ta insuper bene olẽtia, iucunda ac læta, si probe cibos cõficiat, nullas cruditates relinquat, & ex chylo sanguinem laudabilem elaboret. VRAN. Sic esse arbitror Æsculapi. Ceterum, Solis ille idem calor, aut (si vis) tepor, magnũ naturæ seminarium Academicis nuncupatus: qui corpus quidem non est, quin potius cælestis qualitas quædam, essentiæ suæ tenuitate, ad penitissimos vsq; terrę & aquę recessus, per superiora elementa cæca omnibus via sese insinuat, ac vires exerit. ÆSCVL. Natiuus corporum humanorum calor, Vrania, qui cum suo spiritu corpus non est, sed huius tui solaris teporis soboles, & germen, ad intimam vsque ossium medullam, & profundissimas rerum corporis latebras, vt antea dictum est, cęca omnibus via, sese insinuat, vires exerit, ac transfundit. VRAN. Ille idem calor, solaris inquam, vt ab eo non recedam, semper est (nisi fortasse impeditus) cum splendore: tamdiu a suo exortu nos illustrans & fouens, donec Sol ipse suum radium subduxerit, & a nobis fugiens, tenebras luci contrarias, deorsum peperit. ÆSCVL. Mirarer, nisi cœlestis esses, Vrania, tantum eruditionis philosophicæ in fœmina posse reperiri. Age, natiuus calor, qui semper est cum spiritu & splendore quodam, ista omnia quæ de Sole modo attulisti, in humanis corporibus molitur. Nam illorum vitã ab exortu & natiuitate tandiu fouet, donec eius vibratio, radius, præsentia, actio, & spiraculum, inde euanuerit: ac mortis tenebras (in suam familiam reuolans) immiserit: vt calor ipse cum sui spiritus radiatione, sit quodammodo

Solaris caloris vis mira & penetrabilis vsq; ad intima terræ & aquæ.

Natiui caloris vis cum suo spiritu vsq; ad intimas carnis & ossiũ partes penetrat.

Solis calor & splendor sua præsentia terram fouet ac temperat.

Natiuus calor cum suo spiritu sua præsentia corpus fouet ac temperat.

modo corporis lux & vita, ſicuti Sol mundi. VRAN. Pauca ſuperſunt quæ hic tibi proponam, Æſculapi: ſolaris calor ad rerum inferiorum generationem & modificationem, temperato Iouis tępore de omnibus ſtellis, ſicuti adnotarunt priſci, maxime gaudet, ac recreatur. ÆSC. Sic natiuus humanorum corporum calor, vitæ pabulum omnium præſtantiſſimum, vna cum vectore ſuo, & perpetuo comite ſpiritu, temperato ſanguine (in quo eius ſubiectum meus ſtatuit Galenus) ad res corporis modificandas, & ſuſtinendas maxime gaudet, atq; recreatur. VRAN. Hoc ſolū reſtat iſto colloquio: Solaris calor, qui totus eſt in ſpiritu, a cælo in ſibi ſuppoſitam mundi vniuerſitatem diffuſus, naturales rerū omnium facultates in alendo, vegetando, operando, aut quomodocunq; aliter agendo fouet, regit, & excitat: ſe rebus omnibus ſic accommodans, ſic ſingulorum naturis inſeruiens, vt quantum cuiuſque conditio, & facultas deſiderat, quantum ipſa ſubiecti præparatio ferre poteſt, tantum exhibeat & infundat. ÆSC. Ad hunc fere modum, natiuus humanorum corporum calor, qui totus meo Galeno & medicorum filiis eſt in ſpiritu, facultates corporis omnes, atq; adeo naturalem, ad opus excitat, & in cibo attrahendo, retinendo, coquendo, diſtribuendo & aſſimilando firmat, roborat, & adiuuat. Rebus omnibus corporis ſic ſe accommodans, ſic ſingulis organis inſeruiens, vt quantum cuiuſq; facultas expetit, tantum exhibeat, & gratis impertiat.

Solaris calor, temperato Iouis tępore, recreatur.

Natiuus corporum calor temperato ſang. tepore recreatur.

Solaris calor & ſpiritus, rerum terræ facultates omnes ad actionem parat & excitat.

Natiuus corporum calor vna cum ſuo ſpiritu, res corporis & eiuſdem facultates omnes, ad opus præparat & excitat.

DIALOGVS SEPTIMVS, DE SOlis cum corde humano aptatione.

VRANIA.

DIſperεam, Æſculapi, ſi vnquam credidiſſem tantum harmoniæ ineſſe humano corpori cum cælis. Fac, obſecro te, per tuum lucum Epidaurenſem, in quo neq; mori quiſpiam potuit, neque grauida mulier parere, vt reliqua deinceps eadem facilitate intelligam. Rurſum itaq;, imo vero decies, & centies (nihil refert quoties, modo bene, & appoſite) Solem militiæ cæleſtis ducem incomparabilem tibi proponam: quem priſci nihil latere, nihilque fugere ſcripſerunt, ac ſemper iuuenem, ſemperque renaſcentem perhibuerunt. Hunc motu & radio, inferiora ac ſuperiora quæque temperare, fouere, ac vitali ſpiraculo perfundere, non tam eſt traditum, quam de experientia cuique cognitum. quod tametſi ad alia paulo ante eſt detortum, nihil moueberis ſi ad præſentem ſermonem accommodabitur.

Sol motu ſuo, & vitali ſpiraculo res mundi omnes perfundit & inſpirat.

ÆSCVL. Pro tuo iure, quæcunque voles, apud me potes, Vrania. Itaque tuæ poſitioni aptare ſtudebo cor humanum, fabricæ corporis, ſi Peripateticis credis, fundamentum primum, & columen adprime ſuſpiciendum. Quod vitali ſpiraculo, & pulſante motu, tam ei ſubiectas, quam ſuperpoſitas corporis res omnes perfundere, & arteriarum adminiculo, inſpirare & vegetare, non tam eſt ſcriptum, quam de experientia compertum.

Cor humanū motu ſuo, & vitali ſpiritu, res corporis omnes perfundit ac inſpirat.

VRAN. Idem Solis motus, inferiora perpetuo radio pulſans, & vbique res mundi omnes illuſtrans, cui indefeſſus comes eſt ſpiritus.

Solis motu & ſpiritu nō poteſt carere mundus.

tus, si vel intermitteretur, vel penit⁹ a mundo subduceretur, nullũ neq; an mal, neq; planta quemadmodum tuus scripsit Galen. vel momento stare posset. ÆSC. Sic cordis perpetuo pulsans motus per suas & arteriarum systolas, necnon diastolas, cui indefessus comes est vitalis spiritus, si intermitteretur, vel penitus a corpore subduceretur, nullum neq; viscus, neque membrum stare posset, vel quoquo modo viuere VRAN. Sane acutus es, & in respõdendo sanequam ingeniosus, Æsculapi. Sed ipse idem Sol, salutaris caloris inexplicabili diuinæ prouidentiæ consilio, fœcundissimũ habetur promptuarium, rebus terræ gignendis, alendis, ac temperandis, spiritum viuificum, & mere æthereum instillans. Cuius fons inexhaustus, & vbiq; fluens, ac omnia irrigãs, cum dicto sole quotidie circumfertur. Huicquid simile gerit humanum corpus? ÆSC. Cor, Vrania, quod equidem vitalis caloris diuinum est armarium, reb. corporis temperandis, fouendis ac alendis, spiritum vere cælestem & æthereum emittens. Cuius fons limpidus & aureus res omnes corporis perfundens, cum dicto corde quotidie circumfertur. VRANIA. Præsente Solis benefico lumine, & salutari radiorum eius distributione, terræ partes omnes suis muneribus, quasi præsente patrefamilias, quotidie bellissime vtuntur: ac detrimenta, si quæ habet, aut illi intẽtantur, facile agnoscũt. Eiusdẽ absentia aut laborib. omnia imbecilliora euadunt. ÆSC. Sic præsente cordis salutari pulsatione, necnon valente vitali facultate (quæ ex corde pendet, perinde atq; a Sole radi⁹) corporis partes omnes, veluti su-

Cordis motu & vitali eius spiritu non potest carere corpus.

Sol salutaris caloris ac vitalis est fons.

Cor vitalis caloris ac beneficii est fons. Solaris caloris actio & præsentia rebus terræ confert, absentia incommodat.

Cordis actio & eiusdem calorifici spiritus præsentia rebus corporis commodat, absentia incommodat.

perſtite in familia parente, ſuas actiones & munera probe obeunt. Contrario ſe habente modo, hoc eſt, laborante eo, omnia imbecilliora euadunt. VRAN. Paucis multa complexus es, Æſculapi, meq; in proponendo iamiam ſollicitam reddis. Inſiſtam tamen, atque eundem Solem tibi producam: quem de fixorum aliquot ſiderum, & item planetarum radiatione, temperie, aſpectu, pulſatione, natura, ac laboribus, de cardine ſui temperamenti poſſe auerti, impediri, aut ſaltem mutari, (tametſi Homero cæli rex dicatur) ſolenneſq; decretorum ſuorum vires per aerem ex ęquo nō ſemper obire, fidem inexpugnabilem hactenus fecerunt, quum alia permulta, tum mutationum aeris annuæ obſeruationes, & quatuor tempeſtatum anni conſtitutiones ſępenumero præpoſteræ. Quæ ſi de Sole penitus penderent, ſibi ſimiles & conſtantes vtique eſſent: cum vniformem & motum, & locum fere vnoquoq; anno in ſuo orbe ille teneat, ac habeat. Quid his de tota humanorum corporum familia oppones, diuine Æſculapi? ÆSCVL. Humanum cor, Vrania, ſicuti perſuadebunt quotidiani caſus, & velis nolis, fateri coget experientia, rerum incertarum certiſſima magiſtra. Nam licet inſiti caloris corpus ſuſtinentis fomes ſit, & origo adhæc partium omnium corporis, Peripateticis, prima & nobiliſſima, vitæque prætorium maieſtatis plenum, ac ſpirituum cella veluti promptuaria, necnon vitæ domicilium: nihilominus de aliorum viſcerum intemperie, morbo, offenſa, vitio, & pulſatione, ob viciniam, vinculum, ſympa-

Sol de aliorū ſiderum intemperie & laboribus præpediri poteſt, vel interturbari.

Cor humanū de aliorum viſcerum intemperie & laboribus præpediri poteſt vel interturbari.

ſympathiam,& cõtubernii fœdus, de ſui temperamenti harmonia intercidere poſſe,& cõſuetarum operationum nonnihil obliuiſci, tam eſt certum,quam quod maxime. VRAN. Vbique magnus es: ſed Solem in cælo ſi poſueris inferius, vbi nunc eſt Luna, ardebunt inferiora. Si vero ſuperius, ad Pyroentis, vel Phaethontis regionem, nulla terræ pars inferior vitalis erit,ac habitabilis,propter vim frigoris: vt ad verbum tuus ſcripſit Galenus. ÆSCVL. Agnoſco incomparabilis mei Galeni& ſententiam & verba, licet Græce fuerit loquutus, Vrania. Sic. in humano corpore ſi ipſum cor inferius poſueris vbi nunc ſunt genua,calebunt inferiora ob viciniam. Si vero ſuperius ad capitis regionem collocaueris, nulla corporis portio inferior vitalis erit, propter caloris penuriam: cuius promptuarium vere diuinum eſt cor. Merito itaq; (quemadmodum poſtea oſtendam) medium fere locum in corpore, perindeatque Sol in cælo, ſibi coaptauit. VRAN. Vtinam tam prompta eſſem in proponendo, quam tu in reſpõdendo. Hoc cum reliquis mihi dilue. Sol a planetis qui illum hinc inde ſtipant (vt regem ſatellites) quotidie certa officia & miniſteria ad rerum mundi gubernationem, ſtatum ac modificationem recipit: habetque illos conſortes & collegas potius, quam ſubſidiarios, vel auxiliares. Quod mihi negare ſi perrexeris, proferam Mercurii contemporanei tui teſtimonium. Mens & lux (inquit) cum verbo ſuo ſeptem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum ſenſibilem com-

Sol in cælo iuſtam & debitam ſedem habet.

Cor in humano corpore ſedem iuſtam & debitam habet.

Sol aliarum ſtellarum adminiculis vtitur in tẽperanda rerũ mundi vniuerſitate.

plectuntur, illorumq; dispositio Fatum vocatur. ÆSC. Tametsi vrges, Vrania, idcirco nondum vincis. Opponam ipsummet humanum cor, quod equidem certa officia & debita ministeria a præcordiis & visceribus, quæ hinc inde assi lent, & susque, deque (vt comites principem) illud stipant, excipere tam probatum (opinor) habes, vt amplius a me probari nolis. Nec rursum ostẽdere, ad rerum corporis moderationem illa ipsa viscera pro consortibus & collegis agnoscere potius, quam pro subsidiariis, & auxiliaribus. Quod negare si cõtendis, ad ea quæ a me superius dicta sunt, & deinceps dicentur, te placide remittam. VRAN. Tam facile tibi assentio, & ex animo credo, Æsculapi, quam Delphico patris tui oraculo. Sed illud mihi interim in mentem venit: Radiorum Solis æstum & ἐμπύρευμα, per aerem diurno tempore sparsum, a frigida & humida Lunæ ἰδιοσυγκρασίᾳ per noctem frangi, vel saltem mediocriter temperari, ab omnibus est obseruatum. ÆSCVL. Sic cordis humani æstum & feruorem (nam ex meo Hippocrate cor semper feruere oportet, reliquas partes non frigere satis est) a cerebri frigiditate, & pene dixerim humiditate modificari, negatum non est. Quod postremum, sicuti Luna suum agnoscit, ita prius Sol: quemadmodum antea a me probatum est, & posthac planius demonstrabitur. VRAN. Me hic dies potius deficiat quam verba, Æsculapi. Sed tuus Sol Areopagitæ Dionysio perspicua Dei statua nuncupatus, die, nocteq; suum motum rebus

Cor hum. aliorum viscerum adminiculis vtitur in temperanda rerum corporis vniuersitate.

Solis æstum temperat Luna.

Cordis æstum temperat cerebrum.

Sol suum motum nunquam intermittit.

rebus mundi necessarium, nunquam detrectat: nec vllam officii intermissionem facit. ÆSCVLAP. Leue est quod adfers, Vrania: nam cor rerum omnium corporis pars, vt dixi, nobilissima, & ob id principi Soli (ab antiquis cæli cor appellato) tanquam princeps tacito connubio sociata, quidquid id est quod nunc proposuisti, ob oculos expeditissime ponit. Illud enim nullo tempore, siue diurnum fuerit, siue nocturnum, a motu rebus corporis necessario, nec item ex pulsatione per arterias conquiescit, nec illam officii sui intermissionem facit. VRANIA. Theseo aliquo deinceps, vt video mihi opus erit. Sed quid hoc, Æsculapi? Diuinus ille idem Sol, a tuo Galeno sydus honoratissimum nuncupatus, & a Iulio Firmico Optimus Maximus, inter septem errantes stellas, teste eodem Galeno, locum qui virtutis est, medium obtinet: suos satellites (planetas inquam) tam sursum, quam deorsum, vbicunque, & quoties desideratum erit, pro rebus mundi paratissimos & instructissimos habens, ac intuens. ÆSCVL. Sic humanum cor, Vrania, viscerum omnium viscus nobilissimum, in medio omnino thoracis sinu collocatur. Qui locus, vt meus tradit Galenus, ad firmitatem aptissimus est, & ad æquabilem cum toto pulmone refrigerationem sanequam opportunus: vbi tam sursum quam deorsum, vbicunq; & quoties desideratum erit, instructissimi & paratissimi pro rebus corporis, illi assident satellites, viscera nimirum. VRAN. Nullus est Deorum, Æsculapi, nedum hominum,

Cor suum motum nunquam intermittit.

Sol in medio planetarum iacet.

Cor in medio thoracis iacet.

cuius sermones libentius excipiam. Ceterum, Solis motus & planetarum, qui mundo æque necessarius est atq; perpetuus, a nemine mortalium sedari potest, imovero ne quidem impediri, nisi corruente, & suum finem habente tota rerum mundi vniuersitate: si fieri quidē id posset vi humana. Æ. SC. Eadem via, cordis motus, & arteriarum pulsatio, vitæ humanæ æque necessaria ac perpetua, si secundum naturam se habuerit homo, a nemine sedari, imo vero, ne impediri quidem potest, nisi corruente, & suum finem habente tota rerum corporis vniuersitate. VRAN. Prospice tibi, Æsculapi: nam graue nescio quid ac difficile tibi propono. Si quando salutari Phœbi calore, & lumine, quæ duo simul sunt, inferiora priuari contingit (quemadmodum fit per illius labores) aut ipsum Solem quouis alio modo affici, vniuersam mundi machinam, atque adeo terram ipsam in sympathiam venire, & hinc detrimenta suis rebus male metuere, philosophiæ elementario cuique notissimum esse arbitror, nedum tibi, in rebus cæli & totius naturę exercitatissimo. Cui rei, quid dabis in humano corpore simile? Æ. SCVL. Iam centies memoratum cor, Vrania, quod equidem insignem laborem si sustinuerit, aut parte aliqua vnitionis suæ solutionem acceperit (nisi fortasse in cono, & turbinato eius mucrone infra læuam papillam, qua parte basi est paulo carnosius) vel alio quouis modo affectum fuerit, & de sua symmetria, quasi de gradu turbatum particulas humani domicilii omnes, imo vero ipsum domicilium totum, quan-

Solis motum & planetarū sedare nemo potest.

Cordis motū & arteriarū sedare nemo potest.

Solis labores rebus terræ incōmodant.

Cordis labores & affectus reb. corporis summopere incommodant.

quantum eſt (quod cor actionem toti corpori, perinde atque Sol mundo vniuerſo, communem habeat & neceſſariam) illico in ſympathiam venire, condolere, trepidare, ab officio ceſſare, & ſi perſeuerarit, illi tandem commori, luce meridiana clarius euadit. Nec temere, mea quidem ſententia cum poſt meum Hippocratem, qui non tam fallere (vt eſt apud Macrobium) quam falli nouit, meus itidem Galenus ſcribat, humani corporis operoſum theatrum, ea arte eſſe architectatum, vt vna illius agitata particula, offenſa, vel pulſata, reliquæ omnes facile moueantur, & in aſſenſum cum auxilio ex tempore accurrant. Quod facere in toto ſi aggreditur vnguis, corporis portio abiectiſſima, (ſi tamen inter illius partes habendum cenſes) ſi digitus, ſi nerulus, ſi interaneorum aliquod: ſi dens, ſi pilus, nihil cum toto corpore gerens commune, quid a corde, partium omnium corporis præſtantiſſima, & vitam humanam in ſe claudente, fieri mihi donabis? VRAN. Quæ in labris natabant, Æſculapi, dum doctiſſimis tuis reſponſionibus animum intendo, effugerunt, ac præteruolarunt. Illud interim ſuccurrit, quanquam fortaſſe prius dictum: Solis & planetarum motu, necnon pulſatione, & perpetua radiorum vibratione, rerum ſublunarium vniuerſitas carere non poteſt. ÆSC. Ita cordis motu, Vrania, vt iam millies eſt cantatum, & aſpiratione eiuſdem, necnon perpetua ex illo arteriarum pulſatione, humanum corpus carere non poteſt. In cuius rei fidem, te quaſi manu adducet arteriarum

Solis motu & planetarum pulſatione indiget partium terræ vniuerſitas.

Cordis motu & arteriarũ pulſatione indiget partium corporis vniuerſitas.

interceptiones: quæ aut vinculis, vt meus habet Galenus, aut aliis caufis factæ, quia per has cordis afpiratio prohibetur, mox animal tanquam attonitum, inutile, & mortuum, repentino lapfu reddunt, vel faltem repræfentant. Quod de experientia tibi manifeftum relinquitur. VRAN. Hoc poftremum reftat, Æfculapi: Sol duos habet orbes, & totidem motus a fe inuicem difcretos: quibus aurigantibus, tam furfum quã deorfum fuos radios, & afpirationem, ad rerum modificationem difpergit, & quaquauerfum fundit. ÆSCVLAP. Cor, per fyftolen & diaftolen, contrarios habet duos motus, Vrania, & totidem orbiculares fere capfulas a fe inuicem difcretas. Ex quibus infignes ramos venæ arteriofæ, arteriæ venofæ, atque ex his propagines immenfas (radios effe iudices) vndique fpargit, & ad modificandam afpiratione fua vitali rerum corporis vniuerfitatem, quaquauerfum fundit.

Sol duos habet in cælo motus & orbes.

Cor duos habet motus, & orbiculatas totidem capfulas.

DIALOGVS OCTAVVS, IN QVO habetur collatio naturæ ftellarum cæli, cum humani corporis humoribus.

VRANIA.

NActa occafionem, Æfculapi, qua per tuam clementiam tecum hodie libere colloquar, vrgere, inftare, & multa proponere non ceffabo, donec factum mihi fatis intellexero, ad perfectam cognitionem harmoniæ cæli & hominis. Dic itaq; per iftud tuum caluitium

nitium (quamquam in Epidauro comatus coleris) quid sibi vult, quod Saturninæ frigiditatis & ariditatis obstinatam peruicaciam coercet, obtundit, ac tepefacit sospitatoris Iouis temperata caliditas & humiditas? adeo, vt cum illius frigido pugnet huius calidum, & cū sicco humidum. Eia, quid isti rei oppones simile in humano corpore? Æ. S C. Paucis responderem, Vrania, nisi absurditas rerum quas hic tibi sum oppositurus, vocem mihi praeriperet. Verumenimuero, quoniam primo hodiernæ diei colloquio, in eam rem tecum modestissime sum præfatus: tuq; mihi quidquid liberet, idem vt liceret candide condonasti: seruato vbiq;, quoad eius fieri poterit, tuarum, mearumq; rerum decoro, in gratiam cœptæ demonstrationis, hoc colloquium & alia quotquot voles tibi concedere, nec grauabor, nec detrectabo. Obiicio itaq; his quæ iamiam mihi proposuisti, melancholicum succum: cui venerāda antiquitas, in humano corpore, tuum Saturnum & parentem, & fautorem fecit. Huius refractariam malitiam in ariditate & frigiditate latentem, a sanguinis secundum naturam se habentis (quem etiam Iupiter suum agnoscit) miti vapore, & blandula humiditate obtundi, ac temperari nemo nescit. Quod priscos poëtas voluisse, quis negabit? dum Iouem Saturno patri testiculos (in quibus virile robur iacet) secuisse, vero verius sunt commenti? Castrat itaque Saturnum Iupiter, hoc est, ab immiti sua temperatura, ad mitiorem reuocat: & a propria natura, in aliam, blande ac placide commutat. VRANIA.

Saturni intemperies a temperato Ioue mitescit.

Melancholici succi intemperies a temperato sanguine mitescit.

Nullum est disciplinarum vestigiũ quod non attigeris Æsculapi: sed mirari desino, genealogiæ tuæ memor. Ceterum, quotusquisque est, qui non intelligat effrenes Martii sideris furias, in calidum & siccum potentissime vergentes, a frigidula simul & humidula Veneris temperatura madefieri, frenari ac valde mitescere? ÆSC. Quotusquisq; est, Vrania, in rebus corporis, vel per caliginem, versatus, qui non intelligat biliosum humorem (cui præsidere fertur Mars) a pituita, Veneri suo quodam iure inauthorata, tẽperari, frangi, ac dilui? Quod priscos voluisse in tam frequenti Martis cum Veneris furto & congressu, quis neget? VRANIA. Quis non videt, Æsculapi, quod planetæ (præcipua cælorum ornamenta) quorum potentia, teste tuo Galeno, abunde fruimur, non vno semper stant loco, nec vniformiter mouentur? Quis nescit quod nunc alti, nunc infimi, nunc vicini, nunc dissiti, modo citati, alias lenti, quandoque recti, & nonnunquam regradarii per Zodiacum incedunt? atque ex ea diuersitate, dubiam cum in elementis, tum rebus inferioribus (quæ ex illis constant) pugnam promouent & excitant? ÆSCVLAP. Quis non videt, Vrania, humores in humano corpore eandem diuersitatem & agitationem agnoscere? Quotusquisque est, qui non animaduertit illos vno loco haudquaquam stare, nec vniformiter moueri? sed nũc sursum ad oculos, dentes, collum: modo deorsum, ad ischium, inguina, genu, malleolum, articulos, nunc ante, modo retro, alias dextrorsum, quandoque sinistrorsum, deerrare, ferri,

Martis malitiam temperat Venus.

Flauæ bilis malitiam temperat dulcis pituita.

Planetarum motus varius est ac multiformis.

Humorum corporis motus varius est ac multiformis.

ferri trudi, ac transmitti? Idq; passu nunc lento, nunc celeri, alias recto, alias errabundo, pro varia humoris natura. Ex quo dubiam in rebus corporis pugnam & tragœdiam excitari, credere (nisi valde fallor) malunt omnes, quam suo incommodo experiri. VRAN. Quid illud, Æsculapi? Solis amœnissimus tepor, & sospitatores eiusdem radii, terræ, atque aquæ, necnon corporibus in illis natis & educatis, spiritum viuificum quotidie inspirant, fomentúmque salutare sese illis exhibent. ÆSCVL. Sic sanguinis tepor & vapor mitissimus, Vrania, in iecinore, ceu natiuo loco, omnium primum elaboratus, vitali spiritui, necnon animali, postea partibus omnibus in corpore natis & educatis, per proprios ductus, ceu per radios quosdam, sese fomentum salutare, & viuificum spiraculum exhibet. VRAN. Mirus es artifex, Æsculapi, in inueniendo, disponendo, eloquendo & respondendo. Age tamen, planetæ quatuor, Iupiter, Venus, Mars & Saturnus, post Solem & Lunam (qui in cælo, vt rex & regina habentur) magnos vsus obtinent in hac inferiori rerum mundi vniuersitate cõtemperanda. Iupiter, vt nutriat. Vnde ζεὺς, Græcis, quasi dicas ζωὴ, hoc est vita, nũcupatur. Venus, vt humidulo suo radio, terrã per medium aerẽ præparet, ac furtim mouendo, quadantenus subigat. Vnde ἀφροδίτη quasi humore & spuma gaudens, apud Græcos nomen est adepta. Mars, vt a putribus & excrementosis rebus, quæ multæ in telluris vtero latitant, ipsam terram expurget: ac de

Solis calor vitam de proprio spiritu rebus terræ impertit. Sanguinis vapor vitam per spiritus rebus corporis impertit.

Cælorũ planetæ quatuor magnos vsus obtinent in temperanda & modificãda rerum terræ harmonia.

illabente ſuo radio, veluti ſcopis quibuſdam, euerrat. Saturnus, vt eiuſdem actiones internas & proprium calorem ſuo frigore externo intendat, atq; adſtringendo, quæ ex vſu ſunt, retinere cogat. Quibus ſimile quidnam reperis in humano corpore Æſculapi? ÆSC. Humores quatuor naturales, Vrania, qui ſuos in humano corpore vſus etiam agnoſcunt. Nam ſanguis, qui (vt dixi) tuum Iouem fautorem agnoſcit, omnium maxime nutrit. Pituita, præſertim dulcis & naturalis, Veneri inauthorata, corpus emollit, præparat, & ad grauantium egeſtionem quadantenus lubricat. Flaua bilis, quæ Marti mancipatur, inteſtina, & pene dixerim, corpus totum ab excrementorum putredine vindicat, ſuperfluaq; humiditate expurgat, & abſtergit irritata excretione, tam per ſuperiora, quam inferiora. Atra bilis, ſeu melancholicus ſuccus, Saturno addictus, ventriculi actiones adiuuat, vt meus ſcripſit Galenus, ventremq; intendit, & in ſeipſum contrahit, ad cibos exquiſite comprehendendos, & quouſq; plene coquantur, retinendos. Quibus addes, quod etiam, ſecundum nonnullos, appetentiam mouet. VRAN. Tantam rerum cognitionem tibi non inuideo Æſculapi, miror magis. Ceterum, de omnibus planetis, duos poſt Solem & Lunam, rerum naturæ amicos & familiares eſſe conſtat: Iouem nomino, ac Venerem (qui benefici a Ptolomæo recte fuerunt nuncupati) ille, quod nutriat, vt iam dictum eſt: hæc, quod madefaciat, & roſcidum ſpiraculum, per vniuerſum terræ gremium effundat. ÆSC. Sic ex humoribus duo, rebus corpo-

Corporum humores quatuor magnos vſus obtinent in temperanda & modificanda rerum corporearum œconomia.

Ex planetis duo ſunt reb. terræ amici & familiares.

Ex humorib. duo ſunt reb.

corporis familiares sunt, Vrania: sanguis & pituita. Ille, quod nutriat, sicuti nunc admonui. Hæc, præsertim insipida, quod irroret, madefaciat, & in sanguinem naturę amicum, a natiuo calore excoqui facilime possit. VRAN. Implorāda hic mihi sunt aduersum te omnia omnium planetarum, omnium cælorum, & stellarum omnium auxilia. Nam in excogitādo & proponendo fere deficio: sed interim illud occurrit: Martia stella, quam æstuantissimam & retorridam omnes nouerunt, si de idoneo signo, Soli vel insanæ Caniculæ, per Cerealia tempora copulabitur, quidquid inest succi rebus terræ, nisi alicunde prospiciatur, depasci, torrefacere, incendere, ac dissipare animaduertetur. ÆSCVLAP. Flaua bilis, quam calidissimam & æstuantissimam omnes nouerunt, in florentis ætatis feruido corpore, per æstatem idem omnino data occasione molitur. Nam si intra vasa corporis aliis humoribus remiscebitur & ibidem cum his incendetur (vt in synocho putri) vel sola exardebit (vt in tertiana continua & causo) succi quidquid inest rebus corporis, quidquid humidi, benignive alimenti, promptissime excoquet: &, si comitem habuerit flammam, torrefaciet: atque nisi incendio per initia mature prospiciatur, depasto omni humido, in partes solidas, propterea quod deficit nutrimentum, vitæ iactura nulla victima expianda, tandem impetum faciet: ac febrem hecticam mortis certissimam nuntiam, pro foribus sistet. VRAN. Pape, quam egregie philosopharis Æscul.! Sed dic, amabo te: num sæpenume-

corporis amici & familiares.

Martia stellæ natura æstuantissima est & perniciosa.

Flaua bilis natura æstuantissima est.

Planetarum radii varios colores in nube appingũt.

ro obseruasti, quod mense aliquo lunari, quoties certi planetæ fuerunt commotionum aeris indices, authores ac significatores, has aut illas nubes, sic vel pro cuiusque planetæ natura picturatas, in aere terram ambiente promouerunt, & excitarunt? Quid isti rei proferes simile in humano corpore? Æ. S C. Cuperem te, o Vrania, Aristophani suas nubes relinquere. Veruntamen vt hic, perinde atque in reliquis, tibi faciam satis, de crassiori exemplo, & longius fortasse petito, positioni tuæ, humani corporis humores opponam: præsertim quum turgent, vt meus loquitur Hippocrates: & sua ad cutim vestigia deponũt. Nam hunc vel illum colorem, pro propria cuiusque humoris natura, ad summam cuticulam corpus ambientem appingere, fidem faciunt oculi. Quod ego familiarius tibi sum demonstraturus, vbi tu vicissim mihi ostenderis, quos in aeris nubibus colores tui depingant planetæ. VRAN. Mars rerum cæli philosophis, Latinis, Græcis, & Arabibus nubem flauam, rutilam, aut luteam in aere exprimit, & architectatur Saturnus, liuidam, plumbeam & subnigram. Iupiter, purpuream, rubellam ac roseam. Venus pallidam, albicantem, & argenteam. Hic Solem, Lunam, & Mercurium tibi excludo, quia particulares colores non agnoscunt. Iam quod pollicitus es præsta, Æsculapi. Æ. S C. Sic bilis vtraque & sanguis cum pituita, humores quatuor corporis, totidem positis a te planetis deputati, picturas sibi concolores ad cutim effundunt: si, vt dictum est, in corpore abundauerint: & ab imo in summũ, seu

Corporum humores in cute varios colores appingunt.

Planetæ cælestes certos & peculiares habent colores.

Humores corporis, certos & peculiares habent colores.

ſeu a centro in circumferentiam emerſerint. Nam flaua bilis tuo Marti, vt millies eſt cantatum, addicta, luteum colorem, & flauum illi imprimit: quemadmodum licet intueri in ictero, ſeu morbo regio: quem ob id nonnulli autiginem nuncupauerunt: adhæc in eryſipelate, & aliis. Atra bilis, ſeu melancholicus ſuccus Saturno mancipatus, liuidũ colorẽ, plumbeum, & ſubnigrum excitat. Quod indicant icteri nigri, ſeu fœdi colores in nubilibus: cancri inſuper, ac anthraces. Sanguis, ſi ſecundum naturam ſeſe habuerit, quia Iouem cognoſcit, ideo ebulliens, vel aliter ad ſummam cutem effuſus, purpureum colorem, rubellum, ac roſeum illi appingit. Quod manifeſtant phlegmonæ quam plurimæ, exanthemata, & id genus alia. Pituita naturalis, inſipida, & aquea Veneri aſcripta, pallidum colorem, & albicantem colorat. Qualis apparet in leucophlegmaticis, hydropicis & œdemate. Sed de his ſatis, Vrania, vel fortaſſe plura, ob rei indignitatem, quam opus fuerat. His itaque in præſentiarum omiſſis, te ad alia tranſire & moneo & hortor.

DIALOGVS NONVS, DE COAptatione ſtellarum variarum, cum partib. humani corporis variis.

VRANIA.

Mihi ſane iucunda ſunt, & grata admodum colloquia tua, Æſculapi. Diſperеam ſi vllum te reſpondente mihi vnquam

obrepſit tædium Dies integra, vix horula viſa eſt. Itaq; per chariſſimos tuos liberos Machaonem & Podalirium peto & obſecro, vt in reliquis eadem dexteritate pergas. Nam habeo quę ſerio deinceps tibi proponam Phœbus ille naturæ modificator incomparabilis (ad cuius egregium ſpectaculum Sociatem ab exortu ad occaſum vſq; ſæpenumero diriguiſſe ferunt) dum cum Cynthia ſorore, radio & motu vniuerſum terrarum orbē quantus eſt, e ſummo cælo quotidie perluſtrat, mortaleſque omnes illuſtrat, ac res terræ vniuerſas, ad proprias actiones excitat, quid in humano corpore mihi appoſite depinget, ac repræſentabit? ÆSC. Duorum oculorum imaginem, Vrania: quos e capite (quorum gratia conditum putarunt nonnulli) quaſi de cælo quodam altiſſimo corpus vniuerſum, ſicuti Sol mundum, radiis & motibus quotidie circumluſtrare, & proſpectare, ex eoq; aſpectu, ceu lucerna quadam accenſa, membra ſingula, ſaltem externa, vt ſint in officio & actiones ſuas obeāt, extimulare ecquis (niſi fortaſſe lippus) nō videt, non ſuſpicit, non admiratur? Quod priſcos rerum cæli & naturæ philoſophos voluiſſe, quis negeti dum duorum oculorum, dextrum Soli, ſiniſtrum vero Lunæ (Ariſtoteli paruulus quidam eſt Sol) non dicam inauthorarunt, ſed plane ſimillimum fecerunt. In quo ſi dubitas, audire graue non erit, quid eam in rem poſt Platonem, meus ſcripſerit Galenus vbique magnus. Oſtendam (ait) oculum in corpore animalis organum lucidiſſimum, & Soli quam ſimillimum. VRAN. Non video quid ſperare poſſim

Duo cælorū lumina motu & radio terram illuſtrant & excitant.

Duo corporum lumina ſeu oculi motibus & radiis corpus illuſtrant & excitant.

possim in hac arena aduersum te, Æsculapi: nam tot contra me iacula, vt antea dixi, retorques quot ego in te contorquere possum. Intendam arcum nihilominus, ac nouo hoc telo te lacessam. Cælestes globuli omnes, aut, si vis, stellæ tam maiores quam minores, sphæricam & orbicularem figuram præ se ferunt: vel faciente fidem oculorum sensu. ÆSC. Sic corporis partes omnes, Vrania, tam internæ, quam externæ, maiores perinde atq; minores, orbicularem figuram prorsus æmulantur, ac quodammodo repræsentant. Quod si negas, proferam in spectaculum intestina, viscera, renes, testiculos, caput, oculos, brachia, digitos, tibias, venas, arterias, neruos, in summa totum corporis truncum. Quæ figura a sapientissimo conditore, vti meus scripsit Galenus, in hoc illis comparata fuit, quod ægre patiatur, & nullum offensioni expositum angulum prætendat, vel foras proiiciat. VRAN. Potius moueri cessabit meum cælum, quam vincam: instare tamen non desinam. Age: certum est quod stellæ quatuor, Sol, Luna, Iupiter & Venus, in cælo principatum obtinēt. valentq; præ cæteris benefico spiritu, natura ac viribus; nec sibi tantum, sed aliis etiam abunde prosunt, rerumq; vniuersitatem de omnibus tuentur maxime, ac temperant. His quid simile gerit humanum corpus, pro quo mecum in hanc descendisti arenam? ÆSC. Partes corporis principes quatuor, Vrania, nimirum cor, cerebrum, iecur, & testes: quas dictis planetis quatuor rite addixerunt antiqui. Nam & natura, & spiritu, ceu radio quodam præpotē-

Partes cælorum stellata, seu stellæ, orbicularem figuram præ se ferunt.

Partes humanorum corporū orbicularem figuram præ se ferunt.

Præcipuæ cælorum partes seu stellæ sunt quatuor: quarum natura mirabilis.

Præcipuæ corporū partes sunt quatuor: quarū natura mirabilis.

te, necnon vegeta actione, admodum valent. Nec ſeipſis duntaxat gubernandis dant operam, aut ſibi ſolis vnice proſunt, ſed alios quoque de ſe ſpiritus, tanquam iugi de fonte, ad corpus ſuſtinendum, augendum, temperandum, & vegetandum affatim effundunt, & quaqua verſum transfundunt: rerumq; corporis vniuerſitatem de omnibus tuentur maxime ac temperant. Nam cor vitalem continet, ex elaborata aeris inſpiratione, & ſanguinis ſuauiſſimo halitu, quibuſdam genitum. Is, per arterias, vt radius quidam, ad partes corporis vniuerſas defertur, ac inſiti caloris cauſa exiſtit. Cerebrum animalem diſpergit: illumque per neruos, ceu per fiſtulas quaſdam, radiorum modo, in totum corpus ad ſenſum & motum iaculatur. Hepar, naturalem ſuſtinet, ex quo per venas omnibus corporis partibus alimonia præbetur: aut, ſi mauis, nutriendi vis quædam emanat: ſi tamen aliquem eſſe ſpiritum naturalem mihi concedis. Teſtes, in vniuerſum corpus vim plane maſculam, & occulta natura, additoque ſpiraculo, energeiam ad generandum inexplicabilem, necnon robur toti corpori ſufficiunt. Quod vel de experientia conſtat. Nam qui imbecillos, impeditos, deprauatos, vel reſectos habent illos, in muliebrem prorſus naturam, vultu, voce & opere degenerant. Nec temere: nam virilitatis teſtes eſſe perhibentur, ex quo nomen habent. VRAN. Valeāt philoſophorum ſcholæ omnes. Ego certe hodie te doctore Æſcul. plus ſum adepta eruditionis, quam vlla Academia vel toto triennio, diſputando

Partes cælorum ſeu ſtellæ varia ſunt naturæ ac tēperatura.

tando

tando & ratiocinando infudisset. Sed rursum age? Venus facultates, & ex his, vt ita dicam, actiones vna cum motu, radio, & spiritu, longe diuersas quam Saturnus assequitur: & Iupiter, quam Mars: & Luna, quam Sol: & ita deinceps in reliquis. ÆSC. Ad hunc fere modum, Vrania, os quam neruus, & neruus quam caro, caput quam pes, thorax quā brachia, cor quam ventriculus, in summa, pars quæq; similiaris, organica, & instrumentaria, spiritus facultates, & actiones ab alia distinctas, humidumq; primigenium, ac innati caloris substantiam lōge diuersam adipiscitur, sustinet, ac recipit. Quod tametsi verissimum est, tibi nihilominus, multisq; aliis absurdum fortasse videbitur: propterea quod incorrupta corruptis, diuina humanis, & materialia extra omnem materiam positis compono. In quo si quid peccatur, & peccatum est, aut deinceps peccabitur, tam mihi a te, & candide, & facile condonatum puto, quam ego in re, & argumento simili vltro tibi condonare libentissime vellem. Quod vnum sæpius repeto, Vrania, quia intelligo extra reprehensionem non esse. VRAN. Bono animo esto, Æsculapi, nec in docendo, ac demonstrando (obsecro) fatigeris. Non es nescius, nihil esse ex omni parte perfectum ac probatum. Si vniuersis cælis res corporis tam erudite concilias, potes & me & animos omnes tibi facile conciliare: qđ tamen paucis datū esse intelligo, & maxime his quos æquus amauit Iupiter. auus ille tuus omnium Opt. Max. Ceterū, ne a cœpta via deflectā, non ignoras, Æsculapi, planetas omnes cū stellis,

Partes humanorum corporum variæ sunt natura & tēperatura.

Particulæ cælorum stellatæ omnes cum sua ta-

diis & spiritibus in id incumbunt vt rerum terræ vniuersitatem tueantur ac sustineant.

iam inde ex quo primum apparuerunt, sic fuisse compositos, vt ab officio numquam cessent sic erga mortalium res affectos, vt pro illis & rebus eorum viam ire, redireque nunquam recusent. sic inferiori mundo, aurigante motu, & radio, vna cum occulto spiritu, obsequentes, vt viuificos suos & diuinos ignes, inoffenso tenore, quasi data in perpetuum obsequium fide, ei numquam detrectent. ÆSC. Hoc quidquid est, Vrania, quis nescit ad humani corporis ὁλομελίαν (vt venerandus meus Hippocrates loquitur) aut, si placet, ad totam corporis compagem aptissime detorqueri posse? Cuius partes omnes cum vniuersis facultatibus, a prima constitutione ita digestę & coagmentatæ videntur, eaq; harmonia compositæ, vt omnibus omnium horarum atomis, aurigātibus spiritibus, qui cum insito calore illarum habenas mouent, ab officio & propriis actionibus (nisi fortasse per morbos, vel aliter præpeditæ fuerint) cessent numquam. sic inuicem obsequentes, vt toti corpori suas operas inoffenso tenore detrectent numquam sic mutuo famulantes, vt ad tutandam humani corporis vniuersitatem ad extremum vsque humanæ comœdiæ actum fatigentur numquam: quasi iurata illi in perpetuum obsequium fide. In quo quis Dei & naturæ summam artem non admiretur? Quis eiusdem eximiam erga humanum genus bonitatem, pietatem & prouidentiam non exosculetur, non amet, non veneretur? V R A N. Nunc demum verissimum illud esse experior Æsculapi, quod vulgo dici solet: admiratio ex igno-

Particulæ humanorum corporum omnes, spiritus item & facultates in id incūbunt, vt rerum corporis vniuersitatem tueantur ac sustineant.

ignorantia eſt. Ignoraui haſtenus humani corporis maieſtatem & dignitatem: vnde mirabar, quidnam eſſet homo, & vnde ſuper reliquas animantes tantopere ſuperbiret Nunc te loquente, & doctior, & certior facta, mirari deſino. Sed quid hoc, quod cælorum lucidæ partes omnes (ſtellas ſi placet nuncupa) vt hæc inferiora tueantur, ac temperent, duobus maxime indigent, motu nimirum, & omnia pulſante ſpiritu, quem perpetuum præbet comitatũ radius? ÆSC. Quid hoc, Vrania, quod humani corporis & partes, & particulę omnes, motu, ac ſpiritu pulſantium arteriarum, ſpirituoſarumq; venarum præſidio opus maxime habent vt & ſe temperent, & totum corporis theatrum tueantur atq; in harmonia contineant: quibus indiuiduus adeſt comes inſitus calor cum ſpiritu, motus authore. Taceo hic perpetuum fluorem & motum continuum triplicis ſubſtantię, ſolidę, carnoſæ & ſpirituoſæ. Adhæc corporis habitum, aſſiduo fluxui & tranſpirationi opportunum quemadmodum alumni mei, Hippocrates & Galenus egregie (vt omnia) poſteritatem condocuerunt. VRAN. Prætereundum non eſt Æſculapi, quod partibus illis Zodiaci, quas ſigna appellitant, qualitates diuerſæ inſunt: a quibus rerum generandarum & corrumpendarum ſtatus omnis defluit. ÆSC. Nec itidem prætereundum, Vrania, quod partibus humani corporis temperamenta varia, & qualitates diuerſę inſunt: a quibus rerum in illo generandarum & corrumpendarum ſtatus omnis defluit. Nam ſicuti humidum & ſiccum, frigidum & ca-

Partes cælorum ſtellatæ abſq; motu & ſpiritu eſſe nõ poſſunt.

Partes humanorũ corporum abſq; motu aliquo & ſpiritu eſſe nõ poſſunt.

Partes Zodiaci variarũ ſunt qualitatum.

Partes humani corporis diuerſarũ ſunt qualitatum.

lidum in eodem ſubiecto, vt loquuntur philoſophi, abſq; aliquo medio eſſe non poſſunt: ita nec in cælo, nec corpore. Quocirca, recte accommodateq; ſignorum tui cæli, vti etiam membrorum corporis, alia frigida & humida eſſe, alia ſicca & calida, frigida item & ſicca, adhæc calida & humida oſtenderunt priſci, & de obſeruatione probauerunt poſteri. VRAN. Præclare quidem, Æſculapi. ſed in cælo partes quædam ſunt ſimplices, vt Sol, Luna, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus, &c. Quædam vero compoſitæ, vt Orion, Taurus, Bootes, Leo, vtraque Vrſa, Virgo, Lupus, & huius picturæ imagines variæ. ÆSCVL. Sic in humano corpore partes quædam ſunt ſimplices, ſiue ſimilares, vt nerui, venæ, arteriæ, oſſa, &c. Aliæ vero compoſitæ, ſiue diſſimilares, vt cor, iecur, cerebrum lien, ventriculus, pulmo, &c. VRANIA. Tibi tam varie erudito non eſt inauditum, omnium cæleſtium & ſphærarum & ſtellarum chorum ſanequam diuinum, rapidæ extimi orbis vertigini, vel de prima inuitatiuncula illico obedire. Quæ res quid habet in humano corpore ſimile? ÆSC. Vnius animalis facultatis maieſtatem, Vrania, cuius imperium, omne corporis theatrum, cum tota rerum illius multitudine ſanequam admirabili, aſtutum (niſi fortaſſe aliunde præpediatur) capeſſere, ſeque ad illius motum vel leuiſſimum, perinde atque ad claſſici vocem extemplo componere, & de prima inuitatiuncula ſequi, non eſt, niſi ἀφιλόσοφος, qui ignoret. VRAN. Pœnitet, imo vero pudet, quod tam temere in diſputationem hodie tecum

Partium calorum ſeu ſtellarum quædā ſunt ſimplices, aliæ cōpoſitæ.

Partium humani corporis quædam ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ.

Partes calorum omnes ſtellatæ vnius parent imperio & motui.

Partes corporum omnes parent vnius imperio ac motui.

cum descenderim. Quod certe ardentissimo discendi studio, non vincendi animo, factum putabis. Itaque, vt reliqua ex te intelligam, propono fixarum stellarum, quæ innumeræ sunt, adhæc errantium ordines, magnitudinẽ, radios, situm, & qualitates quæ ad amussim per omnia, sibi inuicem nequaquam respondent. Ex quo fit, vt in hæc inferiora, eadem & vbiq; similia semper non operentur, nec immittant. ÆSCVL. Sic humani corporis partes tam similares, quam organicæ, quæ vt numerosissimæ sunt, ita fixarum stellarum, & item planetarum chorum insignem non inepte figurabũt, ordine, magnitudine, situ, qualitatibus, numero, figura & connexione, inter se variant, ac differunt: functionesque diuersas, vt sunt diuersæ, sed suæ tamen cuiq; parti congeneres, sustinent: nec eadem per omnia agitant, tametsi vni eidemque corpori, perinde atque vni cælo fixæ tuæ stellæ, inesse prospiciantur. VRAN. Vtinam Deus aliquis me in Platonem conuerteret, Æsculapi, vel potius Platonis scientiam & acumen mihi hodie instillaret: diceres profecto rem tibi cum femina non esse. Vtvt se res habet, ex Ptolemæo constat, imo vero de experientia, quod Mars calidus est: quia Soli, qui caloris est fons, propinquat: & Luna frigida, quia ab eodem distat. ÆSCVL. Sic hepar Marti addictum, Vrania, calidum est, quia a corde caloris promptuario non admodum distat, & cerebrum Lunæ mancipatum, frigidum, quia ab eodem multum abest. Quanquã scio apud meos medicos veriores & probabiliores rerũ

Partes calorum seu stellæ per omnia sibi non respondent, nec similia similiter agunt.

Partes humanorum corporũ per omnia sibi nõ respondent, nec similia similiter agunt.

In partes terræ Solis vicinia, & remotio diuersimode agit.

In partes corporis, cordis vicinia & remotio diuersimode agit.

Partium seu stellarum ta simplicium quam compositarum, qualitates sunt diuersæ.

istarum causas esse. VRAN. Hic mihi quiduis potius sperandum, quam vt vincam. Age? Saturno calidior est Mars: & vicissim Marte Saturnus siccior. Adhæc, Luna Venere humidior, & Venus Luna frigidior. Atque ita de inerrantibus stellis planetarum qualitates, & naturam resipientibus. Nam hyades humidiores sunt, quam Sirius: & Sirius siccior ac calidior, quam Orion. Insuper arcturus Bootis calidior, quam tota Scorpii stellatio: & ita de reliquis. ÆSCVL. In hunc fere modum, Vrania,

Partium corporis tam simplicium, quam compositarum, qualitates sunt diuersæ.

particulæ humanum domicilium compingẽtes, qualitatibus & temperamento separatim variant. Nam osse siccior & frigidior est pilus: & post hunc cartilago. & quem Græci vt est in meo Galeno, χονδροσύνδεσμον, hoc est, cartilagineum nexum nuncupant. præterea caro cute est humidior ac calidior: & spinalis medulla vtraque humidior ac frigidior: rursum, cerebrum & hac & illa est multo humidius & cerebro adeps, cui concretio contingit. Caro, sanguis, & spiritus, temperamento calido & humido prædita sunt: sed ita vt spiritus calidissimus sit, deinde sanguis, postremo caro. Quod ad instrumentariarum partium, dissimilariumve, aut compositarum (quæ, vt dixi, octauæ sphæræ imagines quodammodo figurant) aptare si videbitur, viam paucis aperio. Cor omnium partium humanarum calidissimum est, maxime sanguineum, & proinde humidum. proximum illi est iecur: sequitur pulmo, qui calidus est, humidus, & spumosus. Cum liene, renes calidi sunt & humidi: atque ita deinceps de reliquis. VRAN.

Tam

tam exquisitam philosophiam, & rerum corporis vsqueadeo eruditam expositionem, hatenus e nemine audiueram. Æsculapi: sed iuuat te alio vocare. Non es ignarus, vnamquãque rerum terræ particulam, quæ vel nutrii, vel aliquid in lucem proferre nata est, tribus quæ in cælo sunt, & illinc manant, maxime (vt antea admonui) indigere: nimirum lumine, motu, & salutari hinc aura quaquauersum illabente: aut, si me Peripatetice loqui mauis, æthereo tepore & spiritu omnia deorsum occulte perflante alente ac vegetante. ÆSCVL. Sic ignara non es, Vrania, quamlibet corporis humani particulam, quæ suas actiones in lucem est editura, vel nutritionis commoda perceptura, trium spirituum qui in corpore sunt, influente vi, motu, & vibratione ceu lucente quodam radio, maxime opus habere: hoc est (sicuti paulo ante admonui) humido suo, insito calore, & comitante illum spiritu. VRANO. terque, quaterq; beatum, non dicam Hippocratem, qui suum in te genus agnoscit, Æsculapi, sed & medicorum ordines omnes, qui te authorem, illustratorem ac patronum reuerentur. Ceterum, tu mihi, vt opinor, non inficiaberis Solem cum aliis planetis (a quibus inferiora omnia mouentur) ipsis cæli Signis, Ariete, inquam, Tauro, Geminis, &c. ad res terræ modificandas vti: eorundemq; ministerio, ac opera gaudere. ÆSCVL. Proinde neque tu etiam, opinor, Vrania, negabis, cor in humano corpore cum aliis visceribus, vti venis, arteriis, neruis, fibris, pellicula, & propria carne: eo-

Partes terræ a trib. quæ in cælo sunt, vegetantur, fouentur, ac sustinentur.

Partes corporum a tribus quæ in corpore sunt, vegetantur, fouentur, ac sustinentur.

Sol & planetæ, cæli signis vtuntur.

Cor & viscera, corporis particulis vtuntur.

rundemque omnium ministeria ac operas ad res corporis modificandas exigere. VRANIA. Mirus es sane Æsculapi, & supra omnes deos quos ego vnquam loquentes audiui, in respondendo promptus, & ad excogitandum ingeniosus: proinde patieris pro tuo candore, me rursum hæc paucis proponere. Certum est, de planetæ cuiusque effectionum mixtura, vt Iouis, Saturni, Martis, Mercurii, Veneris, Lunæ, atque adeo vnius Solis cuncta moderantis (a quo perinde atque a fomite omnia vigent) vniuersa quæ sub cælo sunt, statum suum perbelle sortiri. ÆSCVLAP. Sic etiam certum est, Vrania, de commixtione effectionum ipsorum viscerum, vt iecinoris, lienis, ventriculi, pulmonis, cerebri, testium, atque adeo vnius cordis, cuncta vt princeps moderantis, res corporis quasque statum suum perbelle sortiri. VRANIA. Hoc certe verissimum esse nunc demum in te experior quod vulgo dici solet, Æsculapi, patrem sequitur sua proles. Apollo rerum medicarum est parens, Æsculapius illarum doctor, & interpres sanequam diligens. Sed dic interim? ætherei ignes, elementis, perinde vt quibusdam suis instrumentis, suaque materia, vtuntur: e quibus tuus mundanus & mortalis homo constat: & per quæ, & intra quæ vitam quoque ducit. ÆSCVLAP. In hunc fere modum, Vrania, humani corporis humana mens, aut, si mauis, humanus animus, spiritibus, sensibusque vtitur, perinde vt suis quibusdam instrumentis, quibus (vix ausim dicere) constat & per quæ viget. VRANIA. Agedum, Æscu-

De commixtione effectionum planetarum, res terræ statum suum sortiuntur.

De commixtione effectionum viscerum, res corporis statum suum sortiuntur.

Ætherei ignes elementis vtuntur.

Humanæ mentes spiritib. vtuntur.

Æſculapi? incomprehenſibilis illa quinq; planetarum ſocietas, tametſi diuerſa habeatur, ſub duobus tamen principibus, Sole, inquam, & Luna, cum innumeris fixarum ſtellarum ordinibus, ad rerum inferiorum propagationem, cuſtodiam, & generationem motibus, luminibuſque, & radiorum proiectione, ſub varia magnitudine, figura, & ſitu (vt ſæpenumero dictum eſt) ſymphoniam de multis quaſi vnam quotidie concinit & modulatur: Quæ res quid reperiet in humano corpore ſimile? ÆSCVLAP. Inenarrabilem partium omnium corporis tam internarum quam externarum (etiam ſi diuerſæ ſint) ſocietatem, ſymmetriam, & conſenſum, ad tutãdam & cuſtodiendam ipſius microcoſmi vniuerſitatem ſummopere vtilem. Nam ſiue magnitudinem illarum ſpectes, ſiue numerum, ad hæc figuram, ſitum, connexionem, motum aut actionem quamlibet, eo omnes tendere deprehẽdes, vt totius corporis œconomiam, & ſtatum tutiſſime, &, quoad eius fieri poteſt, diligentiſſime cuſtodiant: in eiuſq; auxilium prorſus conſpirent, ac ſymphoniam de multis, quaſi vnam quotidie concinant, ac modulentur. In quo, Vrania quis Dei & naturæ illi ancillanti, ſummam erga humanum genus bonitatem, iterum, imo vero centies, & millies ſupra millies, non ſuſpiciat, non veneretur, non amet? VRAN. O magnum & multis modis admirabilem Deum, qui in abditiſſima rerum naturæ myſteria tam altiſſime penetrauit! Quid tu, ac ſi viceris, ſubrides? Non eſt (mihi crede) res admodum operoſa,

Partibus cæli tametſi diuerſis mira ineſt ſymphonia ad rerum mundi cuſtodiam.

Partib. corporis tametſi diuerſis mira ineſt ſymphonia, ad rerum corporis cuſtodiam.

barbatum deum, ſimplicem puellam & virginem ſuperare. Quanquam tibi nondum eſt victoria parta. Age errantes ſtellas, adhæc inerrantes tam magnas quam paruas a Sole & Luna digredientes, in contemplationem tibi obiicio. A quibus viuificum lumen, & gratiſſimũ alimentum rebus omnibus inferioribus, per vnum aerem, radio & motu infundi ac refundi dum obſeruas, dum animaduertis, quid obſecro, de rebus corporis ob oculos tibi habere videris? ÆSC. Minutulas & capillares maiuſculaſq; corporis venas non paucas, Vrania, a duabus quæ maiores dicuntur, caua ſcilicet, & porta, tanquam ex aureis duobus fluminibus ſingulis corporis partibus ſuum apparatum nutrimentum, duce motu & ſpiritu, ceu quodam vehiculo infundentes, refundentes, ac ſuffundentes. VRAN. Quo magis procedunt colloquia noſtra Æſculapi, eo admirabilior mihi ſemper videris. Ceterum, quoties per amica ſilentia noctis, cælum intueris partibus ac ſtellis tam variis, & multiplicibus concinnatum & cõſperſum, magnis, inquam, paruis, albis, fuſcis, rutilis, obſcuris & aliis, quid tale in humano corpore obſeruas, aut animo concipis? ÆSC. Ipſummet humanum corpus totũ, Vrania, venis, arteriis, neruis, viſceribus, inteſtinis, fibris, muſculis, tendonibus, oſſibus, ligamentis, mẽbranis, adipe, carne & cute, particulis inter ſe variis, diuerſis, ac diſcoloribus, concinnatum & contextum: albis, fuſcis, flauis, liuidis, rubellis, magnis & paruis. VRAN. Non abſurde ſane, niſi quod (venia tamen & petita, & impetrata) rebus meis ſacris, tua prophana

In duab. maioribus cæli ſtellis rerum terræ modificatio & vita maxime continetur.

In duab. maioribus venis rerum corporis modificatio & vita maxime continetur.

Partium cæli ſeu ſtellarum ſumma eſt varietas & diuerſitas.

Partium humani corporis ſumma eſt varietas & diuerſitas.

phana identidem misces ac componis. Sed quid hoc, Æsculapi, quod prolificus, & socialis Veneris radius, in malefici & sanguinei Martis naturam transire prorsus non potest? nec item salutare Iouis spiraculũ in perniciosam & exitialem Saturni rigiditatem? ÆSC. Quid hoc, Vrania, quod nec os in nerui substãtiam: nec neruus, in carnis, vel adipis naturam: nec hepar, in cerebri substantiam: nec pulmo in lienis materiam transire potest? VRAN. Mirum est quod tot cælorum particulæ vbique variæ & multiplices aut, si vis, stellarum tam errantium quam inerrantium, nobilium quam ignobilium, sanequam numerosa multitudo certo concentu inuicem conuenit, inuicem sibi subseruit inuicem & se & res mundi omnes temperat ac iuuat, quemadmodum ego paucis hic demonstrarem nisi actum agere formidarem. Huic rei quid simile dabis? ÆSCVLAP. Varias ac multiplices corporis partes tam nobiles, quam ignobiles. Nam miro concentu inuicem conueniunt, inuicem sibi subseruiunt, seque mutuo temperant, atque iuuant. Quod familiariter sic tibi ostendo. Hepati alimenta & chylum præparat ventriculus atque elaborat: vicissim ventriculo, aliisque partibus sanguinem hepar, & cum calore, spiritum. Pulmo aerem cordi attrahit, conficit, excoquit & emendat: cor, attenuatum sanguinem & spirituosum, alendo pulmoni sanequam idoneum illi condit, ac sufficit. & ita deinceps. Quid, quod oculi manib præluceres eis viam cõmonstrant? quid, quod manus oculos tuen-

Partes cæli seu stellæ, propriam suam temperaturã & naturam prorsus non exuunt.

Partes corpo. propriam suam naturam prorsus non exuunt.

Partium cæli stellatarũ numerosa multitudo miro concentu inuicem conuenit ac se mutuo temperat.

Partium corporis numerosa multitudo miro concentu inuicem conuenit ac se mutuo temperat.

tur, & ab externis iniuriis defendunt? Quis non videt os cum tota sua acie eburnea, ventriculum, hepar, & vt paucis dicam, partes omnes corporis, alimenta in primo vestibulo conficiendo, mutua necessitudine iuuare, & rursum, dum alitur, ab his iuuari? Tradunt itaque vicarias operas, ac se inuicem temperant, iuuantq;, corporis perinde atque cæli, res omnes. VRAN. Mirabar si sic euaderem. Sed o me obliuiosam! Signiferum numerosæ multitudinis circulum, vt tuus scripsit Trismegistus, hic pene præterieram, quod tamen non oportet. Hunc, Ariete & Piscibus, tanquam initio & fine, si tamen initium & finem circulo præscribis, terminari dum audis, quid de humano corpore simile tibi proponis? ÆSC. Illud ipsum corpus totum, capite & pedibus, membris dictis signis mancipatis de priscorum authoritate, circumscriptum & terminatum. VRAN. Sed ille idem signifer circulus, Æsculapi, in quo Peripateticis via est vitæ & interitus, ad hæc inferiora varie miscenda, ac temperanda, triplici signorum tetrade constat, quatuor elementorum naturam & complicationem præ se ferente. Prima, Ariete, Tauro, Geminis & Cancro perficitur. In qua, signum primum igneum est, alterum terreum, tertium aerium, & quartum aqueum. Reliquas tetradas simili præditas temperamento, ne sim molesta, omitto. Nam tibi tam sunt notæ, quam amitæ tuæ Dianæ, sui (quod dicunt) canes. Verum age? quid isti rei conferes de toto humano corpore? ÆSC. Ipsum corpus totum, Vrania, quod equidem constat tri-

In Zodiaco initium est & finis.

In humano corpore initium est ac finis.

Partes Zodiaci variæ sub diuersis qualitatibus distribuuntur.

plici

plici partium tetrade, quatuor elementorum naturam & complicationem ad res corporis varie miſcendas, & temperandas ſuſtinente ac præ ſe ferente. Prima eſt in prima & ſumma corporis parte, nimirum in capite: quod vnũ, quatuor in ſe continet perinde atque primus tuus ſignorum quaternio. Viſum inprimis, qui plane igneus eſt: cui reſpondet Aries, rerum cæli philoſophis ſignum mere igneum. Præterea olfactum, qui terreæ naturæ, vt cæleſtis Taurus, quadantenus eſt particeps. Tertio loco, auditum, qui pure aëreus eſſe cẽſetur, vti tua Geminorum ſtellatio. Poſtremo, guſtatum, aqueæ vtcumque naturæ, qualis eſt Cancer in cælo. Sic Thorax, corporis τριὰς altera, ſuam habet τετράδα perinde atque Zodiacus. In qua ſe cor inprimis offert: quod alumnulis meis Hippocrati, & Galeno, feruens ſemper eſt, qualis cæleſtis Leonis natura. Secundo loco διάφραγμα, ob robur & denſitatem nonnihil terreum, quâ eſt in cælo Virginis aſtrum. Tertio arteriarũ origo, quas aërias eſſe, vel de motu & pulſatione conſtat: cuiuſmodi eſſe fertur in ſignifero Libra. Vltima cõnumeratione pulmo occurrit, qui pituitoſus eſt, molliculus, & aqueus, vti cæleſtis Scorpio. Sequitur venter inferior, poſtremus corporis ternio, qui ſuã cum tuo Zodiaco tetraden hic etiã agnoſcit. In hoc iecur omniũ primum occurrit calidũ ob ſanguinem, qualis eſt Sagittarius, tertię τετράδος cæleſtis ſignum primum. Secũdo loco, ſe profert lien, terreus & fæculẽtus, vt Capricornus. Tertio, vẽtriculus, aëreus,

Partes human corporis varie ſub diuerſis temperamentis diſtribuuntur.

quia calidus humidus, cuius naturæ in cælo est Aquarius. Quarto & vltimo loco, intestina, humida affatim, vt solent esse Pisces. In quibus partibus quis nescit, Vrania, totius corporis, perinde atq; cęli vim vniuersam & harmoniam elucere? V R A N. Res cæli & corporis siue ab Apolline, siue a Cheirone, siue a Mercurio, aut quocumq; alio didiceris, tam exacte tenes, quam deorum aut mortalium vllus. Ex quo fit, vt me attonitam reddas. Instabo tamen. Fare itaq;, tot lucentes stellarum globuli, nulla cogitatione, nedum numero perceptibiles, dū permixtim confunduntur, & varias figuras, pene dixerim geometricas omnes, de mutuo concursu & radiorum proiectione multiplici quaquauersum describunt: dum ex situ nunc recto, nunc obliquo, nunc propinquo, nunc remoto, modo dextro, modo sinistro, alias anteriori, quandoq; posteriori, varie miscentur & pulsantur: dum de aspectu opposito, hexagono, trigono, tetragono, aut aliter ad inferiora propriis facultatibus cōtemperanda sese salutant, & intuentur: quidnam dabunt simile in corpore humano? Æ S C. Venarum, arteriarum, neruorum, tendonum & staminum, siue fibrarum corpuscula, Vrania. Quæ per vniuersum corpus, ac si radii quidam essent, hinc inde traiici & dispergi dum vides: dum a summo in imū, recto in obliquū, dextro in sinistrum, & contra emitti obseruas, imo vero, si fas est dicere, quoties de Cheiromanticorū, Pedomanticorum & Metoposcoporum arte idipsum animaduertis: dum in viuentibus, & a perflante spiritu distentis manuum,

Particulæ cælorum stellata, seu stellæ, geometricas figuras pene omnes sursum describunt.

Particulæ humanorum corporū geometricas figuras pene omnes tā introrsum quā extrorsū varie describūt.

nuum,pedum,frontis, brachiorum, corporiſque totius fibris,venis & tendonibus(præſertim in gracili, ſeneſcente, vel emaciato corpore)idipſum in ſpectaculum accerſis: num geometricas figuras pene omnes ob oculos habere tibi videris?num tu ibi deprehendis lineas rectas,obliquas,curuas perpendiculares ac parallelas: Superficies,rectas & curuas: Angulos,rectos,acutos, obtuſos, planos, ſolidos, rectilineos,curuilineos,& mixtos: Circulos, ſemicirculos,trilateras figuras, quadrilateras, multilateras,Iſoſchelia& ſcalena: Triangulos, oxygonios,amphigonios,&rectangulos: Quadrata, rhombos, rhomboides, trapezia, pyramides,helicas,cylindros ac figuras alias? A quibus mirabilem harmoniam rebus corporis conciliari, & de variis organis, atque ſimilarium partium accentu, ſymphoniam de multis vnam (quæ vita dicitur) exprimi,non tam eſt quod dubitare debeant mortales,quam ſummis votis expetere, vt ſpirãte etiamnũ corpore aliquo,quidquid id eſt,oculis(ſi quidẽ fieri poſſet)percipere, imo vero manib cõtrectare aliquando queant. Pape, quã hic ſtupenda architectatricis naturæ ſpectarent miracula!quã elaboratũ domiciliũ!quam operoſam geometriam!Humanæ eſt artis fateor, hominẽ exterius repræſentare,fabricare,ſculpere, aut pingere:quod fecerunt Apelles, Phidias,Praxiteles, Lyſippus, Zeuſis, & celebres alii pictores, ſtatuarii, & ſculptores quamplurimi. Sed interius ad viuum effingere,ſoli Deo & naturæ illi ancillanti eſt conceſſum. Quod ſane humana induſtria attentare nunquam eſt auſa,

Partium cæli seu stellarũ radii, spiritus, actiones & temperamenta varie inter se differunt.

Sed de his satis, Vrania: itaque dum voles alia propone. VRAN. Et verba & res, quo magis procedunt nostra colloquia, mihi præripis, Æsculapi: adeo diserte, adeo erudite & ingeniose loqueris, ac respondes. Sed vt aliud ex alio incidit, & ita fieri iubes, proponam stellas erroris nescias, quæ vel aquilonarem, vel australem imaginem quampiam constituunt, Has quis nescit radio, viribus, & spiraculo inter se differre? Quod vt ostendam, quis ignorat, aut non videt nimbosum Oriona dum exoritur, vel occidit, aliter in hæc inferiora spirare, aliasque in aere commotiones ciere, quam qui ardentes contristat Sirius agros? quis non obseruat Arcturi, vel Lyræ stellas, aliquis non obseruat Arcturi, vel Lyræ stellas aliarum iaculari radium, aliasque vires & qualitates sustinere, quam quæ Pleiadum, Andromedæ, Vulturis, aut cygni imaginem figurant & componunt? ÆSCVL. Quis nescit, Vrania, eum spiritum qui ossi inest, & cuius præsentia stat, absentia vero cadit, ab eo qui in neruo latitat, non solum dissidere, sed actiones etiam alias penitus habere? Et tunc rursum ab eo differre qui moderator est carnis? & ita deinceps? Nam in reliquis corporis rebus, perinde atque cæli, eam differentiam & dissimilitudinem reperire facile erit. In qua re te exercere supersedeo, vt aliis suus sit locus, tantisper dum mihi licet, & tibi iucundum est. VRAN. Perspicuum est, quod in cælo, & maxime in Zodiaco, certæ sunt partes, in quibus certi planetæ & certæ stellæ sua certa sibi elegerunt domicilia: in quibus potius quam alibi, quod cuique est innatum belle perficiunt

Partium humani corporis spiritus actiones, & temperamẽta varie inter se differunt.

ec

...ic operantur. Vnde Soli proprius locus, domus & hospitium est in Leone: Lunæ in Cancro: Saturno, in Capricorno: Ioui, in Sagittario; Marti, in Ariete: Veneri, in Tauro: & Mercurio, in Virgine, ÆSCVL. Sic perspicuum est, Vrania, quod in humano corpore certæ sunt partes, in quibus certæ res corporis certa sibi elegerunt domicilia: vbi illæ potius quam alibi, quod cuique est innatum belle perficiunt ac operantur. Hinc vitali spiritui proprius locus est in corde: naturali in hepate: animali, in cerebro: chylosi, in ventriculo: sanguificationi in iecinore: delationi seri sanguinis, in venis emulgentibus, & eiusdem ad vesicam exportationi, in vreteribus. Sic bili recipiendæ proprius locus est in fellis vesicula: atræ bili secernendę & obseruandæ, in splene seu liene: & ita deinceps. In quo hoc colloquium tibi claudo, Vrania, non quod respondendo sim defessus: quin potius vt tu aliquantisper respires, & nouarum propositionum rationes excogites.

DIALOGVS DECIMVS, IN QVO *Solis & Lunæ cursus, cum vitæ humanæ curriculo componitur.*

VRANIA.

Mihi gratulor, tibique gratias ago, Æsculapi, quod harmoniam cælestium corporum & humanorum, non dicam degustare, sed plane cognoscere, nunc demum te doctore & demonstratore, feliciter per-

gam. Placet valde quod tam faciles te mihi exhibeas: patientia tua & candore parum deinceps abutar. Age itaque? neminem esse puto in literatura cæli, vt loquitur Plinius, vel mediocriter versatum, qui non videat Solis in signifero circulo anniuersariam peragrationem, & Lunæ itidem menstruam, quatuor tum anni, tum mensis tempestates qualitatibus inter se plerumque dissidentes adferre. Ver inprimis, humidum & calidum, maxime si secundum naturam se habuerit: qualis est prima Lunæ ætas. Postea, æstatem calidam & siccam: qualis est secunda Lunæ ætas. Tertio autumnum siccum & frigidum: qualis est tertia Lunæ ætas. Postremo, hiemem frigidam & humidam, qualis esse solet vltima Lunæ ætas. Cui rei, quidnam simile mihi proferas in tuo homine, auidissime expecto ÆSC. Totius humanæ vitæ eius curriculum tibi propono: quod vnum ætates quatuor, positas hasce tempestates tuas numero & qualitatibus æquantes adferre, a meis medicis, & priscis philosophis adnotatum est. Pueritiam inprimis, quæ humida est, & calida, quale Ver proprie sumptum, & de Solis per tria prima signa Zodiaci peragratione circumscriptũ: primaque Lunæ ætas, a suo cum Sole congressu, seu, a neomenia ad primum tetragonismum, aut, si mauis, schema primum, vel quadraturam primam. Secundo, adolescentiam, seu (vt aliis placet) florentem ætatem, ac iuuenilem, calidam & siccam, qualis est in anno solari æstas: & in mense lunari intercapedo ea quæ est a primo illius quadrante, ad plenilunium:

Solis & Lunæ per Zodiacum progressio, quatuor tempestates temperamẽto differentes excitat.

Vita humana per hunc mundũ progressio, quatuor ætates temperamento differentes excitat.

nium: vel a διχοτόμω primo, ad πανσέληνον, seu plenilunium. Tertio, ætatem consistentem, & ad canos festinantem, quæ sicca est, & frigida: qualis esse solet autumnus & Lunæ tempestas ea, quæ est a plenilunio, ad vltimam quadraturam. Postremo decrepitam ætatem, seu senectam, quæ frigida est & humida, saltem excrementis: qualis est hiems secundum naturam se habens: & tempestas ea Lunæ, quæ est ab vltima eius figuratione cum Sole, ad proximum nouilunium. Quæ omnia, vt facilius accipias, Vrania, planius docere ac demonstrare aggredior: a pueritia ceu a fundamentis primis & proximis, gradum faciens. Hanc Veri appositissime respondere, cum calido testatur humidum, quibus simul abundat. Sed ita vt ab ipso humido in calidum, perinde atque a Vere in Æstatem, facilis fiat lapsus, & transitus. Sequitur illam iuuentus, cui similis admodum est æstas. In vtraq; enim secundum naturam se habente, calor sic efferuescit, vt resiccato bona ex parte humido, subarescere iam incœptent omnia, cum in corpore, tum in terra. His succedit virilis ætas, quæ & prouectior, primaq; quodammodo senectus dici consueuit, Autumni faciem & typum præ se ferens: cum scilicet siccitas ita increscit, vt exhalante maxima ex parte calido, ingruere iam occipiat vltimæ ac morbosæ senectutis hiems. Quæ calore destituta, & a frigido humescente occupata, in putrilaginem tota vergit, irruente, qua data porta, excrementorum omni agmine: quod obsesso sicco, vltimam

frigori facit accessionem: qua ex re sequitur corruptio, & ex corruptione mors, rerumque omnium corporis internecio. VRAN. Femineæ simplicitati tua facilitas condonabit, Æsculapi, vt tuam patientiam rursus exerceam. Lunare corpus, aut, si vis, Lunæ facies, successionum vicissitudine per ætates mutatur; adeo, vt a natiuitate (sic falcatam illius apparitionem primam appellabo) ad plenilunium vsq; crescat, & vigorem habeat: iam, inde veluti tabescat, & in senium transeat. Cui rei in humano corpore quidnam simile habes? ÆSCVLAP. Ipsum humanum corpus, Vrania: nam ex quo in lucem prodiit, a natiuitate ad vigorem vsq;, successionum vicissitudine quadam per ætates mutatur, increscit, ac augetur. Subinde vero, sensim tabescit, & ad corruptionem paulatim tendit, donec pro incrementi prioris proportione, diminuto calore, decrescendo vniuersim dissoluatur ac vanescat. Sed hæc quia trita esse scio, & tibi, Vrania, propriis tuis cælis notiora, verbum non amplius addo. Interim si quid habes reliqui, quod possis proponere, alacriter, vt hactenus fecisti, expedi.

Humanum corpus per certas ætates mutatur.

DIALOGVS VNDECIMVS, DE *orbium cælestium coaptatione, cum corporeis orbibus, & oculis.*

VRANIA.

DII, deæq; omnes me bene ament, Æsculapi, si quid vnquam doctius, ingeniosius, & excogitatum accuratius intellexi. Pauca mihi restant in meis cælis, quæ tibi deinceps proponam.

ponam. Quibus, si pro solita tua dexteritate respenderis, victa herbam porrigam: totaque in harmoniam humani corporis cum cælo facile descendam: atque tuo Galeno libentissime in ea re subscribam. Itaque per tuum numen, perq; auream istam barbam peto, & obsecro, vt relictis cælestium corporum naturis (nam in his versatum satis) planetarum sphęras, & eorundem lucentes globulos, de quibus hactenus vel nihil, vel saltem paucis egimus placide, si placet, aggrediamur. Hæ cum septem sint, & septem lucentes orbiculos cōtineant, tam concaua parte, quam conuexa inuicem communicantes, nimirum Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii & Lunæ, quid per te simile in humano corpore reperient? ÆSCVL. Oculum, Vrania, in quo hæc repręsentari bifariam ostendo. Primum in tunicis ex quibus constituitur: deinde in circulis qui ex connatis septem fiunt: & in ea oculi parte conueniunt quæ, Græcis ἶρις καὶ στεφάνη, Latinis iris, & corona dicta est. Itaque, tunica prima, ex visorio neruo dilatato orta & ἀμφιβληστροειδὴς nuncupata, hoc est retiformis (quod reti similis sit) Saturni orbem figurabit. Secunda huic connexa, & tenuissimis araneæ telis similis, vnde Græcis ἀραχνοειδὴς Latinis aranea dicitur, Iouis, qui Saturno contiguus est. Tertia ex eadem tenui exorta, χοροειδὴς. & secundina inscripta (quod multorum vasorum sit vinculum, quale est χορίον fœtus inuolucrum) Martis, qui Ioui itidē est proximus. Quarta ex præce-

Septem cælestium planetarū sphæræ, septenos lucentes orbiculos continent.

Septem humanorū orbium, siue oculorum tunicæ lucentes orbiculos septem & circulos continent.

dente nata, & Græcis ῥαγοειδὴς, Latinis vuea, ſeu acinoſa vocata, quod vuæ acino ſimilis ſit, in medio habens foramen, cui pupilla nomen, Solis orbem Martio confinem præ ſe feret. Quinta ex duriore cerebri membrana producta, & humorem vitreum cum cryſtallino de poſtica veſtiens, ac, ne diſrumpatur firmans, & id σκληρὸς Græcis, Latinis dura nuncupata, Veneris orbem, qui Solarem ſequitur, ob oculos ponet. Sexta, ab hac, cui iuncta eſt nata, κερατοειδὴς, ſeu cornea dicta (quod ſimilis ſit cornibus in tenues laminas præſectis) Mercurii orbem exprimet, qui Venereo ſimiliter eſt proximus. Septima ac vltima, quæ ex pericranio ducens originem, ἐπιπεφυκὼς, hoc eſt adnata appellatur, quod aliis tunicis quæ oculum conſtituunt adnaſcatur (vnde coniunctiuam hodie nominant) Lunæ orbem omnium poſtremum figurate exhibebit. Atque hæc de tunicis. Iam vero quod ad ſeptem circulos attinet, ex connatis, vt diximus, factos: & in ea parte oculi vbi album nigro copulatur, conuenientes (qui ſeptem planetarum circulares orbes præ ſe ferunt) hæc a me inpræſentiarum paucis accipies. Primus & extimus qui adnatæ eſt tunicæ, contrario quam nunc nuper poſitum eſt modo, orbem demonſtrabit. Alter qui eſt corneæ, Mercurii. Tertius, qui eſt duræ, Veneris. Quartus, qui eſt choroeides, Solis. Quintus, qui eſt vueæ, Martis. Sextus, qui eſt arachnoeides, Iouis. Septimus & vltimus, qui eſt retiformis, Saturni. VRAN. Hic, vt

video, totam oculi anatomen paucis mihi perstringis. Æsculapi. Qua in re & ingenium tuum, & ipsius oculi aptationem ad meorum planetarum orbes, laudo ac probo. Sed positi planetarum orbes septem & eorundem stellati globuli totidem octauo orbe, ceu extimo quodam corpore includuntur & continentur. ÆSC. Breuis est responsio, Vrania, & facilis admodum oppositio. Nam vniuersa hæc quæ modo tibi protuli, tunicas dico oculi omnes cum suis circulis, cranio ceu extimo orbe quopiam includuntur. Aut, si mauis, humanorum orbium (sic oculos appellãt Grammatici) folliculi septem orbiculati, eorundemque lucidissimi globuli totidem, cranio, ceu orbe quodam capaciore, & superiore capiuntur, atque includuntur. VRAN. Ingenio se sane omnia, sed vniuersi cælorum orbes motum habent sensui manifestissimum, qui motionem vltimæ sphæræ per omnia sequitur. Et rursum stellati eorundem globuli, alterum ab hoc diuersum: de propria singulorum natura. ÆSCVL. Sic orbes humanorum corporum, aut, si mauis, oculi, Vrania, motum habent sensui manifestissimum qui capitis, ceu vltimæ cuiuspiam sphæræ motionem sequitur: & rursum alterum ab hoc diuersum, siue sursum, siue deorsum, siue ad latera, & canthorum alterutrum ille fiat, & deducatur. VRAN. Pene proponendo deficio: dic vero, Æsculapi, orbes cælorum omnes, motu vniuersali super vno aliquo axe mouentur ac feruntur: cuius extremitas est in vltima sphæra. ÆSC. Orbes humanorum

Orbes planetarum septẽ, & stellati illorum globuli totidem extimo quodam orbe includuntur.

Orbium humanorũ tunicæ septem, & circuli totidem extimo quodam orbe includuntur.

Orbiculi cælorum stellati duplicem habent motũ sensui manifestum.

Orbes humanorũ corporũ duplicem habent motum sensui manifestum.

Orbes cælorũ super vno axe mouentur.

Orbes corporum super vno axe mouentur.

corporum, siue oculi, Vrania, motu vniuersali super vno aliquo axe, nimirum super dorsi spina feruntur ac mouentur. Cuius extremitas est in cranio, & capite, ceu orbe vltimo: cui cum toto spinali axe, pro basi pedes duo, cum suis adminiculis substernuntur: quemadmodum de ipso Sceleto patet: & ex ossei cadaueris anatome passim demonstrari solet. VRA. Tam attonitam me reddit diuina & singularis tua eruditio, vt quid deinceps tibi proponam, non habeam. Erit itaq; hoc postremum. Cælum cum suis partib. omnibus, iuxta Christianam philosophiam, finem aliquando est habiturum. ÆSC. Simili modo humanum corpus cum suis partib. Vrania, finem est habiturum: imo vero quotidie habet: a quo excludo animam, quæ Academicis (qui a meo Hippocrate fluxerunt) vere est immortalis: vt interim Christianam philosophiam taceam, quæ tota in id est, contra Peripateticos & Epicureos. VRAN. Hactenus ego & quærendo, & proponendo tibi onerosa fui, & fortasse molesta, Æsculapi. Tu contra, respondendo & opponēdo, nec non docendo, mihi sanequam gratus. Habeo itaque pro doctissimis tuis demonstrationibus, pro ingenti labore, & eximia eruditione, gratiam quamplurimam: nescio quando relatura. Atq; cum nihil amplius habeam quod proponã, tibi in hoc colloquio volens & libens cedo: verissimumq; esse constanter prædico, quod antea ignorabã: nempe humanum corpus miram cũ cælis & illorum rebus harmoniam agnoscere. Id quod a prima hominis formatione, per medias eius ętates,

Calũ finem habebit ac interitum.

Humanum corpus finem habebit ac interitum.

Conclusio totius colloquii.

tes,


tes, & corporis res omnes excurrendo, mihi diligenter monstrauisti, docte exposuisti, & accurate enodauisti. Nihil itaq; hic superesse video, nisi vt concludam in microcosmo, id est, in homine, macrocosmum, hoc est cęlum, inesse: & contra: ipsumque humanum corpus magnum cum cælo commercium, & harmoniam mire admirabilem habere. Præterea cõditoris sapientiam, virtutem, ac prouidentiam in vtroque æqualem relucere. Quod ex tuo Galeno, philosopho, astronomo & medico incomparabili, nostrorum colloquiorum initio, ceu thema vetus & difficile mihi demonstrandum, probandumq; tibi proposueram. Nunc demum restat, vt clauso præsenti dialogismo, quæ nobis a Ioue auo tuo, ac reliquis immortalibus diis imperata sunt & mandata, sedulo exequamur. Nam in orbem terrarum, vt video, iamiam descendimus. In quo obseruare incipio, quæ Mercurius patruus tuus publico deorum consilio nuper exposuit. ÆSC. Sic est, Vrania: quare partes tuas diligenter age: ego meis accurate inuigilabo. Sed heus tu: fac (obsecro) vt exacto negotio cælestes domos vna repetamus. VRA. Fiet, Æsculapi: bene vale. ÆSC. Tu quoque, Vrania, in proximum reditum tuum, & nouum colloquium.

FINIS HARMONIÆ CÆLESTIum corporum & humanorum: autore Antonio Mizaldo Monluciano.

IOANNES PERRELLVS DOCTOR MEDICVS LVTETIAE, AD ANTONIVM MIZALDVM, cælorum & humanorum corporum conciliatorem, doctum atque ingeniosum.

Debet homo (MIZALDE) tibi: debet quoque cœlum:
Quod cunctis aperis quidquid vtrumq; gerit.
Esse doces corpus cœlorum schema: probasq;
Cœlos præclarum corporis esse typum.
O mirum artificem! quantum patet vndiq; cœlum,
Sola hominis claudis mole perexigua.
In nuce conclusam magni miratur Homeri
Iliadem, nugis Græcia tota suis.
Miretur potius cœlos in corpere paruo,
Te solo & docto claudier artifice.
Quod quis tentauit veterum? quis, quæso, Galenus?
Ptolmæus? summi sint licet vsq; viri.
Hinc eris æternis celeber post funera lustris:
Donec erunt homines, sidera donec erunt.

Ἐκ πόνου κλέος.




MEMORABILIVM ALIQVOT NATVRÆ ARCANORVM SILVVLA, rerum variarum Sympathias, & Antipathias, ſeu naturales concordias & diſcordias, libellis duobus complectens.

Autore

ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO.



FRANCOFVRTI,
Apud Ioannem Wechelum, & Petrum Fiſcherum conſortes.
cIↃ IↃ XCII.





ANTON. MIZALDVS IOANNI OLIVARIO, ET ANTONIO EIVS fratri, adoleſcentibus eruditis iuxta ac probis,

S. P. D.

MEMINISTIS, *adoleſcentes chariß. præteritis Ianuarii Calendis, ſeptem ſympathiarum & antipathiarum catalogos a me, pro xeniolo, ad vos iuiſſe: quos ſane non alio animo emiſeram, quam vt guſtũ aliquem ſerii operis, quod hiſce de reb. paratum habeo, candidis Lectoribus opportune exhiberent, illiusq́ πρόδρομον publice agerẽt. Quid tandẽ? Cum doctiß. idemq́ humaniß. præceptor noſter Iacobus Syl-*

nius, Medicinæ professor Regius, & eiusdẽ illustrator perquã egregius, illos, pro suo candore, legisset, probasset, & numeroso auditorio commendasset; factumq; inde fuisset, vt impressa exemplaria auidissime expeterentur, distraherentur ac venderentur: & ob id ad secundam editionẽ a Bibliopola sedulo inuitaremur, ac vehementer vrgeremur; visum fuit, opusculum, quale quale erat, incudi reddere, repolire, & multis locis castigatius, imo vero neglectis ad tempus medicinæ priuatis studiis, altera parte auctius, ac locupletius illi committere. Quidni auctius dixerim, quum ingeniorum fœtib. cum arborum fructibus commune id sit, vt pusilli primum nascãtur, deinde temporis progressu sensim augeantur, increscant, & idoneã molem suscipiant? Dum itaque ad secundum partum solicitarer, cœpi diligenter chartulas meas excutere, in quibus legendo semper aliquid adnotare sum solitus, vt ex his decerperẽ quod

ad rem

ad rem faceret: hoc eſt ad ſympathias, *&* antipathias, *necnon abdita naturæ miracula pro auctario accederet. Cauſas, ſi minus omnium, ſaltem plurimorum hîc a nobis deſcriptorum cœcas & occultas eſſe, nemini dubium arbitror. Vnde in earum aucupio non admodum laborandum, atq; adnitendum cenſui. Nec temere, mea ſententia. Nam, vt eſt apud Aratum,*


—πάντα γὰρ οὔπω
Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν· ἀλλ' ἔτι πολλὰ
Κέκρυπται, τῶν αἴκε θέλῃ, καὶ ἐς αὐτίκα δώσει
Ζεύς, *&c. quod eſt,*

—omnia nondum
Ex Ioue mortales cognoſcimus: occulit ille
Plurima, dum libitũ fuerit quæ tradet, *&c.*

Sunt ſane innumera in rerum natura, quæ tametſi omnibus conſpicua ſint; ratio tamen facile iniri non poteſt. Quare, qui ſcrupuloſius in perueſtigandis ſingulorum rationibus anxie verſantur, ex omnibus, naturæ miracula ſummouere mihi videntur. Sed hæc ſatis. Rena-

tum itaq; opusculum hoc, & pene dixerim nouum factum, candide accipietis, adolescentes candidissimi. Ex quo, dum abdita rerum mundi miracula & arcana audietis, illaq; ipsa posthac in vastissimo naturæ theatro admirabundi obseruabitis, memores estote quæso magni illorum opificis, qui solus mirabilia quæcunque vult facit, in cœlo, terra, & profundis abyssi. Cuius bonitas adolescentiam vestram, vestraq; studia feliciter promouere dignetur: ornatissimumq; parentem vestrum, Galliarum Cancellarium prudentissimum, cum spectatissimo Antistite Lumbariensi patruo vestro, literis ac literatis omnibus, diutissime incolumem seruare. Valete, meq;, vt cœpistis, amare pergite: id mutuo facturi. Lutetiæ, Idib. Martiis 1554. mathematico calculo.

MEMO-



MEMORABILIVM NATVRÆ ARCANO-RVM, VARIAS RERVM SYMpathias & Antipathias paucis expediens,

LIBER PRIMVS.

Autore

Antonio Mizaldo Monluciano.



NEMO eſt qui dubitet naturam rerũ ſuarũ abdita miracula, in Sympathiis, & Antipathiis, hoc eſt, naturalibus cõcordiis & diſcordiis cœco fœdere, vel odio maxime elucentia, indubitatis notis omnes ex æquo ſpectare, & cognoſcere voluiſſe. Quamobrem ea etiam manibus agricolarum ingeſſit: nam ipſa die Solſtitii (vt hinc exordiar) folia quædam ſympathiam cum Sole occulta via agnoſcentia, verti iuſſit, & eſſe confecti ſideris ſignum; quemadmodum elegãter ſcripſit Plinius. Nec ſilueſtrium tantum arborum remotarumque (ne in ſaltus deuios, monteſq; eundum eſſet quærentibus ſigna & miracula) ſed & proximarum, vrbanarumque, & quæ topiario vſu coluntur. proprium id eſſe voluit; quamquam in illis etiam viſantur. Vertit folia Oleæ ante

pedes ſatæ: vertit tiliç ad mille vſus petendæ: vertit & populi albæ, etiam vitibus nuptæ. Adhuc parum eſt, inquit, Vlmum vitæ dotatum habes, & huius veterinorum pabulo verſa folia ſtringis, ſtringens autem deputas. Aſpice, & tenebis ſidus; alia parte cælum reſpiciunt, quam qua ſpectauere pridie. Salice omnia illigas humillima arborum, ipſe toto capite altior: & huius folia ſympathia quadam cum Sole circumaguntur. Quid te ruſticum quereris? non ſtat per me quo minus cælum intelligas, & ſcias cæleſtia. Dabo & auribus ſignum. Palumbium vtique exaudi gemitus; tranſiiſſe Solſtitium cantu ne putes, niſi incubantem videris Palumbem. Sed & alia dicentur Solſtitiorum teſtimonia, alia ſympathiarum cum Sole ſigna. Nam & herbæ quædam, aues, ac animalia id peculiariter indicant. Floret ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis herba arentis Pulegii. Ariſtotelem audito, qui Lirium, Cepe, Pulegium ſuſpenſa quoque Solſtitio florere pronuntiat. Miretur hoc qui non inuenerit ipſo brumali die Pulegium in carnariis florere: adeo nihil occultum eſſe voluit natura. Virio auis prodit ipſo Solſtitii die. Quin & natura dedit agricolis herbas horarum indices; vt ne ſic quidem oculos ſuos a terra reuocent. Lupinum ab ortu ad occaſum Solem ſequitur, etiam nubilo die illum prodens. Miretur hoc qui non obſeruet, quotidiano experimento herbam vnam quæ vocatur Cichorium (qua rura ſcatent) abeuntem Solem intueri; ſemperque omnibus horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante: florem exortu aperiri, & occaſu claudi: tanto ſideris amore flagrat, vt illud ſuo comitatu luſtrans, ſæpe proprium
caulem

caulem intorqueat: noctuque eius desiderio se contrahit. Æquinoctia, si Horo credimus Apollini, Cynocephalus animal simiis efferacius, aperte hac ratione demonstrat, quod interdiu duodecies, noctuque toties vrinam faciat: vnamquamque horam lotii perfusione declarans.

Viola alba suo aduentu & flore Ver nuntiat, iris æstatem: Codianum (vel potius Codiaminum) bis anno, Vere & Autumno floret, Æstatis ac Hiemis impatiens: seriores aliquanto Narcissus, Lilium, & Anemone. Sequitur Heliochrysos, Gladiolus, & Hyacinthus, Heliotropium autumnali floret æquinoctio. Sic procedens apicula Fabam florere indicat, Fabaque florescens eam euocat. Morus germinans, frigoris iniuriã abiisse indicat: & olearum, vitiumque conceptus Vergiliarum exortu perficitur. Ostendunt & animalia siderum exortus, sympathia quadam, vel antipathia cum illis. Auem parram oriente Sirio, ipso die non apparere donec occidat, tradunt. *Orygem* appellat Ægyptus feram quam in exortu eius contra stare & contueri tradit, & velut adorare cum sternuerit. Nec mirum cum canis etiam ortum sentiãt maria & terræ; multæ vero & feræ: feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna: sentiunt & sideris effectum canes ipsi, quos eo toto spatio maxime in rabiem agi non est dubium. Sed particulatim de singulis quæ vel sympathia conueniunt, vel antipathia dissentiunt, nunc demum, via cœpta, nobis agendum est, a superiorum cum inferioribus coniugationis gradum substernendo.

Scarabeus notum animal, Solis & Lunæ coitum omnibus aperte demonstrat: quandoqui-

dem ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans, in orbis imaginem effingit: quam viginti octo diebus facto humi scrobiculo adobruens, tantisper celat, dum Signiferum ambiens Luna ad intermenstruum reuertens sileat: apertoque tum orbiculo, coitus siderum denuntians, nouam prolem edit, nec aliam nascendi nouit originem. nihil hac volucri bestiola frequentius, & admirabilius occurrit.

Formica minimum animal, lunaris sideris vires sentit: nam interlunio quiescit, plenilunio etiam totis noctibus operatur.

Cynocephalus mas, quem aliqui *canicipem* interpretantur, vsque adeo silentis Lunæ vices dolet, vt dum orba lumine delitescit, nec videatur, nec manducet: sed tanquam raptum sidus lugēs, demisso in terram vultu, insolentem fateatur tristitiam. Femina vero absentis refricans desiderium, eodem interlunio mœret, illuni forte non contenta: inde concita oculorum cæcitate non prius liberatur, quam menstruus sanguinis cursus erumpat. autor Horus Apollo.

Mirandum est Ælurum marem, aut si mauis Felem, Solis vices sentire (vt dicto Horo placet) mutareque pupillas oculorum sideris cursu: siquidem diluculo in exortu protenduntur; eædem meridie contrahuntur in orbem; occasu Solis obscuriores hebescunt.

Lusciniæ domesticæ (mares præsertim) brumam ineuntem etiam intra densissimos parietes, cantu admodum vocali & insolito, obseruantibus nunciare solent. Quod nos in vna atq; altera non sine summa admiratione experti sumus.

Si

Si quæ herbæ aut arbores plantentur, Luna in terreis signis versante (vbi magnarum est virium) inferiores partes & subterraneas vegetiores ac pollentiores habebunt his, quæ supra terram extabunt. Contra in aëreis: nam ramos ampliores diffundent, ac fructuum, foliorumque vbertate luxuriabunt: nisi infortunata fuerit Luna cum Horoscopo.

Ælurorum oculi iuxta lunaris luminis incrementa vel damna, maiores fiunt & ampliores, aut minores & contractiores: sic iumentorum quorundam oculares morbi cum Luna increscunt, vel minuuntur.

Gallinaceus gallus volucris nulli non cognita, manifestam, puerisque ac senibus animaduersam, & quotidie obseruatam cum Sole habet sympathiam. Nam illum ad omnes mundi angulos festinantem, exortiuum, occiduum, & meridianū vtrumque, supra terram & infra, voce admodum vocali, & alarum applausu congratulantis modo, sæpenumero salutat ac resalutat.

Cichoreum (vt & plantæ aliquot, de quibus paulo ante, & in sequentibus) Solem, vel nubilo cælo per omnes cæli & Horizontis regiones, de flore comitatur ac semper respicit, ac si spiritu eius recrearetur, aut hymnum sui ordinis duci accineret: motuque occulto, ac diffusa per aërem pulsatione', cum non minus honoraret (quemadmodum scripsit Proclus) quam homines genarum gestu, & labiorum agitatione.

Plutarchus autor est, Vulpes mori amararum amygdalarum esu; si non contingat e vicino aquam bibere. Quod & Dioscorides, & Plinius, testatum etiam reliquerunt.

Flos Calthæ, seu Calendulæ, ortu Solis aperitur, occasu clauditur: ideoque *Solis sponsa* planta ipsa quibusdam dicitur: quod dormiat & expergiscatur cum illo: crepusculis sopita desiderio quodam redeuntis sideris. Nec de flore solum, sed etiam de folio circumactus ipse cum Sole spectatur.

Folia herbarum quam paucissima a iam dictis diurnum Solis cursum imitantur, nisi maluæ, loti, lupinorum, & heliotropii, quod Solstitio tantum floret Theophrasto (vnde temere cum Calendula a multis confunditur) quæ id nominis adepta esse creditur, quod singulis fere mensium calendis floreat.

Plenilunio maxime gliscunt in hortis Cucumeres, manifestumque incrementum capessunt: & more echinorum marinorum implentur, vt tradit Athenæus. Ceterum a mulis (vt pepones a felibus) maxime expetuntur: nam odorem illorum eminus sentiunt. Quare munienda sunt cucumeraria, ne erumpentes ea depopulentur, ac proterant

Cucumis quoties cælum tonat, veluti perterritus timore conuertitur. Aquas amat, & ad illas se extendit: oleum vero fugit, & ad illud se intorquet, vt postea dicemus.

Loti herbæ scapum & florem (vti etiam papaueris) Solis tam exortum quotidianum quam occasum nosse, autor est Theophrastus: caulem & florem vespera mergi; vsque in medias noctes totum abire in lacum; vt ne demissa quidem manu possit inueniri: verti deinde, paulatimque subrigi, & ad exortum Solis emergere extra aquas; tum florem patefacere, atque etiamnum exurgere, vt alte absit ab aqua.

Tithymalli genus vnum, quem vocant *Heliotropon*, Solis iter ſequitur: & prono ſemper vertice cum eo pergit ad occaſum: perdiusque, ſemper ad eum ſpectat: ita vt nonnunquam videatur eius intorſiſſe coliculum: tanta eſt auiditas ſpectandi ſideris. Idem etiam contingit in lupinis, malua, & cichoreo.

Cepe, vt eſt apud Plutarchum, reuireſcit & congerminat decedente Luna: contra autem marceſcit adoleſcente. Idcirco, Ægyptii cepas non edunt: quia ſolum olerum omnium contra ſideris incrementa, damnaque, vires minuendi & augendi habet contrarias. Siquidē omnia quæ creſcente Luna gliſcunt, eadem ſeneſcente tabeſcunt. Quod in oſtreis aperte cognoſcitur, quas ſideris iuuenta complet, ac vberiores facit; ſenium deplet, ac macras reddit. Cum ergo herbæ, animalia, fruges, arbores, his Lunæ damnis ſubiiciantur, ſolum Cepe viciſſitudines nouit aduerſas.

Laborant vina, vt Paxamus tradit, occaſu Pleiadum: vel cum flore vitis exuitur æſtiuo Solſtitio, vel exortu Caniculæ: ſentiuntque vitia cum cælum incendio flagrat; cum etiam aer nimio frigore riget, & cum vehementes inceſſerunt pluuiæ. Item cum diro tonitru concutiuntur, aut cum cælum violentius coruſcat fulgetris. Poſtremorum noxam arcere credidit Zoroaſtres, ferrum operculis doliorum ſuperpoſitum. Alii admotos lauri ramos, cœca naturarum diſcordia, vinum ab huiuſmodi iniuria vindicare ſcripſerunt.

Democritus teſtatur punicam & myrtum mutua conſuetudine mirum in modum oblectari. Quod ſi inter ſe ſocietate ac conſortio fruan

tur, fertiliores reddi. Radices quoq; etsi aliquanto distent interuallo, mutuo complexu exhilararí. Refert præterea Didymus, quod insita myrto punica multo plura poma largietur, salici item & citrio.

Xenocrates præcipit pulegii ramum lana inuolutum, in tertianis ante accessionem olfactandū dari: aut stragulis clam subiici.

Raphanum vitibus inimicum esse constat: vt si in vicinia illarum seratur, diffugiant: quemadmodum de brassica docet experimētum; quam cum raphano & Aristoteles, & Theophrastus, & alii plerique confundunt.

Raphanus detractis foliis iucundior est, quemadmodum & rapum: cui ne noceant pulices aut bestiolæ illi adnascentes, eruum interserendum præcipit Theoprastus.

Herbâ *holosteon* dicta, vulgo *mille gramen*, & *canis denticulus*, si vescantur oues, alui suppressione confestim, quasi perstrictis, vt volunt, intestinis emoriuntur: vsque eo ventrem firmat, vt omni ex parte naturales excrementorum exitus claudantur. Gnari huius rei opiliones, & pecorum magistri gregem ab ea herba diuertunt, ceu a præsentanea morte. autor Plinius. Columella de herba sanguinaria consimile tradit.

Chamæleon herba, mutat colores foliorū cum terra in qua nascitur; sic vt hîc viridia, illic subcandida, alibi cyanea, alibi coccinea conspiciantur. A qua varietate, animantis sese in varios colores demutantis appellationem mutuatur.

Peculiare est vlmo, tiliæ, oleæ, populo albæ & salici, vt circumagant folia, post Solstitium, vertantque supinas partes: nec alio argumento

rustici

Rustici intelligunt confectum sidus, vt scribit Plinius.

Icta fulmine corpora, incorrupta manent: quapropter cadauera percussorum veteres neq; vrebant neque terra obruebant; vt ne vllam quidem ea sentire corruptionem, omnibus perspicuum esset. Addo quod canes & aues ab huiusmodi cadaueribus abstinent.

Ficus arbor fulmine non icitur: nec vituli marini tergus, nec hyænæ pellis. Quare gubernatores naucleri, extrema vela iis muniunt, ne fulmine contacta deflagrent.

Fulmen dormientibus parcit; quos vt cedentes, nec vllo renitentes pacto, feriri negant: sed de fulminis miraculis leges multa in nostra Meteorologia, quam propediem & auctiorẽ, & locupletiorem, ac castigatiorem tibi emittemus.

Vt frumentum in multos annos a putredine & bestiolis immune perseueret, absinthii, aut abrotani arida folia impone: aut aridæ herbæ semperuiui folia. Præterea, ne formicæ frumẽtarios aceruos in horreis contingant, origanum siluestre circumpone. Autor Tarentinus apud Cassium Dionysium Vticensem, qui Magonis Chartaginensis Geoponica, Punica lingua scripta, Græca fecit, vt est apud M. Varronem. Ex quo multum peccare mihi videntur, qui Constantino Imperatori illa adscribunt.

Vineas plantaturus, debet quercinam glandem contusam & eruum fractum simul miscere, plantarumq; locos inde aspergere: hæc enim ad radicationem, vini vetustatem, & fertilitatẽ plurimũ conducunt: autor Africanus in Georgicis.

Sideratam vitem cognosces, quando folia valde

fubrubra habet. Curabis, fi terebro tunicam alte perforaueris: & per foramen quernum paxillum indideris. Alii trunco, & radicibus humanum lotium affundunt: autor Caffianus in Georgicis. Sed de his multo plura, vtilia fane & pulchra aliquando leges, in opufculo quod tibi parturimus, De fecretis rerum agri.

Mira eft antipathia inter crocodilũ & ichneumonem, ac rurfum magna fympathia inter illum & trochilum. Saturum cibo pifcium crocodilum, inquit, Plin. & femper ore efculento in littore fomno datum, parua auis, quæ trochilus ibi vocatur (*rex auium* in Italia) inuitat ad hiandum pabuli fui gratia, os eius primum adfultim repurgãs, mox dentes, & intus fauces quoque, ad hanc fcabendi dulcedinem quam maxime hiantes. Qua voluptate fomno preffum confpicatus ichneumon, per eafdem fauces, vt telum aliquod immiffus, erodit aluum. Plinius lib. 8. cap. 24.

Vulnera aggrauantur introitu eorum qui vnquam fuerint ferpentum, canisve dente læfi: idem lib. 28. cap. 3.

Maximos elephantes fert India, & cum his bellantes perpetua difcordia dracones: tantę magnitudinis, vt & ipfos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi perftringant. lib. 8. cap. 11.

Rhinoceros hoftis eft elephanto naturalis, aduerfus quem cornu ad faxa limato præparat fe pugnæ, in dimicatione aluum maxime petens, quam fcit effe molliorem. lib. 8. cap. 20.

Mira eft arundinis & filicis difcordia. Nam vtriufque radix contrita & impofita, ftirpem alterius corpori infixum, feu inimicum deiicit. Hinc arundinem exarari præcipiunt, filice vomeri impofita,

ſita: nam ita non excreſcet. Tamen huic optime conuenit cum corruda, vnde aſparagi fiant: quapropter illa vbi adſunt arundines, ſeri debet.

Aſpis internecinum bellum habet cum ichneumone. mergit ſe limo ſæpius, ſiccatque Sole: mox vbi pluribus eodem modo ſe coriis loricauit, in dimicationem pergit: in ea caudam attollens, ictus irritos auerſus excipit, donec obliquo capite ſpeculatus inuadat rectà in fauces. lib. 8. cap. 24.

Elephantes de omnibus animalibus murem maxime oderunt: adeo vt ſi pabulum in præſepio poſitum, ab eis attingi viderint, aut ſenſerint, faſtidiant ac reſpuant. lib. 8. cap. 10

Ichneumon animal magnitudine felis, & ſpecie muris, crocodilorum oua conterit: qui luto inuolutus, cum os aperiunt, ita in eorum ventres inſilit, vt exeſis inteſtinis interimat. *Murem Indicum* hunc vulgus nuncupare ſolet.

Tanta eſt adamanti cum hircino ſanguine diſpatheia, & odium, vt ſi in illo recenti, & calenti adhuc maceretur, ſtatim rumpatur: qui alioquin incudibus, ferro, malleis, & igni (tanta eſt eius vis indomita) non cederet, lib. 37. cap. 4.

Catoblepis Muſtelarum virus exitio eſt, lib. 8. cap. 21.

Apibus ſummæ ſunt inimicitiæ cum veſpis, crabronibus, mulionibus, hirundinibus, ranis, ouibus, & cancris. lib. 11. cap. 18.

Si fictili nouo incluſa rubeta rana obruatur in media ſegete, tradunt huic tempeſtates noxias non eſſe.

Oleum ſatis omnibus eſt inimicum, emoriturque ſtirps quæ eo fuerit inuncta: quare oleoſæ arbores ceterarum inſitionem reſpuunt.

Elephantes hirudinem non ferunt: nam si eam in potu hauserint, in ipso animæ canali affixa, intolerando afficit dolore. lib. 8. cap. 10.

Cameli naturale odium aduersus equos gerunt. lib. 8 cap. 18.

Adamas in tantum cum magnete lapide dissidet, vt iuxta positus, ferrum non patiatur abstrahi: aut si apprehenderit, auferat. quo argumento probari poterunt veri adamantes ab adulterinis, quales hodie sunt multi. Hoc extra Plinium.

Lacertę (inimicissimum genus cochleis) negantur semestrem vitam excedere. lib. 8. cap. 39.

Allio cum magnete tanta est discordia, vt si eo confricetur, vim omnem trahendi deponat, aut imbecilliorem reddat: adeo vt à se ferrum abigat, tantum abest, vt ad se rapiat. Remedium est, purpura illum detergere, aut arietino sanguini immergere. Extra Plinium.

Orcæ balænis sunt infestissimæ. lib 9. cap. 16.

Mugil & lupus pisces, mutuo odio flagrant: adeo vt hic caudam illi prærodat: sunt tamen statis mensibus concordes. lib. 9 cap. 62.

Testudo serpentis esu morbum concipit: origani postea cibo noxa discutitur: contra serpentes pugnatura hoc se munit.

Aëtites lapis mulieribus alligatus, quæ vterum non perferunt, lubricos partus ac procidentes ad maturitatem continet.

Conger & muræna caudas inter se prærodunt. Ibidem.

In alio animali par opus libidinis non reperias quam perdice. Si contra mares steterint feminę, aura ab his flante, prægnantes fiunt. Hiantes

autem

autem exſerta lingua per id tempus æſtuant, concipiuntq; ſuperuolantium afflatu, ſæpe voce tantum audita maſculi. lib.10.cap.33.

Aquilis & ceruis infeſta ſunt prœlia: nam illæ multum puluerem volutatu collectum, cornibus horum inſidentes, excutiunt in oculos: pennis ora verberantes, donec præcipitent in rupes. lib 10.cap.4.

Polypum in tantum pauet locuſta piſcis, vt ſi iuxta viderit, omnino moriatur.lib.9.cap.62.

Locuſtam conger, & polypum congri lacerant. Ibidem.

Accipiter internecinum bellum gerit cum aquila, cohærentesque ſæpe prehenduntur. lib.10. cap.8.

Tinnunculus auis naturali potentia accipitres terret: in tantum, vt viſum vocemque eius fugiant. lib.10,cap.37.

Bulbus non ſui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, ſed aduerſam & fulminis ictum retorquentem naturam poſſidet. Græci *antipathen* vocant.

Aquilis pugna eſt acerrima cum dracone, multoque magis anceps in aere: nam multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, vt ſimul decidat. lib.10. cap. 4.

Diſſident capitali odio cygni ſeu olores, & aquilę. lib.11.cap.74.

Cornices & noctuę ſe ferre non poſſunt. Ibidem.

Rutæ cum erucis non bene conuenit; vnde ſementi miſcetur, & aliis plantis, vt illis careant. lib.19.cap.8.

Coruus & chlorio noctu inuicem oua exqui-

runt, propterea odio capitali laborant, libr. 11. cap. 74.

Coruus & miluus discordes vbique sunt, illo præripiente huic cibos conquisitos, ibidem.

Ferulæ iumentis omnibus præterquam asino, præsentaneum sunt in ipso pabulo venenum, lib. 24. cap. 1.

Torpedine pisce, procul & è longinquo si hasta, virgave contingantur, artus quantumuis validi torpescunt: eadem etiam ad cursum pedes quamuis veloces ligare proditur.

Tradit Pythagoras quod si qui morbi humano corpori acciderint florente Aproxi: quantumuis sanati, admonitionem eorum sentiunt, quoties illam florere contigerit. Tradit præterea, & frumentum, & cicutam, & violam similem conditionem habere. Plin. lib 24. cap. 17.

Diffident cornices & noctuæ: noctuæ item & reliquæ aues minores, adhæc aquilæ & trochilus, quoniam rex auium ab omnibus nuncupatur. lib. 11. cap. 74.

Oleum & calx aquam oderunt: ideo illi misceri exacte nullo modo possunt. lib. 24. cap. 1.

Hyænæ pantheris terrori esse traduntur: vt ne conentur quidem resistere: mirumque dictu, si pelles vtriusque contrarie suspendantur, decidere pilos omnes pantheræ lib. 28. cap. 8.

Mustela & cornix mutuo odio flagrant: adhæc turtur & pyralis, necnon ichneumones & vespæ. lib 11 cap. 74.

Gallinacei vulpes oderunt: quarum iecur aridum si ederint, ab illis nequaquam attingentur. lib. 28 cap. 20.

Phalangia & aranei inter se diffident, vt etiam anates

anates & gamiæ, harpę & triorches, accipiter, nec non mustelę & sues. lib. 11. cap. 74.

Aduersus improbitatem alitum semina sparsa depascentium, coctum allium (ne renasci possit) illis proiectum, mirandum in modum prodesse traditur. Nam quę deuorabunt aues, manu capientur.

Chamæleontem accipitres odere. Nam eos supra se volantes, ad se trahere fertur, illosque voluntarie reliquis animalibus passim dilacerandos præbere. lib. 28. cap. 8.

Sorices & ardeolę inuicem fœtibus insidiantur; ex quo infensissimo odio inter se capiuntur, vti etiam vulpes & Nili angues lib. 11. cap. 74.

Æsalon & vulpes dissident: nam eius pulli à vulpe infestantur: & rursum vulpes ac eius catuli passim ab illa vellicantur. Ibidem.

Scorpionibus maxime contrarius esse traditur stellio: vt visu quoque pauorem iis adferat, & torporem frigidi sudoris. lib. 29. cap. 4.

Ægithus auis minima, cum asino valde dissidet: spinetis enim scabendi causa sese atterens, nidos eius dissipat: quod adeo pauet, vt voce rudentis asini audita, non solum oua abiiciat, sed etiam pulli, si qui sunt, metu consternati cadant. Itaque aduolans, vlcera eius rostro excauat, vt hinc deinceps illum abigat. lib. 11. cap. 74.

Tam mirabilis est tamarici cum liene antipathia, vt adfirment, si alueis canalibusve ex ea factis bibant sues, sine liene inueniri: & ideo homini splenetico cibum potumque dant in vasis ex ea fabricatis. Quin tradunt virgam ex ea arbore fractam, vt neque terram, neque ferrum tangat, sedare ventris dolores si apponatur: ita

vt tunica cinctuque corporis apprimatur.

Noctua apibus, vespis, crabronibus, & sanguisugis contraria est ac inimica. ibidem.

Hedera arboribus omnibus & satis est inimica, & maxime candidæ: nam eas necat; omnemquo succum earum absorbendo, tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. lib. 16. cap. 34.

Æsalon & coruus valde sunt inimici, nam hic oua illius frangit, vel si minus potest, è nido deturbat. lib. 11. cap 34.

Acanthis auicula & asinus mutuo flagrant odio, propterea quod illa in spinetis viuit: quorum flores hic deuorat. Ibidem.

Serpentes capitali odio fraxinum arborem prosequuntur: adeo vt ne matutinas quidem, occidentalesve vmbras eius, quam sunt longissime, serpens attingat, sed procul admodum fugiat. Quin experti prodimus (inquit Plinius) quod si gyro ex ea fronde claudantur ignis & serpens, in ignem potius, quam fraxinum statim fugiet ille, & excurret. lib. 16. cap. 13.

Formicæ obturatis heliotropio earum foraminibus, efficacissime necantur. Quod si terram surculo huius circumscribat aliquis, negant scorpionem egredi: imposita vero herba, aut inde omnino respersum, protinus emori.

Ægithum anthus in tantum odit, vt sanguinem eorum credant non coire: multisque ob id veneficiis infamant. lib 11. cap. 74.

Diffident, thoes & leones; cornix, ardeolæ & vulpes, ob communes inimicitias. Ibidem.

Quercus & olea tam pertinaci odio diffident, vt altera in alterius scrobe depactæ, moriantur, sic quercus iuxta nucem iuglandem. lib. 24. cap 1.

Formi-

Formicoſam arborem ſorices cauent, ac fugiunt. lib. 11. cap. 74.

Braſſicæ cum vite pernicialia ſunt odia: hinc fortaſſe illa ebrietati reſiſtit: atque eadem cyclamino, & origano aduerſa, areſcit. lib. 24. cap. 1.

Librat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectę ſub vmbra arboris ſuæ, tantaque vi morſu cerebrum apprehendit, vt ſtridens ſubinde ac vertigine rotata, ne filum quidem deſuper pendentis rumpere, imo vero ne fugere queat: nec finis ante mortem vnquam fuit. lib. 11. cap. 74.

Cardui mirum in modum patent aſſiduis talparum iniuriis, crebroque horum animalium defoſſu, ſæpe ruinas cardueta ſentiunt. Sunt qui foramina earum rubrica, & ſucco ſilueſtris cucumeris impleant. Alii cauernas aperiunt, vt Solis admiſſu territæ, eo perfugiant.

Pomorum onera ſtatim à iumentis ſentiuntur: ac niſi prius illis oſtendantur, quamuis pauca portent, ſudare ilico, & occulta cauſa laborare incipiunt. lib. 24. cap. 1.

Serpentes incluſæ circulo herbæ betonicę nequeunt exire: quin ſe flagellando potius interimunt. ſed hoc extra Plinium.

Taxus arbor tam præſentis eſt veneni, autore Dioſcoride, vt ſi quis in eius vmbra, aut ſub ea ſubſederit, lædatur & ſæpenumero moriatur: quando quidem corpori vniuerſo ſtrangulatum & celerem interitum adfert. extra Plinium, quod ſciam. Ex quo nunc demum Sympathias aliquot, ſeu naturales concordias tibi paucis expedio.

BAlæna & muſculus piſces, inter ſe ſocii ſunt ac concordes: quoniam prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis, infeſtãtia ob magni-

tudinem vada hic prænatans demonſtrat, oculorumq; vice fungitur: autor Plinius lib. 9. cap. 6.

Amiciſſimi ſunt pauones & columbę: turtures & pſittaci: atque merulę & turdi, idem lib. 11, cap. 74.

Cornix & ardeolæ, quia cõtra vulpes pugnant, ideo ſe mutuo amant: ſic harpe & miluus, quia contra triorchin. Ibidem.

Tanta eſt virgulę ex corylo cum metallicis ſympatheia: quod ſi recta per montes, & loca in quibus ſunt fodinę, & latent metalla, deferatur, illico flectatur in tranſitu: alibi recta ſtet. Hæc apud Georg. Agricolam in libro De foſſilibus & metallicis. Adhæc apud Munſterum in Geographia.

Ferulę aſinis ſunt gratiſſimę in pabulo: & vlmum de omnibus vites amant atque amplectuntur. lib. 24. cap. 1. & 16. 17.

Rutę cum fico ſumma eſt amicitia: in tantum, vt nuſquã lætior proueniat ac eſculentior, quam ſub hac arbore. lib. 19. cap. 8.

Cohæreſcere carnes tradunt, ſi cum centaurio maiore coquantur: adhæc cum ſymphyto. Et galgulus auis ſi ſpectetur, regium morbum curare traditur.

Magnes ferrum amat, & illud ad ſuum amplexum trahit, atque allicit. lib. 29. in procœmio.

Heliotropium & cichorium Solem amant: nam cum illo etiam nubilo die circumaguntur: noctu velut illius deſiderio, florem contrahunt. lib. 22. cap. 21.

Noctuas amat accipiter, quibus contra aues collegio quodam naturæ auxiliatur, ac ſolus bellum partitur. lib. 10. cap. 17.

Tinnun-

Tinnunculum paſſeres & columbi præcipue amant: nam illos naturali quadam potentia, non viribus, ab accipitre defendit. Vnde in tantum illum formidat, vt viſum vocemque eius fugiat, lib. 10 cap. 37. Hactenus Plinius. Quæ ſequuntur, ſunt Cœlii Rhodigini.

SI quem ſuccinea veſte indueris, alterum vero paleari, ilico mutuis copulabuntur nexibus. lib. 9. cap. 27. apud Cœlium Rhodiginum.

Viperarum morſibus tibicen ſcite modulateq; canens in tempore adhibitus, de experientia medetur: apud eundem. lib. 6. cap. 13.

Si quem magnetina veſte (ſi quidem fieri poſſet) indueris, alterum vero ferrea, mutuis amplexibus perpetuo allicientur. extra Rhod.

Viperam ſiſtit fagi ramus ſi ei admoueatur, atque taurus ferus, ſi ficui deſtinetur, remollitur. lib. 9. cap. 32.

Permouet omnia Electrum, aduocatque præter Ocymum, & quæ fuerint oleo perlita. Ille idem. lib. 15. cap. 25.

Coluber nudum hominem timet, operimentis indutum perſequitur. Idem ibidem.

Serpens, ſi ſemel calamo percutiatur interit, ſi iterum, confirmatur. Idem ibidem.

Capræ ocymum in cibis reformidant maxime. Idem ibidem.

Ocymum mulieribus infenſiſſimum cenſetur: tanta antipathię vi, vt ſi pultario inſcia muliere obiiciatur obſoniis, niſi amoto, nuſquam manum admoueat. Ibidem.

Ariſtolochia ſupra focum ſuſpenſa, ſerpentes fugat, ſpicula & ſurculos corporibus infixos cito deiicit, ac ſuffitus ſui nidore ſubditis carbonibus,

febricitantem liberat. ſed hoc extra Rhod.

Brumali ſidere ſerpentes infirmiores à ſoricibus infeſtantur: qua ex re ante hyemem parant circa ſe, quibus veſcantur illi, & proinde parcunt. Idem ibidem.

Omnia quæ creſcente Luna gliſcunt, deficiente contra deſinunt, exſuccaque ſunt. Quamquam in quibuſdam eſt antipathia: nam Cepe, Plutarcho teſte, Luna decedente reuireſcit, ac congerminat, inareſcit eadem adoleſcente: proindeque Ægyptii & maxime Peluſiotæ, à cepis religioſiſſime abſtinent: quia ſolæ ex cunctis oleribus contra Lunæ augmenta & damna, minuendi & augeſcendi (ſicut repetit Gellius) vires habent contrarias. lib. 24. cap. 12.

Si eryngium herbam vna quæuis capra ſumpſerit in os, primum illa ſiſtitur: deinde reliquus grex omnis cum illa, donec accedens caprarius herbam eximat. Plutarchus in libello, Quod philoſophus maxime cum principibus verſari debet, ac diſputare. Adhæc Ariſtoteles.

Magna eſt ſympathia inter feles & calaminthę ſpeciem tertiam, quæ vulgo *nepeta* dicitur. Nam tanta odoris huius capiuntur voluptate, vt ſi vulſæ & hærenti contingat illos occurrere, ei ſeſe ſtatim affricent: deinde magna auiditate ramos depaſcantur. Quin & ſolo eius eſu, æluros concipere vulgus ſibi perſuaſit. Vnde populatim dici ſolet, *herba cati*. Quæ ſequuntur, ex libro Hieronymi Fracaſtorii de Sympathia, & Antipathia decerpta ſunt.

PVllus gallinaceus vixdum natus, equum, elephantemque nihil reformidat. Ille idem miluum, vel longe conſpectum, adeo expaueſcit, vt

ad ma-

ad matrem ſtatim confugiat: eadem agno & lupo, multisque inimicitia eſt.

Marſi populi, & Pſilli ſerpentes illæſi tractant.

Theſſalos, & quaſdam in Creta familias legimus laudando afficere faſcino, intuendo vero, infantes in tabem vertere.

Fulmen aurum colliquat intacto loculo; tum etiam vina abſumit, vaſe nequidquam læſo.

Si gallinacei florem vuæ in cibis manducauerint, vuas non attingent. Sunt qui ad œnanthen ſilueſtrem id referant, quæ cibo incocta, & eidem iniecta, faſtidium gignit vuas appetendi. ſed hoc extra Fracaſtorium.

Adamantem ferunt ſolo hircino ſanguine mollescere: & mala medica conſperſo in eorum cumulum pane flacceſcere: adhæc, vniſono in cithara tacto, moueri & aliud vniſonum, quod nec prope etiam ſit.

Perpendiculum temperati magnete ferri in nauigatoria pyxide, in diſtantia incredibili, ad eas partes ſeſe ſemper cõuertit, quę ad Arcton ſpectãt.

Ad galli cantum, leo animalium omnium terror, expaueſcit: adhæc braſſicę & rutę tanta eſt inimicitia vt iuxta ſeri nolint.

Aurum neque oleum, neque aquam imbibit: contra argentum viuum; nam ſtatim, atque raptim illa imbibit.

Mira eſt occiſorum corporum antipathia cum occiſoribus. Nam illa cruorem ſtillant, cum autor cædis accedit: quod obſeruando veriſſimum eſſe probabis.

Oleum aquæ non admiſcetur: quã nec adianthum admittit, præſertim album: quamquam & riuos & fontes amet. Calx vero & ſpongiæ, & id

genus alia, ita abſorbent, vt mirari liceat, cum alioquin inter ipſa, contrarietas non peruaſit.

Tradunt radicem eryngii, alterutrius ſexus ſimilitudinem referre, ſed raram inuentu: & ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. Sed hanc colligi quidam iuſſerunt cum Sol Cancri hoſpitium tenuerit. Hoc extra Fracaſtorium.

Oſcitante vno, alter oſcitat pariter: niſi aduerterit: & meiente quopiam, alius etiam ad meiendum proritatur.

Quopiam acerba edente, ſaliua alteri in os proſilit: ſimiliter dum raditur ferrum, aut res alia quæuis ſtridorem facit, quædã inæqualitas cum in toto corpore, tum etiam in dentibus percipi ſolet.

Catoblepa animal paruulum ad mille paſſus conſpectum, interficit: & lippus ſi alium, etiam eminus aſpexerit, manifeſte afficit, atq; inquinat.

Signa quædam in fœtum tranſire videntur earum rerum quas matres dum vtero geſtarent, auidiſſime appetiuerunt: & octimeſtris partus non viuit, cum tamen ſeptimeſtris viuere percipiatur.

Traditum eſt à medendi peritis, quod pira in parturientis cubiculo latentia, vel eo perlata, partum morantur, aut ſaltem difficilem reddunt.

Aniſum in puluino ſuſpenſum, vt dormientes olfaciant, inſomnia leuat: ad hæc dolores capitis ſuffitum naribus. Quin & Pythagoras negat tenentes corripi morbo comitiali: ideo quamplurimum domi ferendum præcipit; additque olfactantes facilius parere. ſed hæc extra Fracaſtorium.

Aëtites lapis, hoc eſt, *Aquilaris*, grauidis admotus vmbilico fœtum continet, ac ſurſum trahit;

coxis

coxis appoſitus, deorſum mouet, atque partum facilem efficit: quam vim etiam habere tradunt, radicem Ariſtolochiæ rotundæ, adhæc cyclamini, & verum magnetem.

Eſt Magnetis genus quod ferrum abigit: ex quo cultelli ita præparari ſolent, vt alter ferrum ad ſe trahat, alter vero pellat.

In tritici genere quoddã eſt, quod tribus menſibus generat, vnde etiam *trimeſtre* vocant.

In ſalis cumulum ſi raphani multi ſepeliantur, illum totum in aqueam ſalſuginem cito ac facile redigunt. vnde multi aduerſus calculum aquam raphani è vino albo, & terebinthina, ſalubriter propinant.

Non ſolum verus miluus, ſed etiam fictus pauorem gallinaceo gallo incutit: vt lupus ouibus, & accipiter columbis.

Vites quę ſecundum ædificia ſunt à ſoricibus & muribus infeſtantur: id ne fiat, cum luna Leonis, Sagittarii, Scorpionis, vel Tauri hoſpitium tenet, noctu putantur, ſed hoc extra Fracaſtorium.

Ignoti & valde inſueti ſoni, ſicuti etiam aſſueti, ſed vehementes, hororem faciunt, ac trepidationem ex inſperato adducunt: & quandoque epilepticas acceſſiones excitant, atq; apoplexiam.

Quoſdam ad riſum mouet titillatio alarum, colli, plantarum pedis, coxarum, & vmbilici: alios nequaquam.

Specula in quibus menſibus laborantes mulieres inſpectant, ſpurcitia, ſitu, ſquallore, ac maculis obducuntur.

Impoſito oleo in charta, ita vt contineat: ſubiectus ignis oleum calefacit, chartam minime.

Circumuoluto tenui linteolo quopiam po-

mum, ab igne calefit: linteũ vero ne quidquam læditur.

Ex cepa & allio, vel è longinquo lachrymæ excutiuntur: vt ex pipere, & iride phtharmica, sternutamentum.

E croco, solano, somnus conciliatur: & è tractatione metallicorum quotidiana, apoplectici fere omnes euadunt.

Laurus & brassica vitem offendunt, succoque suo & odore, deteriorem faciunt: nam & eam olfacere, & allicere dicunt: quamobrem cum germen iis propius accesserit, auersum retrogradi- tur, inimicum fugiens odorem. Ideo Androcidas sapientia clarus, brassicam aduersari vino hoc prodidit exemplo. Sed hæc extra Fracastorium.

Lippitudo nulli membro nocet nisi oculis; phthisis solos pulmones offendit; alopecia & achores caput; lapis vesicam.

Quædam contagio grassatur in solos boues alia in equos, quædam in porcos, nonnulla in oues, &c.

*Demorsi à cane rabido non solum aquas metuunt, sed etiam corpora omnia diaphana, & pellucida.

Nullam sympathiam admirabiliorem, & pene dixerim diuiniorem reperio ea, quę Lunæ est cum Oceano. Nam quoties illa supra exortiuum Horizontem cuiuscunq; loci ascendit, donec ad medium cælum peruentum sit, huius aquas à centro longe supra circumferentiam, ceu fune quodam ductario, secũ ascendere allicit: hinc descendens ad occiduum vsque Finitorem supra terram, itidem descendere, ac intra sua littora solito modo sese recipere actutum stimulat, ac facile impetrat.

Quod

Quod ad ſubterraneum Horizontem, qui nonnullis ſupra terram eſt, accommodare etiam tibi licebit. Quemadmodum in noſtra Lunæ & Oceani concordia aliquando leges. Extra Fracaſt.

Auſtrinis flatibus vermes in vitibus naſcuntur. Has ne formica aſcendat, lupinus cum fracibus teritur: eoque ima linea circumlinitur. Ne rubigo vexet, palearum fumus, cum intempeſtiuum vrget frigus, verno tempore prohibet. Hoc extra Fracaſtorium.

Si quis à cane rabido alias morſus, iacuerit ſub ſorbo arbore, in rabiem rurſus verti ſolet.

Animalia omnia à cane rabido vulnerata moriuntur, præter hominem: vel, vt alii legunt apud Ariſtot. prius quam homo.

Qui marinos piſces curſoriis equis in vrbes vehunt, ſepes leucocanthis florentibus armatas, cane peius & angue deuitant. Quod ipſas piſcium ſarcinas hinc repente labefactari, de experientia intelligant: hoc extra Fracaſtorium, vt etiam ſequentia.

Vina quæ à perſonante tonitru turbari periclitantur: ſuperpoſito ferro, aut lauri ramo immunia euadunt: quod œnopolæ ſuo ſummo bono experiuntur.

Vina in doliis florentem in ſua vite racemum quadantenus ſentiunt, ac de coloris, & ſaporis mutatione, occultam cum vinea ſympathiam teſtantur apud multos.

Anagallis cæruleum habens florem, illitu prociduam ſedem reprimit, ac retro agit. Quę phœniceum, ſeu rubentem, prouocat: adhæc ſpicula corporibus eiicit; & infuſione per nares, dentium dolorem ſoluit. Hoc extra Fracaſtorium.

Aprinam ſalitam, quo tempore apri in furias, Veneremque ruunt, colorem ac ſaporem mutare, de obſeruatione tam eſt probatum, quam à multis celebratum.

Quandocunque animal (etiam ſi homo fuerit) ob receptum vulnus, vel aliter, vermibus ſcatebit: ſi ex pilis eius, vel lana, ante Solis exortum, in apertum corticē immiſeris eius arboris, quam noſtrates Borbonii patria lingua *Tremble* vocitant (populi nigræ ſpecies eſt medicis) & aliquot dies perſeueraueris, videbis miraculo quodam, vermes decidere, emori, vel alio immigrare. Sunt qui betulæ id etiam aſcribunt, quod tu experiundo condiſcere poteris.

Materia è ſyluis cæſa cum luna creſcens lumine aucta eſt, breui tempore marcet, ac carie conficitur. Cæſa vero vbi decreſcens exiguo eſt lumine, diutius perennat, ac vegetior euadit. Idem de vitium putatione, vindemia, cerealibus, & fructuum collectione tibi & exiſtimare, & coniectare, licebit.

Oliua in vites inſita, vtriuſque arboris fructum refert, Græcis *alcoſtaphylon* ab vtroq; parente nuncupatum. Et palumbes, graculi, merulæ, lauri folio faſtidium annuum purgant. Hoc extra Fracaſtorium.

In vulturibus natura concipiendi ſingularis eſt, & à ceteris diſcrepans. Illi enim, quemadmodum D. Ambr. adnotauit, nullo concubitu fruuntur, nulloque maſculi ſemine concipiunt: ſed citra coniunctionem generant. Vnde ex Ægyptiorum experimentis. Horum ſecutus. vultures omnes eſſe feminas ſcribit: quę, vt Zephyro arbores, & apud Hiſpanos equę, ſic Euro grauidæ reddun-

tur,

tur, aut flante Borea. Quanquam Aristot. autor est, facie aduersus Austrum exporrecta volare: atque sic prægnantes fieri, ac per tres annos parere. Sequentia sunt Hieronymi Cardani, ex libris De Subtilitate.

EQuipedes, si diu vestigia lupi sequuntur, obstupescunt: & eiusdem lupi cauda in præsepio ouium, boum, vel equorum suspensa, illos prohibet ne comedant.

Fidibus lupi agninæ sociatæ male obstrepunt: & ouis pellis à lupo dilaniatæ, pruritum mouet, si quis illa induatur.

Nix subinde multos dies arboribus insidet aliis: verum hederam celerrime fugit: cuius baccæ vino promiscuæ temulentiam pariunt. sed hoc extra Cardanum.

Lupi caput in columbario suspensum, viuerras, mustelas, & noxia omnia animalia procul arcet ac abigit.

Lupi stercus, intestina, vel corium comesta, aut gestata, colicum cruciatum tollunt: & cauda eiusdem sepulta muscas arcet.

Cerui pudendum derasum, & cum stillatitia aqua cardui benedicti potum, pleuriticos maximopere iuuat.

Dens taxi, vel eius pes sinister, brachio dextro hominis alligatus, memoriā roborat: vti melissa, quæ etiā ingenium acuit, & hilaritatem conciliat.

Oculus canis nigri recenter erutus, & manu contentus, prohibet ne canes latrent, fauetq; non parum furibus, ac iniquis.

Lapis à cane morsus in potu sumptus, hominem facit clamare: & leonis pinguedine peruncti, à feris tuti esse solent.

Arietis ventriculus in aqua & vino coctus, plærosque ouium morbos sanat: & eiusdem cornu, si sepeliatur, ac putrescat, in asparagos conuerti solet.

Arietis cornu iuxta ficum sepultum, eam adiuuat ad celerem fructum, & maturationem præcocem.

Autor est Palladius, quod si equæ, vel potius asinæ, sed non virginis, caluaria intra ortum ponatur, quæcumque spectat, sua præsentia fœcundat. sed hoc extra Cardanum.

Gagates lapis frigida maceratus aqua, & igni admotus, flammam concipit, quemadmodum testatur Nestor: oleoque superiniecto restinguitur. Extra Cardanum hoc.

Magna est humidorum cum Luna sympathia: quod omnium maxime in cancrorum & ostreorum pulpa, medullaque ossium sese prodit ac manifestat. Nam lumine crescente Luna, crescunt illa, turgentque ac replentur; decrescente vero, inaniuntur, decrescunt ac minuuntur. hoc etiam extra Cardanum.

Anseris lingua epota ad strangutiam est mirabilis, ac eiusdem testes: qui, vti etiam leporis vterus, ad generationem valent: valet & piscis, qui *squilla* vocatur.

Cor simię prohibet cordis palpitationem, curat comitiales, atque audaciam valde auget, & intellectum.

Si prægnans cotonea frequenter edat, nascetur fœtus ingeniosus & mire industrius.

Gallinarum ventriculi ante cibum sumpti, ventriculum confirmant, dum modo concoquantur, & ericii cinis, membrorum superfluam humiditatem

tatem deſiccat: maxime illius iecur & renes.

Ad ericii pinguitudinē pulices congregantur, itidem & hirci, modo in fouea ponatur.

Cor veſpertilionis, formicarum exitum prohibet. ſic & ſulphuris ſuffitus cum origano.

Fœniculum ſerpentibus gratiſſimum eſt: nam guſtato illo, ſenectam exuunt, oculorumque acumen ſucco eius reficiunt. Vnde intellectum eſt hominum quoque caliginem eo præcipue leuari. ſed hoc extra Cardanum, vt etiam ſequens.

Elaphoboſci pabulo cerui reſiſtunt ſerpentibus: ideo percuſſis ab his ſemen in vino ſalubriter propinatur.

Nux pullo incluſa, illum celerius coqui facit: & calcar pedis dextri galli geſtatū, victores efficit.

Corium calcanei dextri vulturis, ſuper pedem dextrum, & ſiniſtri ſuper ſiniſtrum, dolores huius qui podagra laborat, leuare ſimul & ſedare traditur.

Vmbilicus infantis qui præciſus eſt dum naſcitur, in argenteo anulo geſtatus, vt carnem contingat, prodeſt in coli cruciatibus: quod à multis feliciter eſt probatum.

Manus ſucco radiculæ ſeu raphani diligenter inunctæ, faciunt vt tuto tractari poſſint ſerpentes.

Muſtelæ & ſciuri, tentato allio dentibus, vix audent in poſterum mordere: cicureſque hoc modo fiunt.

Tanta eſt antipathia, & naturarum contrarietas inter feles & mures: vt hi non ſolum præſentiam illorum vereantur, ſed etiam odorem, & maxime ſtercoris: ex quo fit vt feles ſuum ſtercus ſtudioſiſſime occultent. Sed hoc extra Cardanum.

Cornu, ac ſtercus bubali crematum ex parte imminentis venti, tuetur plantas ac ſata à rubigine.

Scorpiones moriuntur tactu radicis herbæ, quam *ſcorpium* dicunt: reuiuiſcunt, ſi candido linantur helleboro. Eadem radix omnem quadrupedem exanimat, genitalibus impoſita. extra Cardanum.

Citria ſeu medica mala calore panis putreſcunt celerrime, cum à multis longe calidioribus minus lædantur.

Rubea tinctorum diu manibus contenta, vrinam tingit: & animalia noxia ab oleribus arcentur, aqua inſolationis dierum decem, Cancrorum, aut Pagurorum.

Magnetis ſpecies eſt quædam, quam Creagum nominant: cui ſi ſtilum, vel acum affrices, carnem & muſculum, imo vero corpus totum abſque dolore poſſis penetrare: quod ſe expertum fuiſſe ſcribit Cardanus.

Nux quercui, & eius glandibus admodum nocet: vnde Iuglandem à iugulanda glande dici, cõtendunt multi: quanquam aliter Cardanus.

Aurum & argentum, plumbum diligunt: & cum liquantur, plumbo immiſcentur: ſed æs plumbum refugit: & tam aurum quam argentum odit ſtannum, aut ſi mauis, album plumbum.

Myrtus iuxta Punicam malum conſita, eam fructuoſiorem reddit, ſeipſa odoratior, vtraque mirum in modũ læta prouenit, ac luxuriat vicina.

Ad caprillum ſanguinem pulices omnes congregantur, vt ad garum ex locuſtis in fouea poſitum locuſtæ: à quo etiam ſopiuntur: & cantharides diu manu retẽtæ, ſanguinis mixtũ prouocant.

Filicis

Filicis folia cimices necant, serpentem non recipiunt, ideo illa substerni locis serpentigenis vtile est. Addo quod si comburantur, etiam solo nidore eos fugant, & longe arcent: hoc extra Cardanum.

Filum quod semine Staphys agriæ cum oleo dissoluto fuerit madefactum, si capiti circumdetur, pediculos tollit, vel occidit.

Fumo ignis ex quo cremantur quę proprii sunt generis insecta, adhæc vermes, cimices, pulices, &c. ab eodem illa expelluntur.

Tanto dissidio flagrant cancri, & erucę, vt si à cornibus suspendantur illi ramis arborum in quibus irrepunt, aut nidulantur erucę, illico decidant, collabantur, ac alio immigrent. Sed hoc extra Cardanum.

Si populus nigra excisa fuerit: & in illius frusta, iuxta truncum, aqua cum fermento infundatur, fungos producet qui minime erunt pestilentes. Idem fiet, si super reliquias vstorum sarmentorum aquam sparseris.

Obseruatum, expertumque audio, vaccam, ouem, equam, asellam, canem, suem, felem, similiaque feminei generis animalia domestica & mansueta, dum vtero gerunt, aut interire, aut abortum parere, si mas ex quo conceperunt mactetur, vel occidatur: tam valida est ac vehemens illorum inter se sympathia. Sed hoc, vt sequentia, extra Cardanum.

Caprificorum grossi, satiuis appensæ ficis, fructum procidere non patiuntur, sed caducum remorantur, & ad maturitatem perducunt.

Segetis magna est cum nuce arbore sympathia, consensus ac familiaritas: nam si hæc flore & fru-

ctu luxuriauerit, illa idem omnino præſtabit. Sed Virgilium ea in re pulchre philoſophantem, audire pulchrum erit:

Sedulus obſerua (inquit) *cum ſe nux plurima ſyluis*
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fructus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore:
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

Magna eſt hederæ cum aqua ſympathia, & ſumma cum vino antipathia. Nam ſi potorium vaſculum ex trunco illius feceris: & ei vinum aqua dilutum infuderis: vinum per vaſculi latera paulatim effluet, aqua pura intus remanente: autor M. Cato, & Plinius.

Capræ in Creta ſagittis venenatis confixæ herbam quærunt, quæ *Dictamnus* vocitatur: qua guſtata, ſagittas excutiunt. Sic Ceruæ paulo ante partum, purgant ſe quadam herbula quę *Seſelis* dicitur.

Eſt mira ſympathia in fidibus teſtudinum: quę præſentibus multis, mihi ſæpenumero obſeruata, demonſtrataque fuit. Ea ſic ſe habet: Acceptis duabus teſtudinibus muſicis, quarum altera ſuis fidiculis concors fuerit, altera nequaquam: ſi fidibus eius, quæ harmonice tenſa eſt, feſtucam, aut quid ſimile ſigillatim ſuperpoſueris: quotquot fides diſcordes, concordes feceris, videbis teſtudinem eam, quæ quieſcit, & (ſicuti dictum eſt) harmonice ſubtenditur, feſtucas ſuas, iiſdem & ſimilis toni fidiculis ſuperſtratas, ad motum & trepidationem, etiam è longinquo, excitare, & quaſi diffuſa per aerem ſymphonia, ad ſimilem concentum & conſenſum, ceu gaudio quodam, inuitare.

Quod

Quod nequaquam fiet, nisi ad vnisonum tactum, cum altera harmonice elaboratum, ventum fuerit. Res sane prodigiosa, & rari miraculi plena. Quæ sequuntur partim sunt Gaudentii Merulæ, partim variorum autorum.

SI quis lactucæ satiuæ radicem, ex terra ante Solis ortum euulsam latenter substratum ægri collocet, illi somnum conciliabit. Idem præstant folia quinque, vel tria, aut vnum eiusdem, clanculum sub puluinar posita: sed ita,vt partes à caule euulsæ ad pedes ægri spectent, supernæ vero ad caput: autor Florentinus in suis Georgicis.

. Ruta immundæ mulieris & accessum, & omnem prorsus attactum metuit: siquidem eo confestim enecatur. Cuius medulla tenera si quis aures obturabit. dolorem capitis sedabit, vt idem Florentinus scripsit. Præterea, si eius virenti ramo aquam per domum sparseris, nulli culices accedent: aut si qui fuerint, abigentur: autor Democritus apud Cassium Dionys.

Oliua virginea manu plantata, decerpta, & exculta, vberiores fructus præbet: vsque adeo puritatis est amantissima, & labis nescia Ex quo antiquis Mineruæ & dicata & consecrata fuit. Autor Florenti & Pallad lib.1.cap.6.

Erucæ syluestris folia tria, sinistra manu retenta,arquatum morbum sanare tradit Florent. Et verbasco nuces illigatas, fructus non amissuras. Cuius succo si manus inungantur, deinde in aquã mittantur, pisces ad se allicient.

A prædiis malefici generis serpentes abigunt, absinthium, artemisia, abrotanum & trifolium. Adhæc, origanum contra formicas pollet. Nam non modo id plantæ formicæ non attingunt,

ſed ne arborem quidem illa circumamiƈtam aſcendunt. Pollet & aduerſus venena fungorum.

Malum citrium comeſtum, donec concoƈtum fuerit, hominem à ſerpentibus ſeruat immunem. Ex quo peſtilenti aeri plurimum aduerſari traditur. Et pręgnans mulier ſi crebrius cydoniis malis veſcatur, filium pariet ingenioſum & induſtrium. Autor Simeon in libello cui titulus De cibariorum facultatibus.

Centipeda quæ per cellas vinarias repit, lotii difficultates ſoluit: ſi ex ea puluis cum iuſculo, aut vino albo fuerit potus.

Vitem pedunculis, campis, ac vermiculis cariturам ſcribit Africanus in Georg. nec item glaciem, aut nebulam formidaturam, ſi illius corticem vrſino adipe colonus illeuerit: aut eodem falciculas putatorias nemine ſciente inunxerit, cum vitem eſt putaturus. Alii eaſdem falciculas oleo obducunt, in quo allium contritum fuerit: vt etiam adnotauit Pallad.

Viti ſideratę præſens auxiliũ eſt paxillus quernus in perforatum vitis truncum immiſſus. Alii ferreum clauum inſerunt. Alii lotio humano radices irrigant ac truncum: autor Caſſianus. Quibus addo ex libris Aruſpicum, quod ſi iuxta vitem abies fulmine tangatur, domini interitum prædicere putatur.

A taxo arbore veneficam vim deponit æreus clauus trunco infixus, & rhododaphnes ramus cum foliis tuſus & in ſcrobem immiſſus, muſcas illic congregat: autor Anatolius. Atque hederæ ſuffitus veſpertiliones fugat, aut enecat: vt tradidit Africanus.

Myrtus & malus Granata mutuo ſe diligunt: affeƈtio

affectio cognoſcitur ex radicibus: quæ tametſi aliquantulo ſpatio inter ſe diſſitæ fuerint, connectuntur tamen, atque inter ſe implicantur. Itaque proxime conditæ, altera alteri dat fœcunditatem: autor Democritus ex Florent.

Si prope roſetum plantatum fuerit allium, roſis addet fragrantiam. Et ex myrto cuneus in quamcunque florentem arborem adactus, eam arefacit ac perdit: autor Didymus in Georgicis.

Sopitam rabiem excitat ſorbus ſi quis ſub ea ſteterit. Adhæc arbutus, ſi quem pupugerit. Et ſi ex tamaricino vaſe quis bibere aſſueuerit, lienis vitia non ſentiet.

Vites braſſicam abhorrent: vnde hæc ſemicocta ebrietati repugnat, vt etiã lactuca ſi præſumatur. Cui tantiſper dum coquitur, ſi vinum vel pauciſſimum inſtilles, nunquam coquetur: autores ſunt Berytius, & M. Varro. Sic nucem & quercum ſi oppoſita facie plantaueris, alteram harum aut emori, aut infirmam eſſe experieris: licet vtraq;, ſi fructuum copia luxuriauerit, frugis omnis copiam vaticinetur.

Albæ populi & item nigræ cortex conciſus in minutias, & ſegetibus ſtercoratis inſperſus, Dioſcoride autore fungos, edules per totum annum producit. Sed & eiuſdem folia, necnon oleæ, & ſalicis, ante æſtiuum Solſtitium longe alium habent colorem, quam poſt.

Mentha ferrũ abhorreſcit, vt ruta & ocymum. Quæ ſi vulnerato fuerit exhibita, non facile conualeſcet. Si in lac coniiciatur, & poſtea coagulum fuerit immiſſum, lac non coagulabitur: autor Florent.

Si quis hederæ corymbos tres in ſtrophiolum

purum mittat, & filo illigatos ſplenico ignoranti ad triduum alliget, ab affectu liberabitur. Et qui veſpertiliones filo ſuſpenderit ad ramos arborum, locuſtas procul abiget: autor Damageron in Georg.

Si dolium à ſalſamentis incruſtatum circa prædium defodiatur, omne venenoſum reptile in id illabetur: deinde obturatum vas comburito extra fines: autor Florent. Sic cantharides quæ vites prærodunt, ſtercoris bubuli cum aliquantula parte galbani facto ſuffitu, ventis flantibus enecabis, vt Zoroaſt. tradit.

Si allium arboris ramo ſuſpenderis, nullæ accedent aues ad populationem fructuum: autor Democritus. Sic portulacæ & tithymalli ſucco mixto illitæ arbores, ad fructuum copiam ſuſtinendam adiuuantur. Et fabarum ſemina arborum radicibus admota, illam cogunt areſcere: autores Africanus & Didymus.

Erucæ centum quæ naſcuntur in roſetis, coctæ ex oleo, ſi ex eo falciculas putatorias illeueris, teneros pampinos à cantharidibus, pruina, & aliis ſeruabis incolumes. Idem tibi ſubſidium præſtabit falx illita aut hircino ſanguine, aut ranarum: autor Afric. Sed & cantharides roſetorum in oleo coquito, indeque cotem in qua falcem putatoriam exacuere voles, obducito: autor Zoroaſt. & Palladius.

Cancer, admota ipſi herba polypodio chelas abiicit, vt eſt autor Zoroaſt. & cancri nouem ab ægrotis ſuibus comeſti, eos reddunt incolumes: vt ſcripſit Didymus. Si quis præterea cannabis humidæ florentes ramuſculos penes ſe dormiturus appoſuerit, à culicib. non tangetur: autor Democ.

Oroban-

Orobanchen areſcere cogunt agricolæ, in quatuor agri angulis rhododaphnes ramulis infixis: autor eſt Sotion in Georg. Sic colocynthis ſola, olfactu, ventrem exonerat: & helleborum herbam colligens, ſiue deorſum folium trahat, ſiue ſurſum, hoc ſubito tactu cauſa eſt helleboro, vt hac, aut illa parte corporis humores non attrahat: tam potens eſt cæli motus in paratis materiis: autor Marſil. Ficinus.

Harundinis radix aratro appenſa vt terram tangat, filicetum deſtruit; & arundinetum, filicis radix. Addo quod ab aſini caluaria in medio horto ſuſpenſa, eum floridiorem effici, ab antiquis traditum eſt: & à Palladio confirmatum.

Ne muſtum ſuperfunderetur, Florentinus coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano, collis vaſorum circumponebat. Et pira ſylueſtria in muſtum iniiciebat, quæ ſi ſupernatabant, id purum erat. ſi mergebantur, aquam habebat: alii de moris idem ſentiunt.

Fidicula ex lupi inteſtinis præparata, vbi impulſa digitis intonuerit, caninas fides, aut ouillas coget obmuteſcere. Et incorroſa à vermibus ſemina permanere ſcribit Anatolius, quæ in teſtudinis teſta diſſeminata fuerint.

Verbena columbis herba gratiſſima, in natali D. Ioan. mulierculæ ſe redimunt: per eum annum putantes ſe à dolore capitis immunes fore: ſed ea colligi debet in ortu canis ante ſolis exortum, & Luna non aſpiciente.

Morus, laurus, & hedera mutuo attritu ignem facile concipiunt: quod exploratorum, paſtorumque induſtria & vſus reperit: quoniam ad excutiendum ignem nō ſemper lapidis occaſio eſt:

teritur lignum ligno: & arido fomite excipitur ſcintilla. Sed nihil hedera præſtantius, quę teratur lauro, laurumque terat.

Serpens cauernam ſubiens, ſi manu ſiniſtra retracta fuerit, paruo negocio extrahitur: ſi vero dextra, nullo modo trahi poteſt: vt ſcribit Apul. non enim remittit tractus: ſed aut effugiet, aut abrumpitur. Præterea, ſerpens homine percuſſo non amplius è terra recipitur, veluti hominis vltrice: cui ieiuni hominis ſaliua venenum eſt: autor Plin.

Mures prægnantes, in vtero parentis repertas fuiſſe apud Perſas, autor eſt Ariſtot. Quin etiam tradunt Magi, muris iecinore dato porcis in fico, ſequi dantem id animal. Et fibrarum numerum creſcere, ac decreſcere in muribus, cum Lunæ lumine.

Leo conculcatis foliis ilicis, vt ad cantum Galli, obſtupeſcit. Et equus à lupo ſemel ſauciatus, optimus euadit ac celer: autor Zoroaſt. Scribit prę terea Pamphilus in lib. Rerum natur. eundem equum calcatis luporum veſtigiis, torpeſcere cruribus. ſed de hoc ſupra.

Lupum contactu ſcillæ herbæ conuelli, idem Pamphilus autor eſt. Idcirco vulpes illam latebris ſuis circumponere ſolent, propter lupos. Expertum eſt præterea, eundē lupum ſi prior hominem viderit, vocem ei adimere, ac imbecillū reddere. Quem ſi prior homo viderit, viribus & clamore illico priuat: autor Zoroaſt. & Plato in Politicis.

Lupum ait Horus Apollo maxime lapides extimeſcere. Ideirco cum per lapidoſa ire cogitur, ſuſpenſo pede ſemper incedit. Læſus enim vel minimo lapidis ictu, vermes gignit, à quibus tandem ab-

dem absumitur. Ideo insultantem cum lapide viatorem aufugit.

Oues eum sequi solent, vt scripsit Didymus, qui vellere illarum aureis obturauerit: quę, veluti etiam Capræ, comesta conyza extinguntur. Quibus addes, quod si ex lanis ouium à lupo mactatarum pannos confeceris, pediculis replebuntur: vt ex Plutarch. autor est Zoroast.

Hircos fugitiuos non habebis, si barbas illis pręcideris, vt idem Zoroastres & Florentinus scripserunt in Georgicis. Et Æluri nepitam herbam sequuntur: quorum oculi ad Lunæ vices, aut fiunt ampliores, aut minores: vt antea dictum est.

Hirundines ad exterminandas è nidis blattas, & noxia alia animalcula, apium imponunt. Palumbes laurum. Accipitres lactucam syluestrem. Corui viticem vel aron. Vpupæ adianthon. Cornices verbenacam supinam. Galerita gramen. Turdus myrtum. Perdix arundinem, Aquila callitrichum. Harpæ hederam. Ardeola careon, vel, vt aliis placet, cancros: & Ciconiæ ob vespertiliones, platani folia autor Zoroastres.

Vpupa si cecinerit antequam vites germinent, futuram vini copiam præsagire aiunt. Et suem si capite ad cælum verso portaueris, non grunnire.

Trebius autor est, clauum vel cuneū adactum quanta vi libeat in arbores, in quibus nidum habeat picus Martius, statim exilire, cum is cuneo vel clauo insederit. Alii ad herbam quandam referunt.

Elephantem furiosum, lenem fieri conspecto ariete, vt ad porcelli recens nati grunnitum, autor est Zoroastres. Scribit præterea Aristot. scata-

beos & vultures rosarum odore extingui, vel vnguento.

Leo viso igne extimescit maxime, nec re alia facilius domatur. Eius autem ossa simul collisa, vt silices ignem concipiunt.

Si percussus à scorpio super asino rectus desideat ad caudam respiciens, pro ipso dolebit asinus ac torquebitur. Cuius signum est, quod pedendo emoritur: autor Apuleius ex Diophane, & item Zoroastres, in lib. rerum nat.

Taurus illitis rosaceo naribus, vertigine afficitur. Et oryx animal oriente Luna & Sole, egesta pedibus terra caput recondit: autores Zoroast. & Sotion.

Ceruus ita arietem abhorret, vt eius conspectum non sustineat. Cui mira est cum serpentibus pugna, discordia & antipathia. Nam inuestigat illorum cauernas, nariumque spiritu renitentes illinc extrahit, occidit, & comedit: qua ex re admodum siticulosus fit: suapte natura tamen edoctus, aquam ante illorum coctionem non haurit, nam sic interiret. Per æstatem itaque ceruinæ carnes tuto non eduntur.

Concros fluuiales plurimos, aut paguros marinos non pauciores quã decem, in vas fictile cum aqua indito: & addito operculo sub dio esse sinito, vt ad dies denos insolentur. Hac aqua segetibus, vitibus, arboribus, & rebus aliis aspersa, idque alternis diebus, vel (vt habet Palladius) octonis peractis idipsum repetendo donec adoleuerint, fieri putabat Democritus, vt illa à quopiam non lædantur, & maxime à bestiis maioribus. Sed de his satis: nam de hac materia sumus fusius philosophaturi in nostris rerum agri Secretis.

Medicis

MEdicis nostris parum gratus essem, si in eorum messem, meam (quod dicunt) falcem non mitterem: hoc est, nisi ex primariis illorum doctoribus sympathias, & antipathias aliquot proferrem. His itaque hunc in modum libenter parêre, ac satisfacere aggredior.

Cantharides vesicam peculiariter & solam afficiunt: & lepus marinus pulmones solos ex omnibus animalis partibus vlcerat: Galenus lib. theriac. ad Pisonem, & initio Composit. pharm. gen.

Euphorbium ventrem ouium solum non erodit, vt in eo seruari etiam possit: qualiter in folliculo suo bilis. lib. Composit. pharm. particul.

A Crocodilo læsis, ipsius adeps vulneri impositus, summo est præsidio: & demorsus à mure araneo, citra dolorem sanatio fit mure ipso trito & imposito: idem de vipera sentiendum, & scorpio. lib. De theriaca ad Pisonem.

Cicuta homines occidit, sturnos nutrit: nec vim lethalem in his exercet. Adhæc, veratrum homines corrumpit, coturnicibus admodũ gratus est cibus. Ibidem, & initio Composit. pharm. gen.

Amphisbænam animal biceps, si grauida fuerit supergressa, male abortit: & stellio scorpiones visos substringit, ac ita perimit. Ibidem.

Basiliscus belua subflaua, triplici frontis apice munita, solum visus, vel de sibilo auditus, homines necat: ipsam autem beluã mortuam, si quod animal attigerit, subito moritur: ob id, omne aliorum animalium genus, ipsius propinquitatem deuitat. Ibidem.

Hedera, brassica, raphanus, naturali facul-

tate ebrietati resistunt, & vitibus sunt inimica: vt si circum se ferantur, diffugiant. libr. 11. Simplic. med.

Vsta murium capita, & ex melle illita, adhæc capita apum & muscarum, necnon stercus murium cum aceto, & viperæ pellis in pulucrem redacta, insuper caput leporis vstum, & cum adipe vrsino illitum, alopeciam curant, ac pilos mirifice regenerant. lib. Ther. ad Pisonem,

Lapathi folia ventrem cient, semen assumtum stringit: & brassicæ, lentium, ostreorum, gallorum vetustorum ius & decoctum sumptum, aluum soluit: ipsum autem singulorum corpus, ventrem comprimit. Ibidem, & lib. Aliment. 1.

Iaspis virens, adhæsu os ventriculi iuuat, & vua passa re vera hepati est familiaris, ac stercus gallinæ cum œnomelite, aut aceto, vel vino aqua diluto sumptum, diuturnum colicum dolorem sanat. lib. 9. Simpl. lib. 2. Aliment. & 10. Simpl.

Stercus lupi ossibus pasti (ob id albidius) supra frutices, vepres, herbas altiores, prima æstate repertum, non in terra, potum cum pauco sale, aut pipere, aut alio simili, ex vino albo tenui, vel aqua: præterea (quod mirandum magis) ad ilia appensum, colicos dolores curat, aut plurimum mulcet: & his ita præcauet, vt non redeant, vel si redeant, tardius & mitiores multo redeunt. Appendendum vero vinculo, & cingulo ex lana ouis à lupo mactatæ: vel ex pelle ceruina, vel quauis alia materia. libr. 10. Simpl. med. Sunt qui infantis vmbilico inter telas consuto, & ventri appenso, idem hodie tribuunt, ac certissimum esse affirmant.

Corydalus seu galerita, auicula assata, vel

elixa, si assidue edatur cum suo insculo, colicos plurimum iuuare solet. Quod sæpenumero expertus est Galenus lib. Theriac. ad Pison. & lib. 11. Simpl. med. Vires easdem ad colicos, & nephriticos cruciatus, easque probatissimas tribuunt periti pulueri auiculæ nobis frequentis, quam vulgus *Mesenguam* vocat.

Caro trium cochlearum multum tusa, & cum vini nigri cyathis tribus calefacta & pota, hydropicos occulta proprietate iuuat: perinde atq; mustelæ caro, siccata & pota, epilepticos; & erinacei terrestris elephanticos, ac nephriticos. lib. 8. Composit pharm. part. & lib. 11 Simpl. med.

Asplenium, capparis, & tamarix, sympathiam habent, & familiaritatem cum liene, nam ipsum valde iuuant. Quin vsu multo asplenium omnino illum absumit: sicuti vox indicat. Sic saxifragum, & betonica, renes iuuant & amant. lib. De Ther. ad Pisonem.

Caput Milui sine plumis vstum, & quantū tribus digitis capi potest, cum aqua sumptum, podagricis auxiliatur: perinde atque lumbrici terræ, cum cerato rosaceo illiti: nam illarum inflammationes, ac dolores mitigant. Præterea, scorpius assus, & cum pane comestus, vesicæ calculos conterit; ad hæc lumbrici terræ ex vino sumpti, & murium stercus. Ibidem.

Mustelæ cerebrum siccum, ex aceto potum, epilepticis medetur: & hirundinis, ex melle illitum, ad suffusiones multum conducit: perinde atque aspidis exuuium tritum, & ex eodem melle illitum, quod etiam visum facit acutissimum. Accipiter in susino vnguento coctus, hebeti visui

medetur: & cantharus, ſeu ſcarabeus, oleo incoctus, & auri inſtillatus, eius dolores ſanat. Ibidem.

Radix pæoniæ, præſertim maris, recens collo appenſa, contactu carnis calefacta, olfacta, continuo epilepſiam ſanat: & veſica caprina, aut ouilla cremata, ex poſca pota; aut leporis teſticulus ex vino odoro coctus & potus, his qui vrinam inuiti reddunt, benefacit. libro ſexto Simplicium medicament. & 9. Compoſit. pharmac. particul. Sed Galeni paucula hæc ſufficient. Quorum ſementem nobis fecit, libro ſecundo De medicament. componend. ratione, IACOBVS SYLVIVS, Lutetiæ Regius Medicinæ profeſſor & illuſtrator. Cui præceptori noſtro ſemper obſeruando, ſi honores pro meritis, vt olim exhiberentur, næ Dæorum honoribus non careret. Niſi fortaſſe plus eſſe putant homines, vnum aut alterum a morte eripere, quod cum Æſculapio fecerunt nonnulli, quam innumeros: quod ille bene medendo, docte legendo, & feliciter ſcribendo quotidie facit.

Hic primum iſtum libellum claudere ſatagebam, cum ecce duo hæc mihi in mentem adhuc venerunt:

Cancros fluuiatiles ad morſum rabidi canis. per κυν δήγματα frequentiſſimi, vrebat Æſchrion poſt caniculæ exortum, quando Sol in Leonem tranſiiſſet. non niſi luna decimaoctaua. Gal. lib. 11. Simplic. med.

Alyſſos ad morſum rabidi canis efficaciſſima eſt herba ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine: ſed ea

legenda

legenda eſt ſub æſtu caniculæ, debetque ſiccata contundi, cribrari, ac ſeruari ne diffletur. Galenus lib 3. Antid.

His poſitis, te ad ſecundum libellum felicibus auſpiciis deduco.

FINIS LIBRI I.





ANTON. MIZALDVS PETRO MINARDO, ET ANTONIO EIVS FRAtri, iuuenibus cum doctrina, tum morum probitate claris,

S. P. D.

SINGVLARIS *beneuolentiæ quâ parens vester, in supremo Parisiensi Senatu Præses incul-patissimus, me nihil tale meritum prosequitur, & pro suo candore, dignatur, inuitat me, iuuenes eruditi, vt secundum hunc libellum Memorabilium naturæ arcanorum vobis nuncupem, & ex animo deuoueam. Ex quo, post variarum rerum, earumque abstrusarum lectionem variam, & explicationem plane inexplica-*

explica-

explicabilem, ſed tamen a doctis & probatis autoribus, cum Græcis, tum Latinis, hinc inde conquiſitam, teſtimonium qualecunque habebitis mei erga prudentiſſimũ parentem veſtrum animi, meæq; amicitiæ nunc primum vobiſcum initæ. Quæ ſicuti a literis, quibus immortalitas paratur, fundamenta ſibi iacit, ita immortalem futuram, & ſpero, & confido. Verumenimuero ne præfando longior ſim, & paruo opuſculo magnam epiſtolam adornem, a vobis peto, vt tam placide ac hilariter Syluulam hanc ſecundam Arcanorum naturæ accipiatis, quã vobis candide offertur. In ea quoties adlibitum erit, iucunde exſpatiari, ac tuto colludere licebit. Illic ſane vobis occurrent arborum, fruticum, ſuffruticum, herbarum, florum, fructuum, auium, & animalium multitudines variæ, ſua miracula (rara profecto) ob oculos actutũ vobis ponentes. Ex quibus & commodũ, & voluptatem non exiguam licebit re-

ferre: atque Deum, super omnia, talium miraculorum autorem, summe venerari ac laudare. Qui sua pietate ornatissimum parentem vestrum, Borboniorum nostrorum decus & specimen, vobiscum incolumem nobis seruare dignetur. Feliciter valete. Lutetiæ, duodecimo Calend. Mart.

1554.



MEMO-



MEMORABILIVM NATVRÆ ARCANORVM, RERVM VARIARVM SYMpathias & Antipathias, ſeu naturales concordias & diſcordias paucis expediens,

LIBER SECVNDVS.

Autore
Antonio Mizaldo Monluciano.



ATVRAE magnum & celebre miraculum (vt hinc exordiar) maximaque ſympathia inter palmas elucet, quemadmodum poſteritatis memoriæ mandauit Leontinus autor Græcus, veterum teſtimonio fretus, & maxime Georgicorum Florentini, ſicuti ex Geoponicis Magonis Carthaginenſis, adnotauit Caſſius Dionyſius Vticenſis. Tradit itaque ille, palmas vehementi ſe amore proſequi, ita vt altera alteram depereat; adeo eſt in illis Veneris ſenſus quidam & intellectus: nec prius ſtimulante deſiderio, cupiditatibusque leuatur, quam ipſam adamatus mas conſoletur. Videre licet pronam, ſuis comis incumbere, triſtitia tabeſcen-

re, & quaſi vidua eſſet, ſterileſcere. Quæ res prudentem agricolam non latet; ſed cuius amore deflagret, aut in quē maritandi cupidine ſolicitetur, incompertum habet. Quapropter complures palmas inibi circiter cōſitas digitis attrectans, ac blande mulcens, reuerſus ad hanc denuo, quæ languens amore corripitur, tanquam dato oſculo manibus, ſuauiter attingit; tum veluti refricato quadamtenus deſiderio, blandioribus comis, perinde ac manibus in eum nutat cuius cupidinis tabe peribat: hoc velut oculorum geſtu amorem confeſſa: cuius remedia ſunt, ſi ſubinde manus ei admoueat agricola, quæ marem cuius inani amore capiebatur, attigerint. Sed multo magis inſanus amor diſcutietur, ſi maris flores trunco erutos, idem amaſiæ capiti circumponat: nam hoc mariti ornamento illuſtrata, fructum dabit; hocque pignore amoris exhilarata fœcundabitur, & ex languidula vegetior euadet. Hactenus ille. Ceterum, illud etiam ſilentio de palma non eſt prætermittendum, quod oneri quantumlibet ingenti non cedit, ſed contra pondus premens & vrgens conſtanter reſurgit, vt Ariſtoteles, Theophraſtus, & Plinius tradiderunt. Quapropter (vt inquit Plutarchus) in certaminibus palma victoriæ ſignum eſt.

Echinëis paruus admodum piſciculus, naues quantumuis ingentes retinet ac remoratur: ex quo Latinis *Remora* dictus eſt. Is ruant venti, ſæuiant procellæ, furori imperat, ac vires indomitas compeſcit: mariſque rabiem non aliter edomat, quam adhærendo nauigia: quæ contra omnes impetus ſiſtit, ac ire vetat. Autores ſunt Ariſtoteles, Plutarchus, & Plinius.

Tradunt

Tradunt Afri, quod si quispiam eo die feriatur a scorpione quo ederit ocymum, ægre sanabitur. Quin etiam volunt ad manipulum huius cum cancris decem marinis vel fluuiatilibus tritum, cōuenire scorpiones a proximo omnes. Narrant alii contusum & lapide opertum, scorpionem gignere: & commanducatum ac in Sole positum, vermes adferre. Sed nec omittendum ex Diodoro, idipsum in cibo frequenter sumptum pediculos creare.

Si febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti adiunxeris, ac quasi condormire feceris, statim sanabitur: nam calores omnes febriles in cucumeres transibunt: quemadmodum ex Quintiliorum obseruationibus adnotauit Cassius Dionysius Vticensis, lib. 12. Agriculturæ Mago.

Aquas mire diligunt cucumeres & cucurbitæ: nam si illa in patens vasculum eis prope subiiciatur, aut apponatur, a quinque vel sex digitorum interuallo, ante posterum diem adrepentes cognoscentur descendisse, & in tantum sese extendisse, defectis aqua vasis, reuersi decuruantur; vsque adeo humore gaudent, & siccitates oderunt. Secus de oleo sentiendum: quod tam infense oderunt, vt si loco aquæ illis subiiciatur, aut apponatur in contrariam partem vergant: vel si minus possint, sese intorqueant & recuruent. Ex Quintil. Georgicis.

Rutam fascinationis amuletum esse tradit Aristoteles. Et alyssum in domo suspensum refert Dioscorides salutare amuletum esse contra easdem fascinationes, non dicam vni hominum, sed & quadrupedum generi. Pollet etiam, ex Galeno,

aduersus morsum canis rabidi: quemadmodum in fine primi libelli docuimus.

Theophrastus autor est ocymum lætius prouenire, si cum maledictis ac probris seratur. Quod & Plinius adfirmat: & fortasse Persius hoc senariolo:

Cum bene discincto cantauerit ocyma vernæ:

multi id etiam rutæ adscribunt. Sed hic omittendum non est, quod eandem rutam, cum mentha, cunila, & ocymo tangere ferro non expedit. Quod postremum etiam Sabinus Tyro adnotauit: præcepitque meridianam tantum aquam ocymo dandam: quod sub exortum Caniculę (quasi morbum sentiens) expallescit.

Tradit Zoroastres anno toto oculus huius dolorem nõ sentire, qui calyces rosarum antequam in flores explicentur, leui tactu lustret: tribusque earum alabastrulis visum detergat, relictis rosis in rosario patente.

Plutarchus scriptum reliquit, quoties coryli nucula laquearibus appensa cohærebit, scorpius in domicilia nõ irrumpet. Nec prætereundum censeo, quod simplex rusticitas obseruauit, serpentē obtorpescere, quæ coryli caudice, vel surculo tacta fuerit: quin & tandem mori.

Autores sunt multi cæsiorum oculorum pupillam infantibus denigrari, cinere putaminũ auellanarum nucum, ex oleo sincipiti conspersо.

Semen erucæ potum ex vino, verbera subituris duritiam quandam contra sensum inducere, scribit Ruellius, lib. 2. De natura stirpium. Addit pręterea ocymum si a sole continenter illustretur, in serpillum transire: quod vt foliis decrescit, sic fragrantius olet: cuius surculi a succino (quod le-
uissima

uissima quæque mouet & allicit) trahi, aut adduci nunquam possunt, abigi facillime. Quod etiam à Plutarcho est adnotatum.

Crateuas Herbarius tradit aspersu œnotheræ ex vino, omnium animalium feritatem, nedum hominum mitigari. Quod de radice intellexit Theophrastus. Sic Helianus œnuttam ceruos & canes inebriare scribit

Horus Apollo est autor vpupam auem morbo vuæ tentatam, adianthum ori inditũ obuersare. Quo gallinaceos pugnaciores fieri tradunt multi, si in cibum eorum addatur.

Scribit Africanus in Georgicis, lapathi semen appensum sinistro brachio, mulieribus ademptam pariendi spem restituere: restibilemque in posterum adferre fœcunditatem.

Si hederæ nigræ taleolæ tres in mundo linteolo filo alligatæ, in modum amuleti lienosis appendantur, gestantes infra triduum hoc vitio liberabunt. Autor Damegeron Græcus in Geoponicis. Tradit præterea Ælianus ceruos phalangio percussos siluestrem hederam mandere, & eo cibo liberari.

Neque morbus sacer, neq; dæmon, neque fulmen locum infestat, in quo laurus est. Vnde boni Genii plantam *Laurum Romani* vocant: cuius rami si in aruum defigantur, rubiginis noxam in illos conuerti scripsit Apuleius, autore Berytio in Geopon.

Dioscorides in cibis rutam commendat quæ prope arborem fici, aut sub ea nascitur: reliquam ferculis abdicauit. Cui subscribit Plutarchus Sympos. quinto, illam & suauiorem, & sapore meliore indicans.

Atriplex si ferro rescindatur, continuo repullulatu luxuriabit. Et ocymum cito nasci proditur, si statim quam seueris aqua calida, aut aceti imbre perfundas. Sed rem miram de ocymo narrat Gargilius Martialis, quod modo purpureos, modo cādidulos flores, modo roseos pariet, si ex eo semine frequenter seratur: quod simul atque solo creditum est, si aqua calida perfuderis, modo in serpillum, modo in sisymbrium degenerabit.

Narcissus neruos hebetat, ac sensûs sopiens membris torporem adfert: quamuis Sophocles magnum Deorum terrestrium ornamentum appellarit. Sic ruta genituram coagulat: ideoque gestantibus vterum inimica, etiam coronis inserta, putatur.

Papauer cum eius lachrima decerpitur, tam vehementem auram eructat, vt qui non sibi caue rint, veterno correpti concidant.

Tarentinus est autor in Geoponicis, quod caudice populi nigræ iuxta terram conciso, si fermentum aqua resolutum infundatur, illico prosilient fungi. Addit, quod si montanum aruum multis stipulis, calamis & fruticibus scatens, cum cælum imbres parturit, incendatur, permulti sponte naturæ prorumpent fungi. Si minus pluat, aspergine mentienda erit aqua: sed innocentiores sunt fungi, qui cælesti imbre gignuntur.

Sunt qui cancros tres cremari iubent in arbustis, vt carbunculi non noceant. Et si fictili nouo rubeta rana in media segete obruatur, tradunt tempestates noxias non esse.

Simias quadrupedes quibus digiti sunt, negant crescere, assuetas meri potui. Adhæc nasturtium si cum lactuca seratur, ægerrime prouenire.

Inter

Inter viros doctrina percelebres conuenit serendi munus obeundum esse, cum Luna sub terra agit: & cædendam materiam, cum super terram discurrens fertur. Nec est prætereundum Alexandri Macedonis inuentum seruandæ niuis, in scrobes vbi ea sit, coniectis e quercu ramis quemadmodum adnotauerunt autores omni exceptione (vt loquuntur) maiores.

Innocentissimi erunt fungi si pira siluestria cum illis incoquantur: namque virus eorum exitiale, ancepsque detrahunt. Addo, quod alysson herba vel manu gestata, vel oculis conspecta, rabie liberat: ideo prope ouilia, caprarum greges, & armentorum cubilia seri perquam vtile putant rerum agri scriptores, & ouium pecorisque magistri.

Africanus scribit ranas vocales silere, si incensa lucerna lacuum, & fluminum ripis adhibeatur. Adhæc allium sanum corpus exulcerare, & contra cepam vlcera ad integritatem reducere. Cui subscribunt & Didymus & Sotion in Geoponicis, multique alii apud Græcos, primæ notæ scriptores.

Omnibus arboribus mors est cortex in orbem detractus: quamuis a subere & adrachne possit impune eximi. Nec omittendum quod arbores odoratiores fieri traduntur, in quas cælestis arcus inflexus incubuerit. Autor Plinius, & post eum Ruellius.

Carnes ouinæ quæ lupini morsus iniuriam senserunt, suauiores tenerescunt: sed ouium earum lana pediculos etiam neta creat. autor Plutarch. in Sympos. Quibus addo, viperam fagi ramulo contactam statim obstupescere. Et lupum scillæ

bulbos contingentem resolutum fatiscere. Adhæc leonem frondes ilicis supergressum torpescere: ac parituros Cycnos viticem in suos nidos adferre: quemadmodum scripsit Athenæus.

Amianthum ignibus inuictum manet: qui, si etiam mediis obruatur flammis, non ardebit. Raphanus impositu scorpionem necat: & magnes si allio confricetur, ferrum abigit. Necnon marinæ aues cunilam petunt, qua exulceratis rostris medeantur. Autor Zoroastres in Geoponicis.

Fiscedula & atricapilla, quæ Græcis *Melanchoryphus* appellatur, altera in alteram transit; sic vt quæ ineunte Autumno fiscedula fuerit, vindemiarum exitu in Atricapillam versa conuolat. Autor Aristoteles & Theophrastus. Ad hunc modum eruca ascitis alis in papilionem abit: & erucæ, quæ in fico nascuntur, in cantharidas degenerant, atque hydrus siccatis lacubus in serpentem desciscit.

Rupicis auiculæ conspectu regius morbus sanatur. Et æneus clauus carnibus infixus, eas à putrilagine diutius illæsas tuetur. Præterea Gallinaceus iugulatus tenerescit in arbore fici suspensus. autor Plutarchus.

Cicuta rutæ contraria, & cœca quadam antipathia aduersa cognoscitur, probabili argumento: quoniam colligentes rutam manus cicutæ succo muniunt, vt antea dictum est, quæ alias (nisi contegerentur) vlcerari periclitarentur.

Ferunt ramosas arbores quæ sterni debent, difficilius cædi, ac celerius inarescere, si prius manu quam ferro tangantur. Ad quæ accedit quod

quod apium cum viret, tritum calcatumque melius adolescit: adhæc cuminum maledictis & probris satum lætius prouenit. Quod supra ocymo, & aliquot aliis plantis etiam adscriptum audiuisti.

Testatur Plutarchus animo linqui equos & asinos, qui aut mala aut ficos dorsarii comportarint. Sed maiore dignum miraculo remedium, quo ipsis & hominibus quoque succurratur, nimirum obiectus panis.

Ebur Zytho perfusum aut posca, operi tractabile & obsequiosum reddi, author est Plinius: & Elephãtem animal hordei succo mitem fieri. Adhæc oui putamen durum aceto molle reddi, vt per annulum transire possit.

Volentibus experiri victurus sit æger necne, præcipiunt radicis chamæleontis albi diluto, perfundi triduo qui langueat: ternas vices qui pertulerit moriturum negant. Author est Theophrastus. Quibus addo quod eiusdem chamæleontis radix in farina hordeacea cum aqua & oleo subacta, canes necat: mures vero in polenta.

Pilosella herba tanta spissandi pollet facultate, vt si succo eius gladiorum acies intingatur, ferrum aliud omne (vt aiunt) edomet. Notandum præterea, quod pulegium recens incensum pulices necat: vnde illi nomen. Est & syluestre origano simile, quod gustatum a pecore, ei balatum concitat.

Pisces ægrotantes in piscinis apio viridi recreantur, seu petroselino; quod etiam oris suauitatem maxime commendare manducantibus traditur: autor Theophrastus. Nec omittendum quod *elatine sampinaria*, seu pimpinella vulne-

ribus iniecta, ferrum ac ſpicula facile, ac citra ſenſum doloris exigit

Muſtela cum ſerpente dimicatura, & in murium venatu, rutam prius edit, ne afficiatur. Hanc porro ſculptores & pictores propter viſum ſalubriter in cibo aſſumunt. Quæ ſi aqua ſalſa irrorabitur, lætior proſiliet, quemadmodum adnotauit Theophraſtus Sed & eadem furtiua fertilius prouenire putatur.

Aiunt nonnulli *leucocanthum*, ſeu *albiſpinum* inſtar lauri fulmine non ici, nec vnquam de cælo tangi. Præterea deturbandis calculis acinos eius ex vino ſingulari eſſe remedio.

Satum omne ſcillæ herbæ adpoſitum facilius germinat, atque celerius increſcit: & maxime ficus: quæ inde vermibus non infeſtatur, vt ſcripſit Theophraſtus. Nec omittam quod ſemina quæ bubula cornua ſementis tempore attigerint (Græci vocant κερασβόλα) igni non abſumuntur. autor Zoroaſtres Geopon.

Thapſia, autore Theophraſto, ſuggillata & liuentia illuſtrat. Qua ex re Nero Cæſar dignitatem ei dedit, nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem ea illinens cum cera atque thure, & ſequenti die contra famam cutem ſinceram circumferens.

Attramentum librarium diluto abſinthii temperatum, literas a muribus tuetur: herba vero ipſa veſtibus inſerta tineas arcet: autor Dioſcor. Ad quæ accedet, quod ſcorpium raphanus impoſitus occidit, quemadmodum Zoroaſtres ſcripſit in Geoponicis.

Vino quod acorem quendam iam concepit, medetur ollula aquæ bonæ plena, vt autor eſt Tarentinus:

zentinus: quę diligenter operta in dolium demergatur: post triduum inuenietur ab acore vinum sese recollegisse, & aquam ipsam olere, si pristinum robur resumpserit.

Marcus Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate seruari putat. Cuius seminis grana tria in tertianis deuorari iubet. Sunt qui ante Solis exortum ceruicalibus subiici efficaciter existimant. Addendum ex Xenocrate menstrua cōtineri vno die, si vnum granū biberint feminæ, biduo, si duo: & totidem dieb. quot grana sumpserint. Hæc apud Ruellium lib. 3.

Cauliculi caprifici bubulas carnes additi, magno lignorum compendio percoquunt. Et ramus eiusdem, collo taurorum quantumlibet ferocium circundatus, traditur eos ita compescere, vt immobiles maneant Quod etiam ad ficum transtulit Plutarch. Sed de his libello superiore.

Rusticæ rei scriptores præcipiunt iuxta coronarias herbas, acria, vt cepas, allia & id genus, serenda esse. Id enim multum conferre adfirmāt, at excitandam & creandam odoris gratiam ac suauitatem.

Pisces summopere expetunt radicem Aristolochiæ rotundæ. Itaque si contusam admixta calce, mari aut fluuio sparseris, cupiditate mira aduolabunt pisces, continuoque exanimati fluitabunt. Id Plinius coram se factum testatur. Ob id piscatores in Campania, venenum terræ nominabant. Nunc & cyclamini radice itidem contingit, autor Plinius.

Sine semine nascentur cucumeres si prius eorū semina per triduum oleo sesamino maceraueris: nam ita prolem orbam seminibus parient. Sed

id omittendum non arbitror, quod si ad eum locum in quo cucumis, aut cucurbita consitę sunt, mulier admittatur, contactu eius languescunt virentium incrementa. Si vero fuerit in menstruis, visu quoque suo nouellos fœtus enecabit. Prius ex Quintil. Geor. excerptum est: posterius habet Ruell. lib. 1. ex Plinio, vt arbitror. Sed de his rebus fusius sumus philosophaturi in nostris rerum agri Secretis.

Africanus ex Geoponicis Græcorum pollicetur eum ebrietatem non sensurum, etiam si bibendi certamine prouocetur, qui caprinum pulmonem tostum ederit: vel ieiunus quinque aut septem amara amygdala deuorarit: vel crudam brassicam præsumpserit: vel corona e ramulis aiugæ facta, caput præcinxerit.

Scilla in limine vestibuli suspensa, maleficiorum pellit introitum: autor Zoroastres. Sed neque hoc loco monere absurdum erit, quod si luxuriantes cucurbitarum & cucumerum viticulas putaueris, longe celerius suos edent fructus.

Græci asserunt fabæ semina caponis sanguine macerata, ab aduersantibus herbis immunia esse: quæ si pridie aqua infusa fuerint, citius nascentur: si nitrata aqua respersa, coctionem difficilem non habebunt: autor Palladius, lib. 12.

Ruta vt fimum horret, ita cinere cupit ali. Et papauer vtilius fertur prouenire, vbi virgæ & sarmenta combusta sunt. Idem Pallad.

Capra vbi oculos hebetes ac obtusos sibi esse percipit, in iuncos acutos ingreditur, & seipsam illorum stimulis perpungit, & curatur, vt scribit Berytius apud Cass. Dion. Vtic.

Mense Iulio cum Sol Cancri tenebit hospitium, Luna

Luna sexta in Capricorni signo posita, gramen ablatum nihil de radicibus reddit. Quibus addo, quod papiliones maxime abundant maluis florentibus, autor Palladius lib. 8.

Si trito maluauisco cum ouorum albumine manus illeueris, atque alumen superinduxeris, resiccatisque omnibus sulphur ad vnguem tritum respersetis, ignem absque læsione tractare poteris. autor Albertus

Si ichthyocollæ & aluminis æquales partes acceperis, ac inuicem miscueris, hisque acetum superfuderis, quidquid ea miscellanea illitum in ignem proieceris, non comburetur. Idem.

Si cacumina seminum cinaræ confringas, spinis carebunt: & si per triduum eadem madefeceris in aqua odorata, & siccaueris, necnon seminaueris, eum odorem seruabunt. autor Palladius libro 4.

Laurus in vitiosa aqua madefacta, illam salubrem reddit. autor Diophanes in Geopon. Et faba sola frugum exesa, crescente Luna repletur, quemadmodum scripsit Plinius.

Semina rosæ cum grano sinapis & pede mustelæ circa retia posita, aut his appensa, pisces ad se pelliciunt. Eadem arboribus suspensa, steriles illas reddunt. autor Albertus.

Scillæ flos virgæ specie enascens, & tarde marcescens, fertilitatem fructuum huius anni portendit, quemadmodum in nostris Ephemeridibus aëriis ostendimus.

Frequenti vsu primæ speciei vmbilici Veneris (qui Græcis Cotyledon dicitur) marem concipi, & secundæ feminam, autor est Hippocrates. Et semen Rumicis, id est, siluestris lapathi, si-

niſtro brachio alligatum, ſterilitatem in mulieribus emendat, vt in Georgicis ſcribit Africanus.

Palladius eſt autor vitibus hanc eſſe naturam, vt alba vel nigra ſi redigatur in cinerem, vinoque imponatur, ei vnam quamque formam ſui coloris immittere. Tradit præterea omne triticum in ſolo vliginoſo poſt tertiam ſationem in genus ſiliginis commutari.

Sues ſumpta herba hyoſcyamo, præſenti periculo conuelluntur: niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris & intus proluerint, vt Ælianus autor eſt. Addo ex Plinio, quod candida indumenta ſues perinde atque elephantes, impenſe oderunt: boues & tauri, purpurea: quod multi ſub hoc habitu ſuo ſummo malo ſunt experti.

Verbena collecta Sole per Arietem incedente, & cum granis pæoniæ collo appenſa, vel trita & naribus immiſſa, caducum morbum ſoluit. Et chelidonia ſuper caput infirmi poſita, ſi moribundus eſt, clamabit: ſi ſeruari debet, collacrymabit. autor Alb.

Punicæ ramulum ferunt venenatas beſtias & ſerpentes arcere: proindeque in ſtragulis ipſum imponendum eſſe cenſent, ſecuritatis ergô: autor Africanus in Georg.

Herba conyza ſicca (vt Græci aſſerunt) frumentis ſubſtrata, illis ætati addit. Et columbæ ſuum locum non deſerunt, ſi per omnes feneſtras aliquid de ſtrangulati hominis loro, aut vinculo, aut fune ſuſpendas: autor Palladius libro 1.

Si ſcorpium vſſeris, reliquos (ſi qui præſentes fuerint) vel accipies, vel fugabis: itidem & formicis contingit: fortaſſis & aliis huiuſmodi anima-

libus

ſibus: autor Democritus in Geoponi. tradit & Didymus ibidem, quod ſi quis miliarem panem præſumpſit, nunquam a veneno noxam incurret.

Si ſenis hominis cranium in periſterotrophio ſeu columbario ſuſpendatur, multiplicabuntur ibi columbæ, ac quiete viuent. Idem præſtabit lac mulieris puellam a bimatu lactantis, ſi in vitreo vaſe ibidem ſuſpendatur: autor Albert.

Talpæ interibunt ſi earum foramina rubrica & ſucco agreſtis cucumeris impleueris. Et ſi capiti porri ſemen rapæ ſine ferro immiſeris, multum fertur increſcere: melius ſi hoc frequenter facias: autor Pallad. lib 3. & 4.

Ferrum paleis incubantium gallinarum ſuppoſitum, multam malitiam auertit: autor Florentinus in Georg. Et ſi quis anum galli oleo perunxerit, cum Gallina non coibit: nec ille idem vocem edet, ſi caput & frontem oleo illeueris.

Leporis aſtragalus ſuper eum qui colicum dolorem patitur ſuſpenſus, aut ab eodem geſtatus, plurimum confert: autor Archigenes apud Albertum. Addit præterea, quod dum aliquid de vmbilico infantis recens nati præciditur, & ſub lapide argentei annuli, vel aurei includitur, ei qui ita factum neſcit, geſtatus, colicum cruciatum vel leuat, vel ne inuadat, præcauet.

Origanum montanum tritum & myrmecio ſuperſtratum, formicas illinc abire cogit. Et mus punctioni ſcorpionum ſuprapoſitus, multum iuuat. Adhæc vaccarum cornua cerelco, aut piceolo illita, pedum dolores deponunt: autor idem Albertus.

Opinantur multi ceparum ſemina ab auibus non attingi: quapropter negāt terra obrui debere.

Et si vis vt animal quoduis non diuagetur, & hospitium repetat, line frontem eius succo scillæ.

Hoc in cucurbitis insigne est, quod longas pariunt & exiles semina earum quæ in ceruice nascuntur; quæ in ventre fuerant, crassiores; quæ in fundo, latas: maxime, si inuersis cacuminibus obruantur. autor Pallad. lib. 4.

Citrium iuuari creditur, si cucurbitæ vicinis locis serantur. Et fumus sicci stercoris bubuli incensi, saluti apum aptus est. Adhæc semen brassicæ vetus mutatur in rapa, & contra. Et si cum lactuca seratur nasturtium, egregie nasci fertur: sed de his supra. Autor Pallad.

Si allium Luna sub terra posita seratur, & sub terris eadem latente vellatur, odoris fœditatem exuere fertur: autor Sotion Græcus in Geopon. & Palla. lib. 12. Tradit ille idem, dulciora effici allia, si in plantando nucleos oliuarum posueris, vel allia ipsa contusa plantaueris.

Delphinus *Simonis* appellatione adeo gaudere fertur, vt hoc tanquam illicio ductus, appellantes sequatur: quod a piscatoribus fide dignis auditum est.

Vites decrescente Luna putandæ sunt, adhæc vindemiandæ: quæ si ferro vulnerentur, ægrotãt: præsertim nouellæ: autor Anatol. in Geopo. Ex quo addo, columbinum stercus ad celerem vitium germinationem idoneum esse, verum ad vini generositatem, summe incommodum.

Coriandrum in albo aceto per diem maceratum, aptissimum redditur ad necandos pulices, si per solum cubiculi spargatur. Et radix acetosæ suspensa collo eius qui patitur scrofulas, sæpe mutata, ac repetita, iuuare creditur.

Quoti-

Quotidiana experientia constat vitem delectari vlmo, ceraso, malo persica, & amygdalo. Ficus, nux, & olea in ambitu longe seri debent. Addo quod si talpas a vinea, agro, vel horto deturbare voles, vnam cum accenso sulphure in ollam coniicere debes, nam omnes aliæ ibi conuenient.

Mures rusticos si querneo cinere eorum aditus satures, attactu frequenti scabies occupabit, ac tandem perimet. Præterea si vituli marini pellem in medio vinearum loco, viticulæ superieceris, contra imminens malum totius vineæ membra, te vestiuisse tradunt: autor Palladius.

Aduersus animalia quæ solent hortis nocere, præcipiunt Græci veruecis ventriculum statim occisi, sordibus suis plenum in loco vbi abundant huiusmodi, leuiter operiendum. Nam post biduũ congesta ibi erunt animalia quæque. Hoc cum bis vel tertio feceris, genus omne extingues: autor Palladius.

Si sanguinem testudinis lineo panno exceptum resiccaueris, & ex eo ellychnium feceris, quisquis illud incensum tenuerit pædere non cessabit, donec dimiserit. Et lingua viuentis ranæ extracta, rana in aquam proiecta, si super cor dormientis ponatur, facit vt ille ad interrogata respondeat. autor Albertus.

Illum grandini obuiare scripsit Palladius, qui Crocodili pellem, vel Hyænæ, vel marini vituli per spatia possessionis circumtulerit. & in cortis aut villæ ingressu suspenderit, vbi malum insurgere videat.

Vespertiliones non habebis, si platani folia in suspecto loco deponas: sed & hedera suffumigata illas occidit: autor Africanus in Geoponicis. Ad-

do ex Didymo ibidem, quod ſtuporem nouæ viti inducit ferri contactus, itidem arbori ac plantæ: quare melius eſt manu tractare.

Si paluſtrem teſtudinem dextra manu ſupinam fereus, vineas perambulet, & reuerſus eodem modo ſic illam ponat in terra, & glebas dorſi eius curuaturæ obiiciat, ne poſſit inuerti, ſed ſupina permaneat, fertur ab iniuria grandinis vel tempeſtatis agrum defendere: autor Pallad.

Perſicum ſumme iuuat ſerpentis ſpolium appenſum: & contra eius vitia proficit ſparthum ligatum, vel ſparthea de ramis ſuſpenſa: autor idem Pallad. Ad quæ accedet, quod ſi nigram vuam in ceraſum conſeras, etiam in medio vere vuam habebis.

Oleum ſatis omnibus eſt inimicum: & oculus lupi geſtatus, ad victoriam facit: ſerpentesque eliminantur peucedani ſuffitu. Et ſcarabeus in roſis ſepultus moritur, in ſtercore vitam recipit: ac portulaca ſuper lectum poſita ſomnia ac phantaſmata impedit: autores Plinius & Albertus.

Si minuente Luna ſerantur cepæ, tenues & acriores proueniunt; ſi creſcente, robuſtæ, & humoris humecti. Addo quod braſſica celerius coquitur virore ſeruato, ſi dum eſt trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum, & cribello ſecretum, deſuper aſperſeris, vt ſpeciem pruinæ canentis de ſuperficie imitetur. Nec omittendum puto, quod ſi vermes pomiferam arborem infeſtent, tedæ cuneus eius radicibus inſertus, illos arcet ac deturbat: autor Pallad.

Sæpe percuſſa olea, poſteri anni fructum amittit: autor Varro; apud quem Agraſius teſtatur eos qui decreſcente Luna tondentur, cito ac facile calue-

caluescere. Addit idem Varro cytiſum herbam ab æquinoctio verno florere incipere, & ad alterum Autumni æquinoctium permanere.

Feles nullam auem contingent, ſi ſub alam ipſius ruta ſylueſtris ſuſpendatur: autor Sotion in Geopon. Vbi etiam traditur, quod ſi videris ſerpentem ſæpe viti implexum vindemiæ tempore, vinum acidum expectabis.

Conſtat locum nullis prope vtilem fructibus, in quo palmæ naſcuntur: & lapidoſas terras fructus lapidoſos generare. Ceterum ſi languida erit arbor pruni, amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus debet affundi: vel cineres ex furno, & maxime ſarmentorum.

Si nucibus Græcis in aqua tritis canum aures, & inter digitos vnxeris, muſcæ, pulices, & ricinii eos non exulcerabunt. Ad quæ accedet, quod ſerpentes à caueis gallinarum & auium abiges ac arcebis, cornu ceruino ſæpe incenſo: autor M. Varro.

Si rubra poma, pira, racemos, nuces & alia facere voles, inſitionem para in moro. Et ſi fructus quoſcunque diu ſeruare voles, recentem illorum pediculum pice liquefacta illine. Addam ex Geoponicis Græcorum, quod qui fructus recentes in exſculpta, aut intus formata vaſcula includet, ac augeſcere ſinet, formas ipſas ibi impreſſas reperiet.

Scilla iuxta radices arborum plantata, à vermibus immunes eſſe facit: & ſeris herba, tacta aqua, etiam cum eſt arida, fit viridis: autor Varro. Qui etiam tradit eum qui bona olet vnguenta, ad apes accedere non debere, nam ab his grauiter pungetur, ac ſtimulabitur.

Boues nitidiores fiunt ſi focum proxime habe-

ant, & ad ignis lumen intendant: & rutæ ramuli plures in columbariis suspensi, noxia arcent animalia. Insuper coriandri folia frumentis remixta, illis conseruandis maxime prosunt. autor Palladius.

Aquarum amaritudinem emendat corallium contusum & iniectum: necnon tritum hordeum, & linteolo illigatum. Sic pedibus confricatum sal, nocumentum tollit, quod ex vini crapula cõtrahitur.

Hieraces ex accipitrum genere, obscuritatem oculorum discutiunt succo herbæ hieracii, præsertim maioris: quam herbularii quidam cichoreum luteum, aut croceum vocant. Et folia apocyni, siue cynocrambes cum adipe in panes coacta, lupos, canes, vulpes & pantheras enecant in cibo data, atque eorum coxendices resoluunt: autor Dioscorides.

Vultures locum cadaueribus destinatũ, septem ante dies quam pugna committatur, præuident: in eamque partem in qua alterutra pars succumbet, respectant. Quamobrem Reges olim speculatores præmittere solebant, qui renuntiarent ad quamnam partem vultures oculos referrent.

Cinis ranæ magnæ collo gallinæ, vel alterius volucris linteolo alligatus, prohibet ne sanguis effluat, etiam si profunde vulneretur. Ex quo multi colligunt eundem cinerem gestatum, muliebrem fluxum menstruum retinere posse, ac alias item hæmorrhagias.

Pennæ alæ dextræ merulæ in mediis ædibus filo suspensæ rubro, sed cuius nullus fuerit vsus, faciunt ne quis dormire possit donec auferantur. Et cor eiusdem capiti dormientis clam suppositum,

ad

ad interrogata reſpondere illum inuitat: autor Albertus.

Fama eſt quod ſi pſyllium virens domũ importetur, non ſinat in ea pulices gigni. Quod ſi in feruentem aquam deiiciatur, calorem reprimit: autor Dioſcorides. Ad quæ accedet, quod auriculas viuenti lepori præciſas ſomnos infantibus allicere tradiderunt nonnulli: præſertim ſi illorum capiti ſubiiciantur.

Quarta Luna qui naſcuntur, infelices eſſe putantur ab Euſtathio, libr. Iliad 2. quod Hercules hac Luna ſit natus, cuius vita periculoſis ſemper laboribus plena fuit. Addunt alii quod 10. menſe etiam in lucem venerit: qui partus Aſtrologis inauſpicatus eſt, ob Saturnum natalis periodi tunc autorem ac dominum. Sed ea de re alibi à nobis ſcribetur.

Occulta eſt antipathia vel potius ſympathia (ſed tamen lethalis) aui cuipiam montana, cum capris. Nam illa in harum ſtabula aduolans, vbera ſugit: qua iniuria vber extinguitur, & capris cœcitas oboritur. Vnde *Caprimulgus* vulgo dici ſolet.

Vſu frequenti tuberum epilepſiam, & apoplexiam gigni, autor eſt Simeon Zethus. Ceterum illis cum cælo affinitatem eſſe credidit antiquitas; nec niſi tonante Ioue naſci. Vnde Iuuenalis:

——*facient optata tonitrua cœnas.*

Verrucas ſingulas ſingulis granis ciceris tangunt nonnulli: eaque grana linteolo deligata, poſt ſe abiiciunt, atque ita decidere eas arbitrantur: autor Dioſcor. Nec omittam quod lapis è capite Draconis erutus, ſi aceto ſuperfuſus fuerit, mouebitur primo in rectum, mox in obliquum, deinde in gyrũ, donec exhalet aceti vapor. Idem

præſtat lapillus in capite cancrorum repertus, quemadmodum plus millies ſum expertus.

Fugantur pulices amurca per pauimentum frequenter reſperſa. Vel cumino agreſti cum aqua trito. Vel cucumeris agreſtis ſemine aqua reſoluto. Præterea necantur mures, ſi helleboro nigro caſeum, vel panem, vel adipes, vel polentam permiſceas,& illis offeras: autor Palladius.

Ex amaris amygdalis dulces facies, ſi circa radices, ouis, vel paruuli ſuis ſtercus infundas. Idem fiet infixis clauis multis aureis. Quod ſi formicas à quopiam loco abigere voles, cochlearum teſtas vacuas vre,& eo cinere illarum foramina inculca: autor idem Palladius.

Frondes lauri, libros & veſtes cum quibus ponuntur,a tineis defendunt, necnon à vermibus & corroſione tutos reddunt: autor Dioſcorides. Quibus addo, quod pueri braſſica veſcentes citius augeſcunt: & qui boletos venenatos ederit,ſucco eius poto ſeruabitur, vt in Græcorum Geoponicis adnotatum eſt.

Capræ multum lac faciunt ſi circum ventres ipſarum dictamnum alligaueris: autores Florenti. & Africanus in Georg. Qui poſtremus etiam tradit arietem non incurſurum, nec impetum facturum, ſi cornua ipſius prope auriculas perforata fuerint.

Ariſtolochia rotunda diligenter trita cum campeſtri rana, & ſcriptorii atramenti parte aliqua, facit vt ſerpentes ceu mortui illico ſubſiſtant & hæreant, ſi ex ea miſcellanea aliquid ſcripſeris, & coram illis proieceris. Quod ſi talpas accipere voles, illorum foraminibus & oſculis alliũ, porrum, aut cepam obiice: ſtatim ac ſi ſtupidi eſſent, foras proſilient: autor Albertus.

Ex amiantho contextæ telæ si ignibus iniiciantur, ardent quidem, sed flammis inuictæ splendidiores exeunt: autor Dioscorides. Præterea lapis asbestus semel accensus, ignem perpetuum seruat, maxime affuso pingui aliquo, estque inextinguibilis. Ex quo nostratibus Gallis vulgo *mesche sans fin* vocatur.

Theophrastus autor est, si quisquam in bullientem vini vrceum pumicem iniecerit, feruorem statim sedari. Quibus addimus cor canis in sinistra parte gestatum, non sinere vt canes allatrent: & lupi oculum dextrum in dextra manica portatum, canum hominumq; nocumenta præpedire.

Aduersus mures agrestes Apuleius asserit semina bubulo felle maceranda esse, antequam spargantur. Alii eorum aditus rhododaphnes foliis claudunt. Nec prætereundum quod vicia ante Lunam vigesimam quintam serenda non est: quia sic satam limaces persequuntur: autor Palladius.

Magna est sympathia & naturarum familiaritas inter psittacum & turturem. Nam hunc de omnibus auibus amat ille: & contra. Quod mihi & item multis exploratum sæpe fuit. Sed Ouidii testimonium huc adferre pulchrum erit, ex epistola Sapphûs:

Et variis albæ iunguntur sæpe columbæ:
Semper & à viridi turtur amatur aue.

Si vermibus laborant arborei fructus, curabis radices illinendo bubulo felle cum aceto: nam sic continuo morientur. Addo quod mala multa proferet punica arbor, si tithymalli & portulacæ succus æqualiter mixtus, trunco illinatur antequam arbor ipsa germinet.

Si cum sanguine iuuenis leporis hyoscyamum

miſcebis, & in ipſius ſpolio, aut ſi vis, pelle conſueris, omnes loci lepores in quo iacuerit, ad ſe pelliciet: qui illinc abire non poterunt donec abſtuleris. Addo quod viſcum quercinum ſylphio coniunctum, & ad arborem cum hirundinis ala ſuſpenſum, aues ad ſe congregat. Autor Albertus.

Quotquot oues linguam albam, nigram, aut variam habent, tales fœtus plurimum generant. Admirandumque eſt quod Archelaus ſcripſit, capras non naribus, ſed auribus ſpiritum trahere: vbi non omittendum, quod mures radicibus cinararum libentiſſime veſcuntur, & ad has etiam è longinquo turmatim accurrunt. Autor Marcus Varro.

Aiunt lupos cum ſint nacti ſues, trahere vſque ad aquam: quod dentes feruorem carnis ferre nequeant autor idem Varro: apud quem etiam lego, tot porcellos parituram porcam (ſi quidem generoſa eſt) quot mammas habet. Ad hæc ſpectatas eſſe ſues, quæ præ carnis pinguitudine non modo ſurgere non poſſent, ſed etiam in earum corporibus ſorex exeſa carne nidum feciſſet, ac mures peperiſſet. Quod pro miraculo non cenſeo habendum, cum talia paſſim videantur.

Folium portulacæ linguæ ſuppoſitum, ſitim extinguit, quemadmodum lapis alectorius in gallorum caſtratorum ventriculis repertus. Et teſtudo à ſerpentum eſu ægrotans, origano ſuperingeſto curatur, vt ſcribit Zoroaſtres in Geoponicis. Vbi etiam Didymus teſtatur paleas foliis & ramulis arborum, oleribusque maxime nocere, nam cuncta adurunt ac perforant.

Si moſchum inodorum fuerit, latrinis ſuſpenſum odorem reuocat. Et roſæ dum aperiri incipiunt, ſi

unt, ſi ſulphure ſuffumigentur, à veſtigio albeſcunt: autor Didymus in Georg. Addo quod arundineta incenſa vegetiora renaſcuntur. Et augeſcente Luna ſi agri ſtercorentur, herbarum excretionem adiuuant.

Ad præſagiendum de euentu alicuius ægrotantis, præcipit Plinius verbenam ab eo geſtari debere qui inuiſit: rogandumque ecquid valeat, qui ſi recte reſpondebit, futuræ ſanitatis augurium eſſe ſcribit; ſi contra, mortis.

Mirabilis eſt natura eius plantæ quam *tripolium* nuncupant. Nam eius flores ter die mutantur, vnde ſcilicet nomen habet: mane candidi, meridie purpurei, & veſpere punicei: autor Dioſcorides. Sunt qui foliis polii idem aſcribant, niſi quod Sole occidente cærulea videri aſtruunt.

Nonnulli à capitis dolore naturaliter liberati ſunt, folio oleæ hoc nomen, ἀθηνῆ, inſcribentes: ipſumque folium cum filo circa caput obligantes. Quod ſi ab incurſu aprorum immunis eſſe volet aliquis, cancri chelas, vngulas ac pedes pro amuleto alligatos ſecum habeat: autor Democritus in Geoponicis.

Magna eſt canum ſympathia & indicibilis familiaritas cum ſuis heris ac dominis. Nam his extinctis aut occiſis, plerunque cibi & potus obliti, vnà moriuntur, vel ſenſim contabeſcunt: ſeque morti vltro opponunt, vt iniurias ab his depellant, fures arceant, ac maleficos prodant.

Vinaceorum cibo ſterileſcunt gallinæ: & hordeo ſemicocto parere ſæpe coguntur, redduntq; oua maiora, quæ ſi oblonga & acuta fuerint, maſculos edent: ſi rotunda, feminas. Addo quod circa gallinarum caueas cornu incendere opti-

mum eſt, ne ſerpens illuc accedat, cuius odore ſolet interire: autor Pallad.

Sonus quem Echo reddit, fugare apes exiſtimatur: ideo illarum ſedes eſſe oportet, vbi illa non reſonet: autor *M.* Varro. Qui etiam tradit fabas & cetera legumina in vaſis oleariis cinere oblita perdiu incolumia ſeruari: & fabam ipſam ad coquendum facilem reddi, ſi dum ſeritur, aqua reſpergatur.

Coturnices, phaſiani, & perdices ſi ab accipitre occidantur, carnes dant longe ſapidiores. Et pinus prodeſſe creditur omnibus quæ ſub illa ſeruntur. Nec omittes quod coccyx vere prodit, exortu Caniculæ à nemine videtur.

Si leonis oculus ſub axilla portetur, omnes beſtias occurrentes in fugam conuertet. Et ſi caput milui collo gallinæ appendatur, illa diſcurrere non ceſſabit donec auferatur, cuius ſanguine ſi criſtam vngas, in poſterum non cantabit. Præterea, ſi pes talpæ lauri folio obuoluatur, & in equi aurem immittatur, prę timore excurrere non ceſſabit. Autor Albertus.

Crocodilus terreſtris crocum refugit: ob id mellis confectores dum timent alueis à crocodilis, crocum illinunt. Sic cucumer ſerpentinus in aqua maceratus cimices fugat & expellit, ſi locum aqua illa aſperſeris. Idem facit conſolida maior puluino ſuperſtrata: nam veluti ſtupeſcentes retinet, & ad ſe euocatas ligat.

Flores & folia nerii ſeu rhododaphnes, mulis, canibus, aſinis, & quadrupedum quamplurimis venena ſunt: hominibus vero contra ſerpentum morſus præſidia: maxime ſi ex vino ruta addita bibantur. Imbecillæ etiam animantes, vt pecus & ca-

& capræ, ſi aquam bibant in qua folia ea maduerint, moriuntur: autor Dioſcorides.

Si voles in conuiuio multum bibere, cœnareq; libenter, ante cœnam braſſicam crudam, quantum voles, ex aceto manducato: & item vbi cœnaueris, comeſto aliqua quinque folia: reddent te quaſi nihil ederis, biberisque, bibesque quantum voles: autores Marc. Cato, & M. Varro in lib. De re ruſtica.

Cor maſculinæ coturnicis à viro geſtatũ, & femininæ à femina, facit vt nec lites, nec iurgia poſſint inter illos oboriri, aut ſpargi. Ad quæ accedet, quod ſi in corio lupi turturis cor deferatur, geſtans rerum Venerearum illecebroſo appetitu non corripietur Et ſi in hirci ſanguine & ſucco ſenecionis vitrum ebullierit, aut in eo calente maduerit, molle vt cera exibit.

Suffitus vngularum equi mures fugat. Et ſi aliquot anguillas in vino extinxeris, qui ex illo bibent abſtemii euadent. Nec omittes quod ſerpentes ad allium non accedunt: nec canes guſtant aliquid allio delibutum, etiam ſi impenſe eſuriant.

Omnia hortorum, aut agrorum ſemina ab omnibus malis ac monſtris tuta eſſe feruntur, ſi tritis radicibus agreſtis cucumeris ante ſationem macerata fuerunt: autor Palladius, qui etiam tradit mulieris capillum vſtum à quocunque loco ſerpentes fugare.

Peribit filix quam per ambitum ſata copioſior arundo coronet: & contra euaneſcens abibit arundo, quam obſepiens multa filix in orbem cinxerit: autor Dioſcorides. Qui etiam ſcribit mares gigni, ſi à muliere poſt purgationes decoctum mercurialis maris bibatur, & trita folia genitali-

bus admoueantur, feminas vero, si ex femina mercuriali idem fiat.

Lugubres literas fabarum floribus inesse, autor est Festus Pompeius: mortuorumque animas in illis habitare affirmat. Proindeque tutum non esse inter illas versari, quiescere & dormire: idque noctu magis quam interdiu.

Filix lecto superstrata ad puluinar aut alibi, cimices veluti obsides retinet. Et helleborus albus felli bubulo remixtus, facit vt aues manu capiantur, quæ grana in hac miscellanea macerata gustauerint: nam veluti stupida humi iacebunt.

Scribit Isidorus, quod radix virgæ pastoris, seu cardui siluestris in aqua decocta, bibendi auget cupiditatem: contra glycyrrhiza, quę ore contenta, Scythis olim in bello ad dies multos sitim coërcuit. Quod nos supra etiam alectorio lapidi, & folio portulacæ dedimus.

Democritus autor est in Geoponicis eum qui manus habuerit maturato semine raphani trito imbutas, sine nocumento serpentes tractare posse. Quin & radicis illorum frustum super serpentem, aut scorpionem proiectum, lethale esse scribit. Quod ad draconteam seu serpentariam etiam transfert Dioscorides.

Succus herbæ pilosellæ Mercurium seu argentum viuum glutinare, & congelare fertur. Traditque Hermes succum raphani cum succo triorum lumbricorum terræ, per pannum expressorum, reddere ferrum ibi sæpe extinctum, tam durum, vt aliud ceu plumbum incidat.

Oleum sic metuunt cucumeres, vt si iuxta posueris, velut arcus plicentur. Quorum flores, vti etiam cucurbitarum, si in effigiato fictili conclu-

feris, qualis erit effigies, talis erit vtrorumque figura: ex Græcorum Geoponicis.

Apium cum crescere incipit, si pedibus conculcetur, lætior ac vegetior insurgit, Plutarcho autore: quo, qui epilepsia laborant, vesci non debent: tantum abest, vt contingant, vel olfaciant: nam accessionem excitat.

Plinius autor est eum qui se maluæ succo perunxerit cum oleo, ab apibus pungi, lædive non posse. Ad hæc lappæ succo illitum, à scorpionibus immunem esse. Cuius radix cum vino cocta, aluum sistit, folia vero adiecto sale soluunt.

Autor est Hermes quod cucurbita in ossium humanorum cineribus plantata, & oleo irrigata nono die fructum profert. Adhæc tussi laborantem, si in os ranæ quæ arbusta scandit expuerit, viuamque dimiserit, ab ea liberari.

Mures radicibus maioranæ insidiantur, ceu medicamentum & auxilium ab his quæritantes. Ceterum, vt ab illis & gurgulionibus, aliisque animalibus noxiis frumenta & legumina defendantur, præcipit Palladius parietes amurca luto remixta illinendos esse, cui aridi oleastri folia, vel oliuæ pro paleis adiicientur. Alii coriandri folia frumentis immiscent. sed de his alibi scribemus.

Quidam fabam in vineto seminant, vt vites à pruina illæsas habeant: autor Diophanes in Geoponic. Addo quod contra formicas hortenses, cor noctuæ foramini apponit Palladius. In quam rem etiam valent origanum, vel sulphur, trita & foramini aspersa: quæ si extrinsecus venerint, horti spatium cinere, creta, aut oleo, tingatur, ac circumscribatur.

Laurum, & albam vitem fulmina non attin-

gunt. idcirco tonante cælo Cæſar Auguſt. in lauretum diuertebat: & Tarchon albis vitibus domum ſepiebat. Nec omittes quod ilex ſuis fructibus curuata, futurum annum frugis omnis copioſum vaticinatur.

Ligna amurca macerata nullo fumi tædio ardebunt. Et lac ad ignem ſi tepefiat, ficique ramulo moueatur, coagulabitur: autor Africanus in Georgicis. Nec negligendum quod botryo vitis poſtquam defloruit, ſi in vaſculum vitreum terreumve (ſed paruum tamen) immittatur, ex toto botryone fiet granum vnum.

Oſſiculum dextri lateris ranæ quam rubetam vocant, in feruentem aquam proiectum illam refrigerare fertur: nec poſtea ſeruare niſi exemptum fuerit. Quod vero in ſiniſtro eſt latere, contrarium facit. Vtrumque facile inuenies, rana à formicibus exeſa: autor Plinius.

Tradit Albertus quod herba *cynogloſſum* dicta, ſeu *lingua canis*, vbiuis locorum cum corde & matrice caniculæ impoſita & ſepulta, omnes vicinos canes ibi cogi inuitat. Eadem ſub pedis pollice geſtata, mutos reddit. Addit, nepitam herbam in apum aluеariis poſitam, facere vt illinc non fugiant, quin potius maiori examine cumulentur.

Ne ſubterraneæ peſtes adultas ſegetes radicibus ſubſectis enecent, remedio eſt aquæ mixtus ſuccus herbæ quam ruſtici *ſedum* appellant: nam hoc medicamine ſemina vna nocte macerata iaciuntur: autor Columella.

Aduerſus tonitrua quibus vitiantur gallinarum oua, pulliq; ſemiformes interimuntur, anteq̃uã toti partibus ſuis cõformentur, plurimi infra cubilium ſtramenta, graminis aliquid ſubiiciunt:

& ra-

& ramulos lauri, nec minus allii capita, cum clauis ferreis: autor idem Colum.

Gallinacei galli aliter castrantur quam exectis testibus, hoc est libido ab illis remouetur, calcaribus nimirum ferro candente inustis: quæ cum ignea vi consumpta sunt, facta vlcera dum consanescant, figulari creta linuntur. Præterea, incubandi adimitur cupiditas gallinis, pinnula per nares traiecta, autor Colum.

Si cocto leporis cerebro infantulorum, qui dentire incipiunt, gingiuas blande tractaueris & inunxeris, efficies vt absque labore & dolore dentes emittant. Addo quod annulus ex recenti myrti virgula concinnatus, & annulari digito impositus, apostemata quæ sub axilla oboriuntur, sedat & compescit. Et pes dexter testudinis, super dextro pede podagrici suspēsus, aut eidem alligatus, morbum leuat, aut dolorem lenit: sic sinister sinistro appensus: & manus manui, digitus digito.

Campas fertur euincere & fugare qui fusticulos allii sine capitibus per omne horti spatiū comburens, nidorem locis pluribus excitarit: nasci quoque prohibentur, si circa arborum, vel vitium crura, bitumen & sulphur incendas: autor Palladius.

Flos herbæ anemones nunquam aut raro se aperit, nisi flante vento. Vnde quibusdam *herba venti* dicitur. Et serpentes in trifolio nunquam reperiri, autor est Plinius: propterea eius grana viginti ex vino aut posca bibita, a scorpione læsis, aut serpentibus auxiliari tradit.

Admissarius asinus, aut equus, aut animal quoduis aliud, quo pallio insternetur, eius colore sobolem generabit: autor est Absyrtus Græcus, in

Geoponicis. Addo ex Democrito, quod boues arando non lassabuntur, si oleo & terebinthina simul coctis, illorum cornua obleueris.

Ad boues non accedent œstri, seu tabani, qui illos ad insaniam solent adigere, si locum in quo pascuntur aqua decoctionis baccarum lauri contusarum, asperseris. Qui si puncti ab his fuerint, cerussam ex aqua ipsis illinito: autor Sotion in Georgicis. Sed & Africanus tradit, eos à muscis non infestandos (vti nec equos vel canes) si lauri fructum tenuissime tritum, & ex oleo coctum illis illeueris, vel saliua ipsorum illos inunxeris.

Succinum meridiem versus constitutum, paleas ad se allicit, vt magnes ad septentrionem ferrum. Quod si diu & multum succinum ipsum triueris.& contra ignem lampadis,illo stante medio, insufflaueris, ignis illico concipietur,qui nihil admotum comburet.

Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, illud in se consumunt & euocant: ita hoc venenum auri est. Et lapis spongiæ pueri collo appensus, tussim sedat. Quod si spongia ipsa in vinum mittatur, aquam exhaurire ac imbibere fertur, si quæ in illo fuerit.

Quidam oua magna sibi generari cupientes, rubricam dissolutam cibo gallinarum admiscent. Ceterum non abortiet Gallina, si albumen oui assatum, & vuæ passę edulis tostæ tantundem simul triueris, ac ante alium cibum apposueris: autores Leontius & Pamphilus in Græcorum Geopon.

Odoratas facies cinaras, si semen ipsarum in rosarum, aut liliorum, aut lauri, aut aliquo alio succo per triduum maceratum, terræ mandaueris.

neris. Nafcentur præterea fine fpinis, fi femina in tenues particulas radicis lactucæ decorticatæ occultaueris, ac ita plantaueris. Sed de his alibi fusè & accurate à nobis fcribetur, fi Deus hos nobis iuueniles proroget annos.

Erucas hortorum enecari fcribit Democritus in lib. περὶ τῶν ἀντιπαθῶν, fi mulier quæ in menftruis eft, folutis crinibus, nudo pede, vnico tantum palliolo induta, & nihil omnino præterea habens, neque perizomate vllo circa pudenda velata, neque vlla alia retecta, vnamquamque aream horti ter circumeat: poft hoc decidere omnes erucas & vermiculos, atque ita emori: autores funt dictus Democritus in Græcorum Geopon. Columella libro 11. cap. 3. & libro 10. circa medium. Palladius, libro 1. cap 35. Quæ teftimonia hic citare volui, ne quis commentum putaret.

Hyæna vbi hominem aut canem dormientes offenderit, fuum corpus iuxta dormientis corpus extendit: & fi quidem fe ipfam viderit maiorem effe dormiente fua longitudine, naturaliter delirum ac ftupidum reddit, depafciturque ipfius manus nihil repugnantes. Si vero breuiorem feipfam confpexerit, celerrimis pedibus fugit, nec vllam dormienti læfionem adfert: autor Neftor in fua Panacea, apud Caff. Dionyf. Vticenfem. Sed de naturæ arcanis quibufdam, deque rerum variarum fympathia & antipathia, hæc in præfentiarum attuliffe fatis erit. Quæ fuperfunt (multa fane) propediem accipies ex octo Commentariis noftris hifce de rebus paulo plenius concinnatis: adhæc ex noftris rerum agri Secretis. In quibus

& iucunda & vitæ vtilia quamplurima reperies: digna profecto quæ lucem videant. Nam, *Æquè pauperibus prosunt, locupletibus æque.* Interea tu, dum illa tibi adornabimus, istis qualibuscunque bene fruere, & conatus nostros (Lector optime) tuis apud Deum precibus iuuare satage.

FINIS LIBRI II.

